

PETRI à BEECK
IMPERIALIVM
ECCLESIARVM IN AQVIS
B. Mariæ Canonici, & ad D. Adalbertum Præpositi,
AQVISGRANVM
siue
HISTORICA NARRATIO,
De Regiæ S. R. I. & Coronationis Regum Rom.

Sedis Aquensis Ciuitatis origine ac progressu. De D. ac Magni Karoli præcipuo Religionis monumento, hoc est, de Virginis Matris Basilica quam Aquisgrani fundauit. De eiusdem Augustissimi Karoli præclarè Gestis. De ritu coronandi Reges Rom. eorundemq́; coronatorum serie & numero. Denique, de aliis quorum argumenta Capitum pagina decimaquinta demonstrabit.

Collegij Rom. Soc. Jesu
cat. Jnscri.





Superiorum Permissu.

Anno M. DC. XX.

AQVISGRANI,

Apud Henricum Hulting, Bibliopol. & Typog. Aquens.

DEO. OPT. MAX.
&
DEIPARÆ,
Aquensium Propugnatrici.

PRÆCELSA VIRGO, Benignissima Mater, miranda terra cœloq; Regina; Magnus Karolus Francorum Rex victoriosissimus, Imperator Romanorum Augustissimus, Christianæ religionis sator, instaurator, propagator inter sacras ædes sacrato nomini Saluatoris nostri Iesu Christi & Tuo dicatas, celebrẽ itidem ad Aquas Graneas Basilicam Tuæ fidei ac clientelæ obtulit: eapropter meditatus structuram, fundationem Templi & Urbis strictim persequi, obuenit menti pariter itera-

re calidissima spirantiaq; desideria Karoli Fundatoris primi & optimi, quæ erga te Patronam singularem, Virginem intemeratam in arca pectoris deferebat; ita deuoueo, dico, inscribo, sacro de integro Ecclesiam, Urbem, soliq; Aquensis incolas accolas Diuino Numini vniuersi Architecto, ac Tibi: suscipe hæc inclita cœli Domina ceu Turris Dauidica ædificata cum propugnaculis tuo Patrocinio tutanda, didicisti à magistro humilitatis, qui humilia respicit, & alia à longe cognoscit ancillare Domino Deo tuo: neq; enim alius custos florem Virginitatis tuæ decebat quam humilitas, ob id non auersaberis nec fastidies oblationem pusilli: astrorum cœlestium radij haud quicquam adinquinantur si in loca abjecta deferantur, neq; in votoriam tabellam immissa lux Maiestatem tuã circumfulgurans: illustre tu astrum es & astrum matutinum, auror a solis nuntia, à Patre luminum lucẽ mutuans proin deprædicãdo te exalto ipsum Naturæ authorẽ; cum in definitionem vniuersorum syderum ipse Sol oriens occasum nescius

Cant. 4. Psal. 6. 137.

sciens necessum veniat: si quispiam tamen iniurius fuerit erga te, maledicus in Karolum, suscitabis ex semine Karolingo, semine longæuo Palatinos & Lotharingos seros Nepôtes vindices inanis ac ventosæ dicacitatis, orabis æternam sapientiam vt depulsa fuci & falsi nube detersa opinationum fumosa nebula, ad vera enũtianda os muti aperiat, iuuetq́ dicendi infantiam. Sap.



Ad Karolinam Urbem & Aquas

Author,

In vna Fide & Charitate consensionem.

Ardes Granopolis vitreis es feruida venis
Visceribus Christi ni foueare riges.
Expiras medicas tua per mineralia vires
Si fons viue fidem tollis inanis eris.

Augustinus lib. 1. de liber. Arbitrio c. 6.

Si Populus sit bene moderatus & grauis communisque vtilitatis diligentissimus custos, in quo vnusquisq; minoris rem priuatam quam publicam pendat, nonne rectè lex fertur qua huic ipsi Populo liceat creare sibi Magistratus, per quos sua res, id est, publica administretur. Recte prorsus. Porro si paulatim deprauatus idem Populus, rem priuatam reipublicæ præferat, atque habeat venale suffragium, corruptusq; ab eis qui honores amant, regimen in se flagitiosis consceleratisq; committat, nonne item rectè si quis tūc extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam vnius redigat arbitrium.

***

SERE-

SERENISSIMO.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
Domino.
WOLFGANGO.
GVILHELMO.
COMITI. PALATINO. RHENI.
Boariæ, Iuliæ, Cliuiæ. &c. Mōtium. Duci.
COMITI. IN.
Veldents. Sponheim. Marchia.
Rauenspurg. ac. Meors.
DOM. IN. RAVENSTEIN. &c.
Domino. suo. Clementissimo.
Fœlicitatem. Salutem. Gloriam.

NAturæ cognatum familiareque vt quotus quisq; excelsiore prognatus Stemmate, hoc enixius progeni-

torum

torum suorum originem, dicta, facta, ti
culos & imagines cognoscere aueat, adul-
terinas siquidem plantationes, vti ea nes-
cire, ita nesciri malle scitum. Communis
& vterque parens cuique est sua patria ex
duobus coalescens, vnde sagaciter, qui
nomen illi indidit initiales syllabas a Pa-
tre sub fæminea terminatione mutuatus
est: tractus hic, definita gleba, hoc Aquen-
se Solum; in quo simul sati mortales con-
terranei quod eos excepit, fouit, aluit,
quod pedibus premunt, aer quem hauri-
unt sub vno climate, eodem cæli forni-
ce Mater est; status vnus sub vno Rege
vna lege, communio & societas liberta-
tum, iurium humanorũ ac Diuinorum;
hoc est, Ecclesiæ, Fidei, ceremoniarum
arcanorum vinculum, formam ac faciem
Patris refert; ista pars antiquior, hæc san-
ctior & sanior, cuius compositi quod Pa-
triam & rempublicam Aquensem vno

verbo nuncupamus originem auctum & ſucceſſum cum complures philiſtores & philopatrides ſcire efflagitent, eorum deſiderio gratificari volens, lucem primi exortus, ex vetuſtatis ſqualore & obliuionum tenebris erui: duæ tamen præ cæteris cauſæ vi Chriſtianæ legis ad ſtudium me preſſerunt ac ſtrinxerũt, prima vt hac anſa apprehenſa primigeniam orthodoxamq; fidem, religionem qua hoc genitali Solo imbuti populares, priſcos catholicorum ritus hac natalitia tellure primitus cultos & in hoc vſque æuum longa ſerie continuatos quaſi digito indicarem, indicando ad ſupernũ domicilium, veram germanamque patriam iter ſternerem: altera vt Diuinæ partis Patriæ ipſius ſtipitis & ſummi Patris Caroli multis nominibus ter Max. Principis firmamenti Regum gentis Franciæ, qui primus Baſilicam hanc (*B*aſilicam aio non ſolum pro

voto ac desiderio suo, vt ipse eloquitur, in Pragmatica Sanctione, verũ etiam ex Diuina gratia ad vnguem peractam:) condidit fundauitq; & eatenus Vrbis ac gentis initia dedit, legesq; sanxit, venerandum vultum ac planè exemplaria lineamenta ora manusq; non illaudata præterirem, puta virtutes regias sepulchri expertes & in omne æuum æternantes repanderem, atque ita ad earundem imitationem dux forem! eas siquidem acie oculorum tenus perlustrare curiosæ mentis indicium est, sic cõtueri vt vestigijs Parentis optimi insistatur, pes pedi iungatur, heroicis factis velut anchoris huius nauis terreni corporis firmetur genuinam sobolem agnatamque repræsentat: huc serio intendat sacratus Clerus in sacratum Caroli & ad omnem virtutem compositum verticem, huc intendat populus si progenitoris sui obseruans est, obuia erunt v-

bertim vtrique statui quæ consectanda sunt, ita reddentur Aquæ veteres *G*rani nunc *K*arolingæ lympidæ immo sapidæ, ditiones ac fines, florentes, valentes, pollentes. Sacraui omnia ista iam ante, templum, tractum, senatum Ecclesiasticum, Politicum, conuenas, accolas, ac bene illa deuoui, cui nunc laborem? cuius tutelæ fulcietur conatus meus vt in luminis oras onellus hic partus enascatur? tuum nomen deposcit humiliter Serenissime ac Inclyte Princeps, sermo mihi de Vrbe Imperiali ac *R*egia *K*aroli Sede, tuo patrocinio obligata est, non casu aut necessitate, sed a Domino factũ est istud quod huius ac diuersarũ ditionum possessionibus auctum te conspiciat orbis, radici *K*arolo ciuitas debet primordia, tibi conseruationem, quo igitur Principe rectius labores clientis fouebuntur quam Principe a Deo dato, rerũ agendarũ dexteritate, pruden- Ps. 117

 tia &

& armis conspicuo: agitur hic de Ecclesia prisca cuius corporis gremio spretis nouatorum fascino ac ludibrijs Diuina ope aggregatus es, & adimpletũ vatidicum id,
Baruch 4. 36 Circumspice Ierusalem ad orientem & vide iucũditatem a Deo tibi venientem, ecce enim veniunt filij tui quos dimisisti dispersos, veniũt collecti ab oriente vsq; ad occidentem in verbo sancti gaudentes in honorem Dei: quis pupillo Ecclesiastico tutricem dextram porriget nisi pientissimus Princeps ac religiosus, cuius est
Hist 9o cap. vl. Ecclesias contritas atq; conscissas restaurare, nouas ædificare & Dei Sacerdotes honorare ac tueri: in laudibus Magni Caroli versor vnius e Monarchis mundi celeberrimi, generosus ramus ac germen es grandæui Patris, ad cuius pedes hoc studium deponerem, nisi ad fælicis propaginis beatæ supernatæ radici, cognatas vir tutes excelsa quadam animi æmulatione

zelantis

zelantis. Si quiſpiam taſtuoſi ſupercilij Cenſor adlatrauerit imaginem ſinceram pij Patris *K*aroli (cuius memoria in laudibus ſit) & patriæ agreſti ſtylo ruditer nimis adumbratam, impeditiore tardioreq; manu effigiatam in hac præſertim ingeniorum ſegete, admirabilis animi lenitatis es, ipſe veniam dabis & talem comprimes, certe imbellem meum animum conditoris zelus excitauit, emarcidum calamum pietas & adfectus in *K*arolum ab ingratitudinis labe erexit, neq; enim ſupprimenda veritas quod careat pigmentis ab arte quæſitis: culpabit alius ſubiectum ipſum & ſyntagma vnius vrbis ad parum vtile, tu Clementiſſime Princeps in benigniorem partem flectes, cum in alijs paleſtris & aculeoſis quæſtionū ſpinis enodandis exerciti laxent ſubinde acriorem rimationem oporteat, atque ita ad aceliuem hunc campum æquabilem planiti-

em fluentaque aquarum expatiari datur: quod ſi complura fructuoſa omiſero, mendoſa poſuero, ſapientum excuſationem merebor expendentium quod nullo præeunte primus ſum qui faſciculum memorabilium Aquenſis Vrbis reuincire aggreſſus, quocirca veluti omnium rerum primordia prius rudia & interſtitijs temporum expolita elimataq; fiunt, ita in hoc genere erit forſan is nempe cui ditior priſcorum ſcriptorum ſuppellex & cui ingenium magis a naturæ ſpiſſitie deterſum qui extremam adhibendo manum vomere nouo ſciſſurus ſit patriũ agrum hunc vltimoq; ruderatu excoliturus, hoc eſt, ſarculo ſtirpitus excaudicaturus ſcrupea quæuis & ſcabroſa, exherbaturus noxia, frugifera magis atque ſalutaria plantaturus : verum in ſeligendo Patrono Principe ex Magui Karoli ſemine prognato, atque eodem iugi obſeruantia ho-

norando non æque facile concesserim vt me anteuertat aut præcellat quispiam. Pruouidentia Diuina Serenitatis Tuæ Clementiam totamque Augustam Familiam Reipublicæ Christianæ perpetuo seruet sospitem, actus secundet, & demũ eterna sua visione beet. Anno Christo propitio 1620.

Serenissimæ Celsitudinis Vestræ

obsequentissimus subditus

Petrus à Beeck.

Argumenta Capitum.

Coronidis loco encomia Karoli Imperatoris qui Magni cognomentum meruit metricè & conciſè, itemque hymnum Eccleſiaſticum ſeu precationis Carmen Diuo Karolo Catholicæ Eccleſiæ Aſſertori, Fundatori ſacræ ædis & Vrbis Aquenſis Parenti optimo ſacrum adpoſuimus.

Dedimus inſuper ad calcem Sanctionem pragmaticam celebris memoriæ Diui Karoli Magni romanorum quondam Imperatoris ac Francorum regis inclyti Fundationem Templi & Vrbis primæuam complectentem, Domini Friderici huius nominis Primi cognomento Ahenobarbi & Friderici ſecundi Imperatorum diplomatis priuilegiariis inſertam.

Reuer^do D. Confratri ſuo Petro à Beeck Epigramma hoc depromebat Henricus Paſtoir, Canonicus Aquiſgranenſis.

Nobile Aquiſgranũ, ſacroſancta & Virginis æ
Auguſtæ Mariæ auguſta dicata Deo. (des
Quæq; dedit iura hic auguſti nominis heros
Karolus, auguſta poſt ſtabilita manu.
Primum Petre tuo Beeck illuſtrata labore,
Auguſtè auguſtus continet iſte liber, (pendat
Eſt quod Aquiſgranũ, Maria eſt quod Virgo re-
Illud honore dabit, Virgo ſalute frui.

Aliud in Opus & Authorem.

R. D. Franciſci Weiler Canonici Regalis Marianæ Eccleſiæ Aquiſgranenſis.

Rara refers Vir rare, probam doctiſsimus vnus
Vrbis Aquiſgrani colligis Hiſtoriam.
In te virtutum faſces cumulantur & in te
Ingenium & pietas & labor omnis adeſt.
Hinc meritò eximium hoc opus nam claret in ipſo
Pontificum ac Regum Cæſareumq; decus.

In

In historiam Aquensem.

Gauko Gaukema Frisius, Eccles. Aquens. Canon.

Dum vegeto ingenio Mariani ab origine templi
Digeris, illustras perficis historiam.
Debet Aquisgranum, tibi nostra Ecclesia debet,
Ipsiusq; Parens debitor est Carulus.
Sed quascunq; prior soluat tibi Gaukema grates
Optando Authori par decus atq; operi.

Apostrophe ad Ciues Aquisgranenses Clar. Viri p. m. Lamberti Darmont.

Ciuis Aquisgrani si te pia cura salutis,
Si tua sors patriæ corda fatigat amor,
Huc aduerte animos, compone recentia priscis,
Quis nunc atque olim quis status Vrbis erat?
Hæresis in varias te nunc scidit impia sectas,
Hinc tibi tam vario verbere terga rubent.
Pressa gemit Virtus, vitiisque licentia crescit
Multa fides omnem dispulit Vrbe Fidem.
Ciuilisque truci rancore fiducia victa est,
Vastauit patrios sæpe inimicus agros.
Ergo age deceptam tot fraudibus excute mentem,
Pax vnam sequitur prosperitate Fidem.
An dubitas quænam vna Fides? hunc perlege librum,
Moxque scies vna hæc quæ sit auita Fides.

Approbatio.

HAnc Aquisgrani descriptionem studio & opera D. Petri à Beeck Ecclesiæ Aquensis Canonici & in eadem Urbe ad Diuum Adalbertum Præpositi Fidei Catholicæ & Orthodoxæ conformem, præclaris Antiquitatum monumentis confertam D. Caroli Magni, aliorumq; Imperatorum complurium gestis insignem prælo committi nihil vetat. Datum 6. Junij 1620.

Petrus Steuartius, SS. Theolo. Doct. & Professor, Vicarius in Spiritual. general. Leodien.

NOMEN

NOMEN AQVISGRAnum Mâtrix Vrbs ac primus ortus, quando, qualiter inuentum à Magno sanctoq; Karolo Imperatore, quo æuo condi cœpta insignis Basilica, Reiq; publicæ constitutio, seu vetus, seu moderna.

Caput primum.

SAcrosancti Romani Imperii Principem Vrbem, Regiam, Imperialem, Liberam, Primariam Regni Sedem cis Alpes Aquisgranum, in Belgica Gallia, hoc est, Germania secunda, in Menapiorum finibus inter Rhenum & Mosam situm, Romanorum Imperatorum prima inauguratione, Diui Augusti Magni Karoli Mausolæo, ad statum septennale Iubilæum peregrinatione, atque SS. Reliquiarum Veneratione, Conciliis & Placitis, Balneis ac Thermis calentibus, aliisque memorabilibus nobile atque prælustre, breuitate qua par est exequuturus à nominis originatione ordiri visum fuit. Quondam Romanos dum Allemannorum gentem hostilibus armis lacesserent, his ac conterminis locis consedisse & propugnacula varia struxisse, ex priscis Historicis satis superque exploratum sit, sub hanc tempestatem summa rerum Roman. ad Cæsares deuoluta aiunt Granum siue Granium fratrem Neronis inter syluarum latebras & ad fumigantium montium radices aquas has naturâ calidas reperiisse, magnificam arcem iuxta condidisse, nomenq; Vrbi indidisse. Quæ quidem narratio prout fidē veritatis æuo Karolino obtinuit, ita inserta est priuilegiario diplomati sacræ ædi & Vrbi Aquensi à Magno Karolo concesso, cui vti prorsus mythologicæ tametsi hodiè plerique de-

rogent, quod probatiorum auctorum ex antiquis chronographis nemo memoriæ prodiderit Neroni fratrem germanum obtigisse Grani nomine, attamen prima fronte ac facie re minus accurato libramine expensa concutere labefactareque sanctionem Karolinam tanta annorum lapsorum fida custodia retentam à tot Diuis Augustis pro vera æstimatã citra temeritatis notam haud ausim, præsertim cum stemma Augustæum implexissimum sit & Agrippina Mater Neronis pluribus maritis juncta fuerit, primum Gneo Domitio ex quo sustulit Neronem, secundò Crispo Passieno, tertiò Claudio Imperatori Patruo suo; ac ipsi etiam Claudio complures Vxores fuerint: post coniugia siquidem trium vxorum tandem Agrippam duxit, insuper quod nomen fratris latissimè pateat neque ad Germanum aut fratrem consanguineum restringere necessum sit, palam est Claudium quintum Romanorum Imperatorem inter alias vxores vltimo junctum thoro Iuliæ Agrippinæ filiæ fratris sui Germanici quæ ex Domitio Ænobardo prius tulerat Neronem (creatum postmodum sextum Cæsarem atque in tyrannidem degenerantem) ipsumque Claudium adoptasse in familiam suam & filium hunc ipsum Neronem ex Cn. Domitio & Agrippina memorata genitum, ac tradidisse illi in vxorem filiam suam Octauiam, vnde vtroque prænomine vsum legimus Domitium & Claudium Neronem, illo a genuino Patre mutuato, hoc ab adoptante, si igitur quispiam assentiri detractet ex Domitio & Agrippina plures editas proles præter Neronem, quid vetabit credere vel Claudium ex primo aliquo cõnubio sustulisse filium Grani nomine ac sic filius & priuignus fratres nuncupari possent, seu ex ipsa Agrippina talem progenerasse aut Agrippinæ ex alio thoro hunc filium obtigisse, ac eatenus vterini vel fratres consanguinei ex eadem Matre & sanguine rectè dicerentur: quinimmo & diffusius protenditur fratris dictio ad fratres patrueles, fratres per adoptionem vel arrogationem vnius aut alterius, ad fratres dignitate seu statu, adeo vt si modò Granus (idem esto de Agrippa iudicium) ex optimatibus patribusque Romanis Senatorii Equestrisue ordinis fuerit, collega Neronis priusquam ad Imperii apicem subuectus erat, aut consanguinitate ex Agrippina filia Germanici Matre sua eum tetigerit, subsistere fratris nuncupatio queat: Equidem vero mihi admodum proximus appa-

ret liber Chronicus Vltraiectinæ Vrbis, qui tradit ætate Neronis Imp. omnis iustitiæ persequutoris cuius Imperij initia referuntur in annum instauratæ salutis quintum supra quinquagesimum, proscriptos fuisse Granum Senatorem & Antonium Tribunum cùm vni uersa familia, Granumque venisse in Galliam Belgicam ad locum vbi reperit aquas feruentes condita ibi munitione quam ex suo nomine & aquis detectis appellauit Aquisgranum sedemque fixisse ibidem: Antonium verò vlterius descendentem fundasse ciuitatem vbi nunc est Traiectum anno Christiano quinquagesimo sexto & de suo nomine Antoninam eam compellasse, qua destructa deinceps castrum Wiltenburg superædificatum, eoque rursus euerso tandem eo in loco Traiectum constructum Regum Frisiorum sedem, &c. vero inquam non æstimârim absimiles præfatos Annales, siue enim nomina consideremus Grani, Antonij, Agrippæ, siue tyrannidem Neronis, vtraque ex historicis eruuntur, nomen Grani non fuisse romanis inusitatum perspicuum fit ex Tacito Granii Marcelli Bithiniæ Prætoris mentionem faciente, alia ex agnatione & ascendentibus Agrippinæ matris Neronis liquidò innotescunt: de cuius immani feritate scitum quoque est; sæuitia in propinquos, sæuitia in senatores, inter istos genetricem suam, Britannicum filium Claudii Imperatoris fratrem Octauiæ coniugis suæ, Antoniam filiam Claudii recusantem sibi nubere, maritos vxorum suarum, ipsas demum Octauiam & Sabinam Poppeam vxores, Ruffum Crispinum priuignum, aliosque partim trucidauit, partem veneno & aquis sustulit; Senecam præceptorem suum & Burrum itidem magistrum neci dedit, in Senatores autem adeò succensus, vt minitatus sit exterminium eius status è Republica.

Cæterum apud Aquas Graneas in hodiernum vsque diem superest peruetustum monumentum turris Granii nuncupata ab oriente sole domui senatoriæ statuis Imperatorum & belli ducum conspicuæ adiacens, qua de caussa Aquæ seu Palatium Grani appellatæ fuêre, cum Thermæ tum locus ipse deducto nomine ab Aquis calidis & Grano repertore, eò respexit Ligurinus libro primo

Prouinciali vocabulo Vtrecht.

Paulus Aemil li. 3 hist. franc. Granum nobilem virum fuisse arbitratur.

Modo Vltraiectũ vocatur, quod medii æui scriptores Traiectum dixerunt.

Luihprandus Grani palatium nominat Regino Thermas Grani.

Peruenit ad illum

Vsque locum cui nomen Aquis posuere priores.

Sabellicus supple. hist. lib. 14.

Hanc arcem nonnulli credunt Vegerram vel Veterram dictam, alii Nuagerram, plerique Vetera contendunt, verum ab antiquorum Geographorum mente hoc videtur alienum, alio loco Vetera constituentium, Budeus opinatur hoc loco Corionalum fuisse Antonini. Disertissimus ac doctissimus Marcus Velserus in mon. ag. Aug. Appollinem Grannum dictum autumat, indeque aliud antiquius nominis Etymon suggerit, dimanareque potuisse additamentum ad Aquas Granni, hoc est, Apollinis, & istuc allusisse Conradum Celtem, vtpote in cuius carminibus interdum auri grumos reperire sit, dum sic inquit:

Celtes 3. amor.

Fumat aquis calidis Granno vrbs ab Apolline dicta
Corpora quæ morbis tincta liquore leuant

Aut sic iuxta Velserum,

Vrbs vbi fumat aquis Graneo ab Apolline dictis.

Suffragari his potest oratio Panegyrica Constantino Constantij filio dicta Augustæ Treuirorum cum eius vrbis per ipsum restitutæ natalis celebraretur, in qua orator (quem Belgam Rhenanus opinatur) artis oratoriæ publicus Professor Constantinum nobili laudauit oratione, quæ incipit, *Facerem.* In eadem ad patriam suam visendam inuitauit, *Dij*, inquit, *immortales quando illum dabitis diem, quo præsentissimus hic Deus omnia pace composita illos quoque Apollinis lucos & sacras* * *ades & anhela fontiū ora circumeat? quorum scaturigines leui tempore nebulosæ arridere, Constantine oculis tuis & osculis sese inserere velle videntur: miraberis profecto illam quoque muneris tui sedem, & calentes aquas sine vllo Solis ardentis indicio, quarum nulla tristitia est saporis, aut halitus. sed talis haustu & odore sinceritas, qualis fontium frigidorum, dabis & illic munera constitues priuilegia, ipsamque denique patriam meam ipsius loci venerationi restitues, cuius ciuitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno nomine populi Romani gloriata opera tua Maiestatem expectat, vt illic quoque loca publica & templa pulcherrima reparentur, sicut hic video hanc fortunatissimam ciuitatem, cuius natalis dies à tua*

* sedes.

pietate celebratur; ita cunctis manibus resurgentem vt se quodammodo gaudeat olim corruisse auctior tuis facta beneficiis &c. Sigonius de Occid. Imp. lib. 2. Oratorem hunc Æduum & ciuitatem ad quam iuuitauit Bibracten opinatur, videturq; orationem ab Æduo pronuntiatam Treuiris (Gallici siquidem eo tempore sedes habebatur imperij) Constantino dum quinquennalia vota solueret, ac decennalia conciperet & illam quæ in eiusdem vrbis restitutæ natali eidem Imperatori habita est, ab eodem oratore vno eodemque tempore prolatam; at vero rectiùs Phigius in Hercule Prodi io sentit, existimatq; in celebritate quinquennalium votorum ab Æduo dictam esse Constantino Treuiris orationem, alteram quæ in natali vrbis Treuirorum per Constantinum restitutæ habita, aliquot annorum interuallis postea ibidem dictam à Belga Oratore, atque in hac ipsa inuitasse Belgam Rhetorem ad suam patriam antiquè nobilem feruentibus aquis, quibus periuria puniantur &c. Quæ si ad Aquisgranum quispiam retulerit, probatio ei incumbet fraternitatis Romani populi titulum huic vrbi aliquando competiisse, Ædui seu Hedui, qui modo Burgundiones Sequanis contermini inter primos fuere, qui eum titulum sibi vindicarunt, deinde & Batavi Septimii Seueri & Antonii Caracallæ temporibus gloriati fratres se Populi romani: vt vt hæc sint, quæ quiuis acrioris ingenii vena pollens penes se rimari penitius enucleatius aperire potest, oppidum seu vicus ad præmemoratam turrim eadem tempestate, qua Granus inclaruerat, constructum fuit, quod ductu Tyranni barbari Attilæ flagelli Dei, dum adiutoribus Gothis in Gallia habitantibus Romanorum vires exscindere & ad Monarchiam aditum sibi pandere eniteretur, Hunni ferina rabie irrecuperabili clade vna cum aliis primæ & secundæ Germaniæ cisrhenanisque vrbibus vastarunt ac propemodum solo coæquarunt vt non frustra Attilam Rheni hostem appellet Sidonius in epistola ad Tonantium Ferreolum: Karolus vero quem virtutum regalium & heroicorum Factorum fœlicitas Magnum cognominauit, Francorum Rex verè Augustus post annos plus minus septingentos a tempore Neronis, post nonum aut iuxta calculum aliorum decimum annum regni sui, circa annum septuagesimum septimum seculi septimi a partu Virginis cum in villa Haristallio hyemans ad hunc locum inter venandum errabundus deuenisset, oblectatus

Innuūt Annales Francorū sub Ludou c. pio cōscripti.

loci

loci amœnitate, pariter commoditate Thermarum ipsas vna cum arce à ruinis vindicauit. Priuilegiarium diploma vrbis huius primæuam fundationem comprehendens significat inuenisse Karolum à socijs in venatione sequestratum palatia Grani ac Thermas calidorũ fontium, quod haud quaquam sic accipiendum veluti ipse primus totum tractum hunc detexerit, locusque prius incognitus fuisset, aut parietinæ nullæ prisci Aquisgrani præexstitissent, etenim vicum sub ea tempora fuisse Annales Francorum disertè adstruunt, Pipinum Karoli parentem anno salutis 765. hyberna ibidem habuisse, Natalitia Domini ac Pascha celebrasse, ipsum etiam Karolum anno 768. post Pipini patris excessum, suamque in Regem Francorum consecrationem factam Nouiomagi septimo Idus Octob. Aquasgranum profectum ad Natalem Christi perhibent: eapropter intelligendum id, in loco propè desolato nouas fontium calidorum scaturigines terra aggesta opertas ac rudera Veteris Grani Palatij frutectis abdita de nouo reperijsse; cõsimilis amplificandi gesta Principum Virorum vsus hodieque obtinet, vt inuentio integra Heroi cuipiam adscribatur quando vel partem duntaxat reperit, quin & in illustrem personam cadit rei alicuius detectio si eius modò imperato à subdito manifestata sit: sic itaque allectus Karolus loci amœnitate primò animum adiecit ad splendidam Regiam eo loci excitandam ac veluti resuscitandam, in qua potissimum, antequam Diuina ordinatione ad apicem Imperij sublimaretur persæpe breue quoddam otium à bellicis nactus hybernatum concedere consueuerat, deinde aliquot annis interlapsis Religionis & pietatis Zelo flagrans Basilicam hanc rotundam græco archirectaudi more, opus mirificum & planè admirandum regio sumptu proximè Regiam suam operosissimè structam condidit, sub annum videlicet 796. vt enim dignam dignissimæ virgini fundaret Ecclesiam nullum laborem sumptumne recusauit, de qua ita cecinit Celtes idem qui supra

Sigonius de regno Italiæ li. 4.

Celtes 3 amor.

Quaque patent celsa Genitricis templa Tonantis
Sanctius in nostro queis nihil orbe micat.

Henricus homo Francus quem Karolus Foroiulij Ducem constituerat vt Hunnos qui in armis erant, aut reprimeret insultantes, aut quiescentes fatigaret hoc ipso anno 796. bellum Pannoniæ intulit & Iringum Caianum aliosque eorum Duces imparatos oppressit

Anno. Annales Franc. Regino Sigon & alii passim.

quibus occisis Rhingum eorum Regiam expilauit, thesauros & accitas Hunnorum opes, quas ipsi longo annorum interuallo varijs gentibus abstulerant, inque suum regnum congesserant direptas Aquas ad Karolum misit: parantibus sese deintegrò Hunnis ad bellum siue fortiter patiendum, siue impigrè inferendum, auspiciis noui Regis quem crearant, Pipinus Karoli filius ex Italia cum lecto militum robore in fines eorum irrupit, & hostibus trans Tibiscum amnem fugatis eorum Regiam occupauit, præda ingenti prius relicta potitus ad Patrem hyberna Aquis agentem se contulit, ac regni spolia quæ secum adduxerat obtulit, quocirca cum exploratum sit, Karolum parte horũ spoliorum officiales regni, parte Basilicam S. Petri Romæ donasse, Magontiacensi etiam templo ex earundem opum vi præter alia pretiosissima munera crucem ex auro sollido cui Benna nomen pendentem mille ducentas auri probatissimi marcas dilargitum fuisse, cui versiculus insculptus fuerat, ex Adone & Crantzio in Saxon. lib. 2. c. 6. Auent. li. 4. Annal. fein goldt.

Auri sexcentas tenet hac crux aurea libras.

magnam item quantitatem eiusdem auri inter alios Ecclesiasticos distribuisse, probabile itidem est Karolum vt Diuino Numini gratus esset pro tam celebri Victoria contra Auares adepta inchoasse structuram Aquensis Basilicæ ex Hunnorum manubiis, non autē ex auri argentiue cumulo ex Hispaniis delato prout Turpinus & Anthoninus scriptum reliquerunt. Ciuitas porro Aquensis aliquot annorum decursibus interiectis recondi ac ædificari cœpta, siquidem vti Fuldæ & Monasterij in Westphalia, Spiræ Nemetum ac alibi passim obtigit, primùm fuisse Monasteria & temporis accessu, siue pietas siue elemosynarum affluentia siue quæstus plebem ad ansam recens iacti templi præhendendam extimulârit, coniunctis ædibus succreuisse in oppida, sic hoc in loco factum planè pleneque persuadeor, vt mœnibus paulatim locus clausus sit ob dicti templi reuerentiam, intuitu etiam Ecclesiæ tam nobilis vniuersa vrbi Priuilegia collata vt sit constituta sedes Regni & Transalpinæ Galliæ caput, quod satis agnoscit Magistratus Aquensis dum quotannis ter per vigiles Karolinæ ciuitatis in hæc vsque tempora coram Ara Virginis Deiparæ Augustæ domus lituos perstrepere æreaque cornua inflari iubet, quo sonitu satis aspero immunitas & libertatis ciuicæ omnia [illegible] promulgantur intonanturque, vt pote

quæ à Virgineo templo primùm defluxêre, eandem primæuam dignitatem signanter ab antiquo innuentes retinuerunt Franci in vulgata eorum loquutione dum ciuitatem Aix la chapelle nuncupant hoc est Aquensem Capellam, & istuc nouissimè respexit Erardus de Marca S. Rom. Eccles. Cardinalis cui, vti & omnibus Eburonum Antistitib' à Diuæ memoriæ Romanis Regibus ac Imperatorib. Frederico II. Carolo huius nominis quarto, Wenceslao, Sigismundo, Frederico Tertio, vna cum aliis ea in parte collegis coniunctim atque diuisim & cuilibet insolidum Regiæ insignisque Ecclesiæ Aquensis ac illius imperialium dignitatum & priuilegiorum exequutio, protectio atque conseruatoria perpetua demandata iam antea fuerat, qui Burgimagistros, Scabinos, Senatum totamque communitatem Vrbis Aquensis Leodinæ diœceseos anno ab exordio salutis 1525. mensis Dec. die 22. seriò commonefacit, vt cum ipsius Ecclesiæ clero eiusque suppositis amicè ac pacificè viuant ac versentur in sua quisq; vocatione, attento (inquit) quod vrbis prædictæ honor, dignitas, excellentia ac prærogatiua ex ipsa Ecclesia in qua Reges Romanorum sacris initiantur, insigniaque regalia recipiunt, ac in prima sua sede Regia collocantur procedere dinoscantur, &c.

Ex Francorum Annalibus & Eginhatto scitum est consiliũ iniisse Karolum deuictos Saxones, tum quod in annos fermè singulos rebellarent, tum quod imbuti semel fide Christiana post suum è Saxonia recessum ad paganismi errores & volutabrum gentilis perfidiæ identidem relaberentur eos præsertim qui trans ripam Albis fluminis incolebant, in Franciam colonos ducere, quod & factum est, decem enim hominum millia ex ijs cum vxoribus & liberis per Galliã & Germaniam potissimum inferiorem Flandriam ac Brabantiam multimoda diuisione distribuit, vt abiecto dæmonum cultu & desertis patrijs ceremoniis in fide Orthodoxa stabiles perennarent: ex his Saxonibus Aquasgranum quoque directas esse colonias veritate non est absonum, eodẽ siquidem anno quo hæ deductæ DCCCIV. sacrata est Aquensis Basilica à Leone Papa Tertio priuilegiumq; Karolinum sacræ ædi & nouæ Vrbicæ communitati collatum à seruili conditione eximit & in libertatem asserit quotquot hoc loci sedes fixerant vel figere poscebant. Delibaui primordia corporis exsurgentis ciuitatis nunc primum eius regimen politicum ac animam informantem.

Iuxta alios an. DCCCIII

Post

Post iacta oppidi fundamenta ex sacratiore ordine Ecclesiastico & sæcularibus mixtim vnus creabatur spiritus reipublicæ, deinceps labentibus annis aliqui è Canonico Collegio in senatum exposcebantur, cuncta libertatum indulta vtrique statui erant communia, quin etiam tabularium & Archiuum vnum in ipsius Basilicæ aditu ingressuque destinatum, sigillum Vrbis ac senatus virgineo templo credebatur, ratione cuius subortam dissensionem sic anno salutis MCCXXI. diremit orator Friderici II. Imperatoris Chunradus Antistes Metensis & Spirensis Imperialis aulæ Cancellarius, per totam Italiam legatus, vt sigillum senatorium sub custodia Decani asseruaretur, quę sententia pronuntiata est in curia Franckenuort præsentibus Archiepiscopis Electoribus & proceribus Imperii, ast temporum iniquitas resecauit id vinculum, bellorum etenim ancipiti casui, atrocibusque dissidiis permultum immersi Aquenses incolæ contra confinium prouinciarum Duces & Comites, vti vetus ac verus Iuuenalis versus prodidit Iuuen. Satir. 15

Inter finitimos Vetus atque antiqua simultas
Immortale odium & nunquam sanabile vulnus

Ecclesiasticus senatus vt possessiones ac facultates ditionibus prę fatorum Principum subiectas in integro adseruaret, eximere se maluit ab vnione seu fœdere ciuici regiminis tradito Magistratui sigillo, & laicis negotiis nuntium mittens. Post hoc vrbis gubernaculum Ministeriales, scabinale Collegium ac potiores ciues moris patrii gnari rerum potiti, qui mixtim cùm aliquibus è plebe Burgensibusque arbitrium ac curam vrbis exercebant, perpetuum Magistratum nuncupauere, veruntamen anno adseriæ per Christum salutis MDXIII. fato quodam rerum humanarum per plebeias factiones id iuris iis ademptum vt plenius c. 13. patebit, neurequam obstante priuilegio Frederici III. Imperatoris Scabinorum coronæ iudicibusque anno 1473. indulto vt hæreditariò Magistratui incorporati membra forent non ignobilia à quibus spiritus & vigor ad cæteros posset influere: equidem quondam militaris & equestris ordinis vt plurimum fuisse vniuersos huius Iudicii adsessores non est quod quispiam ambigit, hi subinde pro temporis exigentia in confiniis vrbis domicilia sua tenuêre, statis Iudicialibus Aquis comparentes, quandoque ipsam incoluerunt ciuitatem, idem factitatum quoque in aliis vrbibus haud infrequenter, quod æstuantibus oppidis per ciuicas procellas

& turbines populares nobilitas ad finitimos agros digressa sit, concordia animorum firmata redierit, vastitate per obsidiones bellonamque municipalibus locis illata ad prædia sua aut arces sese receperit, rursusque sicario aut milite extra premente seu florentibus pace & securitate ciuitatibus reditum fecerit, nonnulli etiam in vrbibus claris orti natalibus si exterius in conterminio opulentior fortunæ facies se monstrasset ambitione eliciti ibi sedes fixêre. Priscus gestorum Boemundi XCI. Treuirorum Pontificis qui anno salutis MCCXCIX. decessit, scriptor tradit maximam nobilitatis partem ex Augusta Treuirorum ortam propagatamque, quæ modo latè in regione Treuirensi arces suas incolit: ita & fors Aquis factum, perseuerant enim etiamnunc in vrbe hac complura gentilitia nomina ædium quas olim nobilitas indigena vel finitima incoluit, domicilium Anstel/ Schonforst prius Dominorum de Schonhawen/ impræsentiarum Binsfeldianorum est, domus de Güsten cuius nominis stirps masculini sexus, (ad quam spectasse aiunt toparchiam de Güsten in tractu Iuliæ,) longo æuo absumpta est, Grünsfeldt & Dullart ædes primùm ad eius nominis familias, postea istæ ad Anstenradios hæ ad Dominos de Alstorff pertransiêre, simili modo habitacula Hochkirchen/im Hag/ in den Sandel/ Schaffsberg/ Drimborn/ Bischoffstaff eiusdem nominis familiarum fuêre, sunt & aliæ quæ partim interciderunt, partim adhuc supersunt priscæ prosapiæ Aquis ac in viciniis celebres Rodenberg/ Moritz/ Zeitel/ Seggeradt/ von Pont/ Eychhorn/ Beissel/ Colyn/ Streithagen / Doppelstein/ Bulart/ Corits seu Coris/ Hairen/ von Bertolff qui dicuntur Beluen/ Ellerborn/ Wilder seu Wylre/ Stommel/ Bock Harman/ &c. patritias stirpes lubens volens prætereo è quarum vna Richterich inclarescere cœpere Schetz modo Barones de Grobendonck/ quorum domicilium populari dictione das Kelmiß Hauß indigitatum modo, quod est ad lapidem calaminarem: patritii etiam generis semetipsum nuncupat Iudocus Beisselius Aquensis I.V. Professor scribens anno 1494. ex Aquisgrani Rosarium de S. Anna ad R. P. D. Ioannem Trithemium Abb. Spanhemensem, quod legere est in R. P. Busæi è S I. Theologi paralipo. opuscul. Ioannis Trithemii, &c. hæ progenies Aquis vel prognatæ seu titulis auctæ scabinale Collegium sena-

torumque ordinem in statu vrbis florentissimo, vrbis dico per optimates rectæ olim illustrârunt.

Cæterum inclytę huius ciuitatis Scabini, Imperii sacri Iudices censentur, numero decem & quatuor duplicato septemuiratu, gaudentes libertate sese inuicem Legendi cooprandique etiamsi ad integritatem numeri præfati in vicem deficientium demortuorum Pater, filius, ac nepos simul, vel duo germani adlegerentur, vtramque prærogatiuam instrumentis desuper datis Fridericus eius nominis Tertius gratiosè indulsit, hanc anno gratiæ 1454. illam 1473. quæ duæ à Ferdinando Rom. Imp. semper Augusto nouo munimine sunt roboratæ eiusque insertæ confirmatorio diplomati: Ad iudicium memoratum omnibus omnino citra Alpes Italiæ ab iniquè lata causæ decisione prouocare fas est, quod insigne immunitatis Carulus Quartus Imperator tabulis nouis sedi Aquensi communitatique impartitis confirmauit, datis Metis ann. Dom. 1356. Indictione Nona, 5. Kal. Dec. Et quoniam Aquisgranum (inquit) vbi primò Reges Romanorũ initiantur & coronantur omnes prouincias & ciuitates post Romam dignitate & honoris prærogatiua præcellit, congruum & rationabile est vt exemplo Domni & Sancti Karoli aliorumq; prædecessorũ Imperatorum & Regum eundem locum & sedem Regalem Aquensem & omnes inhabitantes ibidem Imperialis defensionis & nostræ clementiæ priuilegiis, libertatibus & bonarum consuetudinum cõseruatione quasi muro & turribus muniamus &c. specialiter autem hac libertate, quod si in aliquibus ciuitate, oppido, communitate aut villa in Imperio ab ista parte citra alpes Italiæ aliqua sententia in iudicio &c. fuerit promulgata ab ea vti nulla seu iniqua ad nostros & Imperii sacri fideles Scabinos Aquenses & ad competentes præfatæ sedis Regalis Iudices legitimè prouocari possit ad iustitiæ complementum habendum. &c. Hoc turbido sæculo quo bellum & hæresis priscas leges tollit inuertitq; conquiescunt complures, prouocant attamen etiamnunc Aquas ciuitates nonnullæ è quarum numero est Imperialis Vrbs Nouiomagum quæ quotannis modicũ aliquid tributi pendere huic consueuerat, chirothecam pipere refertam: comitatus Toparchiæ, vici plurimi hodieque hic ius extremum operiuntur, iudicia feudalia sex hoc Aquense sub se comprehendit.

In præsentiarum moderatio ciuica talis vt numerare sit lectos senatores duodeuiginti duos ciuiũ Magistros actu præsidentes guber-

naculaque tenentes, vtriq; annalis potestas duntaxat, incipiens memoria Diui Vrbani alterum è consessu scabinali ex patritiis & equestris ordinis viris aggregato, alterum è ciuicis tribubus (quarum decē & quatuor) adscitum, duos cōsules abiuntes & functione sua defunctos, octo primarios officiatos, Nouiviros sex receptores expositoresque vectigalis, his iuncti sex & viginti ex quauis populari tribu adlecti complent Reipublicæ formam: fit autem quotannis instauratio Magistratus, pridie Diui Ioan. Baptistæ tribubus præsentantibus personas succedentes in loca abiuntium; cæteroquin in arduis causis & capitalibus animaduersionibus amplus senatus ex personis centum viginti & octo conflatus agi solet, desuperque ius dicere; quoties verò enatusconsulti stata indictaque dies, præcedere actio lyturgica diuinaque hostia immolari in camera consulatus ab antiquo consueuit, quod Bonifacius IX. S. Rom. Eccles. Pontifex an. Pontificatus sui tertiodecimo Aquensibus indulsit: Præsidem ac aduocatum antiquitus, Maiestas Cæsarea immediatè præficiebat, hac porro tempestate Serenissimi Iuliæ Duces: & hæc ciuilis administratio, religiosa alia, aliud tribunal Ecclesiasticum seu synodale, cui Archipresbyter nuncupatus pastor S. Foilani ex Senatu Ecclesiastico Canonicorum Augustæ Basilicæ lectus ad instar capitis præsidet pro tribunali sedens ac ius reddens, cuius quidem iudicii præsidem præsentandi Archidiacono Hasbaniæ penes Iuliacum Ducem residet potestas, ex quo aduocatia villicationisq; munus in Aquis illi impignoratum; in more prisco positum fuit hodieq; perseuerat vt deducatur hic præses prius ad summam ædem Decano & seniore Canonico comitibus vbi sub corona pensili perampla præmissis oratione votisque præsentationis & institutionis tabulæ perleguntur, quàm ad Diui Foilani transitum faciens coram corona synodalium veteri ritu inauguretur, sacramētumque dicat, hac vti reor ex causa quod in principe æde obita pridem parœcialia munia nempe in superiori templi testudine; adsessores scabinosque quatuor Rectores & ordinarios vrbis pastores, ac septem laicos indigenas iudex adsciscit, horum tamen suffragia in causis Ecclesiasticis consultiua, in mixtis vero etiam decisiua censentur; sub simulachro saxeo Deiferam referente versus orientem solem ad extimum Regalis Ecclesiæ murum olim probri collocata instrumenta, hoc est scalæ, vnci, vincula ferrea ac cippi quibus colla pedesque perditorum ac facinorosorum stringebantur imperato Plebani

maioris

maioris Parœciique ac iudicij synodalis sententia, Innocentius IV. S. R. E. Pontifex ad instantiam Wilhelmi Hollandiæ Comitis Romanorum Regis incolis Aquensibus anno gratiæ MCCLII. indultũ speciali gratia est impartitus quo fruerentur quamdiu in deuotione Ecclesiæ perseuerarent, vt non queant extra muros vrbis per Apostolicas vel legatorum Apostolicæ sedis literas ad iudicium euocari, cõueniri, aut compelli dummodo coram Plebano suo, seu alijs competentibus iudicibus infra muros exhibeant de conquerentibus iustitiæ complementum, quæ quidem prærogatiua non euocandi nec arresto detinendi à Carolo eius nominis IV. & Sigismundo Augustis confirmationis robur accepit: Innocentius VIII. P. M. authoritate Apostolica & ex certa scientia approbat diplomate desuper dato anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo duo de nonagesimo, quarto Idus Martij quod Archipresbyter Pastor nuncupatus, Diui Foilani regalis Vrbis Aquensis itemque quatuor Rectores & Pastores appellati S. Petri, S. Iacobi, S. Adalberti & S. Ioannis Parochialium Ecclesiarum ac alii scabini laici synodales prout à tanto tempore citra cuius initii seu contrarii memoria hominum nõ existebat omnimodam iurisdictionem, cognitionem & correctionem, in laicos oppidi memorati habere & exercere consueuerant, habeant & exerceant, in causis videlicet testamentorum, decimarũ, matrimonialibus aliisque certis casibus, excessibus, criminibus, delictis &c. teneanturque laici coràm de iustitia respondere.

Insinuatum prius Aquas Graneas fuisse Imperii regnique Gallici, & Transalpinæ Galliæ caput, quorum alterum euincunt nonnullæ è viis publicis nuncupationes indigenæ & populares, vsque huc vsitatæ gallicanum idioma redolentes, ditiones siquidem hæ Germania secunda, Francia Teutonica quondam appellatæ fuêre, & in his consedêre Franci cum vxoribus ac liberis, post victoriam de Alemannis ad Tolbiacum vicum adeptam; atque Franci Teutones dicebantur, qui vtraque lingua gallicè Teutonicèque loquerentur: alterum exstat oblongis aureis litteris extrinsecus versus forum palatio amplissimo ac curiæ iudiciariæ Aquensi ad principalem accessum ingressumque per hoc Hexastichon scriptum. *Rhenanus.*

Karolus insignem reddens hanc condidit vrbem
Quam libertauit post Romam constituendo

Quod sit trans Alpes hic semper Regia sedes
Vt caput vrbs cuncta colat hanc & Gallia tota
Gaudet Aquisgranum præ cunctis munere clarum
Quæ prius Imperij Reges nunc laureat almi.

Similis verborum sensus habetur ad dexteram ascensus alterius superliminari portæ eiusdem palatij itidem expressus.

HIC SEDES TRANS ALPES HABEATVR CAPVT OMNIVM CIVITATVM ET PROVINCIARVM GALLIÆ.

Multos libido incessit strictè ac pressè sumendi nomen Galliæ Regnique Gallici, tam in his elogijs, quam sanctione Magni Karoli primæua ac priuilegiaria, non comprehendendo Germaniam sub Gallia, vt eò plausibilius fastus populo venditent, dum suum genitale solum Alemaniæ, Aquisgranum Galliæ caput comminiscuntur, sed nodum in scirpo enodi quærunt; quid enim commouisset Karolum differenter loqui de statu regnorum suorum quam suo æuo erat; quo Germania sub Gallia transalpina complectebatur atque vtraque Francia indigitabatur, discriminatio quippe vnius ab altera vti nunc est demum sub Saxonum Ducibus ad Imperij culmen sublimatis exordita est: dein si solarum Gallicanarum vrbium caput intendat, cohærenter Reges Francigenæ duntaxat Aquis Regno initiandi forent, quod in indulto Karoli consequentibus verbis reluctatur: *iure dehinc Imperatoriam Maiestatem Romæ plenius assequerentur*: accedit quod Karolus disertè pronunciet, *acciui ad solenne dedicationis Principes Italiæ, Saxoniæ, Bauariæ, Alemaniæ, vtriusque Franciæ, in omnibus voto & desiderio meo obsequentes, meruique ab istis obtinere, vt in templo eodem* (Aquensi:) *Sedes Regia locaretur, & locus* Regalis *& caput Galliæ trans Alpes haberetur, &c.* cur in suffragium & subscriptionem voluntatis suæ Alemaniæ Principes requisisset, prius Karolus in attribuendis honorum insignibus vrbi, quæ ad Gallicas ditiones præcisè spectasset? solius Galliæ Ducum adsensus suffecisset: ad extremum cuncti Cæsares succedanei, primus præ-

sertim

ſertim Fridericus, & eum conſequentes, hoc Karoli diploma, pro vero ac germano agnoſcunt & in Tabulis indultorum, huic vrbi conceſſorum, ita generatim ea verba intelligunt, quandoque illis ipſis quandoque dilucidioribus verbis vſi; Fridericus Aquiſgranum caput ciuitatum compellat, componitque vrbem gemmæ in capite coronæ rutilanti, vrbem inquam, quam ſignanter caput & Sedem Regni Theutonici pronuntiat, quis autem ſanæ mentis Teutonos pro Gallis, aut certè principaliter pro Gallis ſumpſerit, cum præcipuum Germanorum Regnum pridem fuerit ad Oceanum Septentrionalem illicq; Teutonorum Sedes inclytæ gentis, quibus ipſe Tuiſcon olim imperaſſe perhibetur: cæteri Auguſti vocârunt Aquiſgranum Regiam Karoli & Regum Romanorum ſedem, vel ſedem & caput ſolij ſui, ſeu caput Regni Romanorum cis Alpes, aut caput Vrbium poſt Romam, ſiue præcipuam poſt alpes Regiam ſedem prout Otto Primus in ſuo diplomate, extantque numiſmata circumſcripta AQVISGRANVM CAPVT ORBIS, eapropter tot Diuis glorioſiſque Imperatoribus ſubſcribam potius, ſub his conquieſcam tutius qui leges ferunt, edicta reſcribunt, eademque ſi neceſſum aperto ac candido ingenio explicatiora reddunt, quam neotericis ſcriptoribus plus æquo in hoc fortè ſapere volentibus adſtipulator, ſtabitque inconcuſſa veritas Karolum & priſcos omnes in præconijs & eloquijs Vrbis, ſub Gallia Germaniam prout æuo Karolino fuit comprehendiſſe, eſſeque ac dici Aquaſgraneas caput ciuitatum Gallicanarum pariter ac Germanarum.

Haud multum differens eſt à prioribus verſus ædificio publico antiquato prætorio ad forum piſcarium ſito anno Domini 1267. Regnante rege Richardo inciſus qui initialis eſt hymni Eccleſiaſtici Diuo Karolo ſacri

Vrbs Aquenſis, Vrbs Regalis,
Regni Sedes Principalis
Prima Regum Curia.

Corn. Kemp. de orig. Frisia.

Hoc in loco olim palatium Frisiorum constructum fuisse sunt qui adseuerant, attestante Kempio Frisios insigni opera præstita Karolo Magno, quando Romanos Leoni tertio rebelles domuit, victricibus armis domum rediuntes Coloniæ portam vnam & Aquisgrani palatium benè ornatum cōstruxisse nuncupatū palatium Frisiorum, sed fides penes illos esto, nos certiorib. firmiori pede insistemus, viginti & octo videlicet rusticanos vicos huic telluri subdi, in cliuis ad occasum vrbis Cadmiæ genus effodi vel lapidem ærosum & Calaminarem, quo æs ad auri colorem tingitur, meridiem versus plumbi & ferri fodinas, ad orientem vstibilium carbonum; quos lithanthraces vocant, horum tamen metallicorum fumos & aquarum naturalibus venis calentium vapores nequicquam officere aeris salubritati, vel his vel colliminijs locis argumento sunt homines ad inclinatam vsque senectam prouehi & infrequenter hunc tractum pestifera contagionis grauitate æstuare: demirari assolent complures aeris terræque discrimen maximum inter vrbes exiguis spatiis dissitas sex nempe circiter miliarium Aquas Graneas & Leodicum sub eodem tamen cœli climate sitas, quod in hac æstiui menses temporius fruges fructusque maturent; magis memorabilis est morum, naturarum, linguæ ac legum in vtriusque incolis & accolis discrepantia, sed huius causas in vniuersitatis Architecto quis penitius perscrutatus est? exporriget is demum frontem animumque dilatabit, qui oculis vsurpauerit gratissimam collium planitieique varietatem iuxtà ac venustatem à Deo & natura Aquisgrano inditam, illinc pinguia prata alendo pecori distenta, & pascua lętissima, hic lucos & syluestres vmbras, segetes ibi frugumque feraces glebas, alibi arboreta luxuriantia fructibus, viridariaque comis suis oculos perstringentia ac floribus intexta, ab illis oris montes, ab his fontium perennium, quâ calidorum, quâ frigidorum scaturigines subiecta inebriantes arua, & inter has incredibili situs amœnitate vrbem Regalem Aquensem prominere, verissimè ac scitissimè occinet talis quispiam cum Poeta Graphæo

En cernis apricis
Collibus impositam riguis & vallibus vrbem
Et liquidos fontes passim per prata per arua

Læta,

Lata, soporifero manantes murmure? lymphis
Agmina Nympharum vitreis mersare natantum
Corpora? perpetuo hæc dicas viridantia Tempe
Aspice Aquisgranum est: hic Karole Mausolæum
Conspicitur ter Magne tuum: hic diademata Prima
Magnanimi accipiunt genus alto à sanguine Diuûm
Induperatores acri quæ sulphure fumant
Hæc loca sunt calidis Thermæ de fontibus ortæ
AEgra salutifero reparantes corpora Thermæ
Flumine, victa lue, & varijs exercita morbis.

NOMEN AVGVSTAE domus primitus & nunc vsurpatum, fundatio primæua viginti Regularium Canonicorum, inauctusq́ eorum numerus, qui ex his eorundemq́ Præpositis infulis clari Episcopalibus.

Caput secundum.

ANTIQVITVS oratorij Sanctæ Mariæ nomine indigitata est hæc Ecclesia, Cæsarum Pontificiaque diplomata specialem Imperatorum capellam, vel Capellam palatij sui in loco vulgari vocabulo Ahha nuncupato structam, Historiographi prisci passim Capellam appellant, signanter Aonyn u Benedictini instituti monachus in annalibus Regum Francorum in anno DCCCXXIX. *Post exactam*, inquit, *Hyemem, in ipso quadra-*

gesimali Ieiunio, paucis ante sanctum Pascha diebus Aquisgrani terræmotus noctu factus, ventusque tam vehemens coortus est vt non solum humiliores domus verum etiam ipsam Sanctæ Dei genitricis Basilicam, quam capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, ex parte non modica denudaret: sed quæ originatio nominis disquiramus.

Baron. in Mart.

Opinati sunt nonnulli dictam esse cappellam à capiendo, sicque ex Latina & Græca vocenomen esse compositum quasi capiens sed errant, potius à capratum pellibus deriuatum, quibus olim in Francia Tuguria contegebantur, quæ in militum castris ad rem diuinam faciendam & audiendam exstruebantur, per antiquum fuisse morem Tabernacula ex pellibus conficiendi, quibus milites vterentur in castris disertè Tacitus Ann. lib. 13. eiusdem artis quæ scenofactoria act. 18. appellatur, hoc est consuendi pelles pro castris & nauibus operiendis fuit D. Paulus Apostolus: scribit Durandus lib. 2. cap. 10. num. 8. dictam cappellam à cappâ S. Martini, quam religionis ergò Francorum Reges procedentes ad prælia secum portarent, sanè quidem Francicum nomen videtur cappella, *vne chappe*, hoc est tegumen; sub tentorio enim Reges Francorum in castris militaribus sacrum audire soliti erant, vnde & appellatæ cappæ Monachorum & Ecclesiasticorum, vestes scilicet templi ad talos vsque demissæ, glossa in Clem. in agro de statu Monacho: ait cappas esse dictas, quia Reges Francorum ad prælia procedentes deferendas curabant sanctorum Martyrum Reliquias & ideo tentoriolum in castris erigebant in quo sacras Reliquias reponebant, & in eo loco res diuina fiebat: vnde tentoriolum huiusmodi appellari cœpit Francico nomine Cappella, eo quod esset cappa contectum: & sacerdotes ipsius tentorioli præfecti ad sacras Reliquias piè & religiosè seruandas & sacrificia libanda atque offerenda dicti sunt cappellani, inde transiit vocabulum ad quæuis oratoria, quæ sunt dictæ cappellæ: quod autem consueuerint Francorum Reges secum deferre Sanctorum Reliquias in expeditionibus luculenter testatur epistola Carlomanni Ducis Francorum data anno Domini 742. quæ descripta habetur in Capitular. Franc. lib. 5. cap. 2. sic enim habet, seruis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hostem pergere omnino prohibemus: nisi illos tantum modo, qui propter diuinum ministerium Missarum scilicet

solemnia

ſolemnia adimplenda & ſanctorum patrocinia portanda ad hoc electis hoc eſt vnum vel duos presbyteros cum cappellanis presbyteris Princeps ſecum habeat) Gregorius Turonen. Hiſt. Fran. lib. 6 cap. 27. ſatis innuit Reges Francorum equitaſſe Sacris Sanctorum Reliquiis præcedentibus dum de Chilperico Rege pronuntiat: Reliquiis multorum Sanctorum præcedentibus vrbem ingreſſus eſt.

Prouinciale vſitatiuſq; tam maioribus quam noſtratibus nomen obtigit ſummæ Ædi, Monaſterium Sanctæ Mariæ vulgata nuncupatione Münſter, quod prius profeſſi ſint Clerici ſeruique Dei arctiorem regulæ obſeruantiam in clauſtro habitantes vno dormitorio vſi, vnoque refectorio quo facilius poſſent ad horas canonicas celebrandas concurrere, de vita ac conuerſatione ſua mutuo admoneri canonicique id eſt regulares ad exemplum & imitationem græcorum indigitabantur, eorum ſuperior Abbas, ac eiuſmodi ordo Canonicorum regularium qui hoc in Monaſterio primitùs viguit ab Apoſtolis ipſis primum inſtitutus, à Diuo Auguſtino poſtmodum ad certam regulam redactus fuit, ob idque retinuit nomen Canonicus quaſi Apoſtolorum naſcentiſque Eccleſiæ miniſtrorum Canonem & regulam obſeruans, vtpote quorum erat cor vnum & anima vna, qui quotidie perdurantes vnanimiter in templo & frangentes circa domos panem ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum & habentes gratiam ad omnem plebem; Poſſidonius Epiſcopus calamenſis Diui Auguſtini diſcipulus in vita eius cap. 5 ſic ait, factus ergo Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit ſecundum modum & Regulam ſub SS. Apoſtolis conſtitutam, maximè vt nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia & diſtribueretur vnicuique prout cuique opus erat) reflorere cœpit idem ordo in Eccleſia S. Quintini Beluacenſis ſub Venerabili & Sancto Iuone eiuſdem Eccleſiæ Præpoſito & poſtea Carnotenſi Epiſcopo; vnde plerique Scriptores colligunt ordinem Canonicum inter omnes Eccleſiaſticos ordines primatum tenere, antiquitate, doctrina, regimine, nobilitate, & Sanctorum numero, ſermo vero eis eſt de ordine Canonicorum Regularium; ſub tam præſtanti inſtituto fratres antiquitus in Aquiſgrani Deo dignè famula-

Act. 2 & 4.

Vincent. in ſpec. hiſt. lib. 26. c. 51.

bantur, extant hodieque in Basilica nac precum ad bonorum omniū auctorem ac largitorem D. um fusarum formulæ psalmodiæ nempe versus & collectæ quibus vsus Abbas in receptione fratrum, insuper consimiles ob estationes in danda pera & baculo itinerantibus fratribus, quas breuitatis memor missas facio, indicant itidem haud obscurè regularem disciplinam quæ reseruata in nostram vsque ætatem nomina, dormitorium, populari dictione, der dormiter/in cuius concameratione arcuato ac prisco opere ligneo nunquam visæ araneæ earumue telæ; molendinum fratrum der bruder mollen/ad hæc vsus à claustrali regula ad hoc vsque æuum dimanauit vt nemini canonicæ professionis hoc tempore ex vrbe soloque Aquense alio digredi fas sit, nisi prius à Decano collegaue aliundi postulata ac indulta potestas, animaduersione in contemptores decreta: reliqua institutum regulare sapientia, nimirum venia delicti petenda prostrato in terris corpore, expansis brachijs, carcer quadraginta dierum ob reatum criminis inobedientiamque, absolutiones pœnitentis per solemnes precationes, eiuscemodi inquam irrogatæ quondam pœnæ expiationesque à peccatorum nexibus exulant planè pureque suppressæ: atque sicut complures aliarum Ecclesiarum Canonici iam dudum antea regularia insti uta deseruerant, videlicet in Treuirorum Augusta Feste Tritenhemio Spanheimiensi Abbate, religiosi maioris templi S. Petri & Diui Paulini sub Præsulatu Theoderici anno circiter DCCCCLXVI. Spirensium Canonici sub Balderico Antistite Maguntinorum & Vangionum itidem communitatem vitæ regularis abiecerant, ita exemplo istorum aliorumque, sub Otthone Tertio Imperatore & Norgero Eburonum Pontifice Aquenses fratres remissiores facti professionem regularem deseruerunt proprietari bonorum temporalium inhiantes, cum iam pridem antea sub Otthone eius nominis Primo Imperatore nomen sibi immutare, vice religiosi seu monachi Canonici simpliciter & sine adiunctione, eorum superior mutato Abbatis nomine Præpositus iam tunc nuncupari cœpissent: de hoc Molanus Monasterium S. Mariæ dicta est Ecclesia Aquensis à maioribus eo quod viginti clerici à Karolo Magno instituti regulariter & canonice in ea vixerint sub obedientia, in communi, intra claustrum simul manducantes & dormientes iuxta statuta Concilij Magontiacensis sub Karolo Magno celebrati, sed hoc suaue iugum sibi vt Moguntini & plerique alij excusserunt sub Otthone

Tertio

Tertio & Notgero Episcopo suo qui regulares clericos viginti conuerterunt in viginti octo Canonicos proprietarios, quoniam id temporum eorum malitiam exigere iudicabant. Refert Gaguinus tempore Caroli calui Reg s Ecclesiam D. Martini Turonensis multis abundantem opibus similiter transi sse in sæcularem cuius temeritatis Canonici mox pœnas luerunt, nam missa in eos cœlitùs pestilentia omnes (præter vnum vedastum qui in numerum Sanctorum relatus est ac nomini eius ibidem sacellum dicatum) extincti fuêre; quo facto audito Canonici Diui Martialis Lemouicensis relicto sæculari habitu se ad monast cam vitam rursus conuerterunt, sed quia vel plagæ non semper diuinitus immissæ, aut ad eas correctio minimè sequuta, viuendique ratio laxior non coarctata ideo Libentibus annis plura collegia cupiditatis & proprietatis studio communem illam & claustralem viuendi normam abiecere, ob id D. Bernardus pietate ac doctrina clarus annis centum circiter post illa tempora sermonem faciens de statu clericorum & Canonicorum super verbis Apostolorum Principis, Ecce nos reliquimus omnia, adeo inuehitur ac exagitat nimiam licentiam vitæ canonicalis vt nesciat quo ordine eos collocet siue in hac vita siue in futura, idem Bernardus ad Fulconem puerum postea Lingonensem Archidiaconũ, conceditur ergo tibi vt si benè deseruis (altario) de altario viuas, non autem, vt de altario luxurieris, vt de altario superbias, vt inde compares tibi frœna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea à collo & manibus ornatu purpureo diuersificata, denique quicquid præter victum ac simplicem vestitum de altario retines tuum non est, rapina est sacrilegium est; Albinus vero flaccus canonicos huiusmodi acephalos hoc est sine capite nuncupabat, ea propter sollicitè prouideant canonici huius æui ne isti ordini aggregentur, neue sint sine capite religionis, caueant inquam ne sint regulares per antiphrasin, quasi secundum canones & regulas illis ad rectè viuendum à Pôtificibus & concilijs præscriptas minimè viuentes, expendant sedulò mortem esse in ollis carnium & delitiarum. populi esse peccata, seu pretia peccatorum, vota fidelium & patrimonia pauperum quæ comedunt: sed regredior ad id qualiter recesserint Canonici Aquensis Basilicæ à communitate viuendi, Codex Monasterij quod auream vallem vocant à Molani narratione nonnihil discrepans certissimè sic ait Anno Domini millesimo primo Otto Tertius Imperator filius

Rob Gagu in hist. Reg. Franc. li 5.

Lib. de diuin. offi.

Eodem habet vita Notgeri

Ottonis secundi & Dominicæ Theophaniæ Imperatricis expeditionem iam Tertio mouens in Italiam contra rebellantes Romanos prius sub actis hostibus veneno à muliere dato vita decessit quinto Kalend. Febr. Anno Regni & Imperij eius decimo septimo corpus eius Aquisgrani ante Altare Sanctæ Mariæ in Choro conditum est, vbi & ipse Dominus Notgerus tutor eius vigintiocto canonicos partim de suis prædijs partim de reditibus Ecclesiæ caprei montis constituit & addidit, quia in dicta Aquensi Ecclesia postquam vastata extitit à Nortmannis non erant nisi duodecim & sic modo in ea sunt quadraginta, cum S. Karolus qui eam fundauit, dicatur viginti clericos qui Domino suæque genitrici nocte ac die sub regula Beati Augustini Episcopi in ea seruirent statuisse.

Specialius qualiter incrementum illud Basilica Aquensis sumpserit declaratur in gestis Pontificum Tungrorum seu Leodiensium: Notgerus vel iuxta alios Rogerus Nobilis fuit Sueuus, qui ad regimé Leodiensis Ecclesiæ assumptus est quando ciuitas ipsa adhuc parua erat castri adiacentis capræ montis eruptionibus & iniurijs subiacens, erat hoc castrum accessu difficile tantaque turrium & murorum munitione firmatum vt nullius obsidionis paueret incursus, inhabitabatque idipsum ex nobilissima Francorum descendens prosapia Princeps qui cum Notgerum Antistitem requireret vt filium sibi natum sacro Baptismatis lauacro immergeret, sapienter Præsul cogitauit hac occasione posse finem dari incursionibus & calamitatibus hactenus perpessis quocirca milites, loricis & gladiis armari iubet & habitu clericali desuper indui sicq; ordinatæ processionis instar Episcopus totius cleri stipatus agmine veluti Baptizaturus infantem castrum capræ montis introducitur, ab Immone munitum Anno 960. mox abiecto clericali habitu mœnia domosque subuertunt, & suæ potestatis faciunt, erant in eodem castro captini montis tres Ecclesiæ in quarum vna in honore B. Mariæ duodecim Presbyteri erant deputati quorum decimas & reditus præbendales post oppidi excidium ad Ecclesiam B. Mariæ Aquisgrani Notgerus de consensu Otthonis Tertij (cui director & tutor datus fuerat) transtulit, & quot clerici ibi prius habebantur, tot in eadem Ecclesia superaddidit: hinc igitur est quod ditio illa caprei montis, vtpote consensione Imperatoris Otthonis à Karoli Magni prosa-

pia, Zwendeboldi posteritate occidentalibus Franciæ Regibus (qui Imperium rursus affectantes potissimum verò auito iure sibi vindicantes Lotharingiam, quæque vna ferè perpetuum dissidiorum fomitem præbebat, Imperatores sub id temporis Saxones bellis frequentibus lacessebant) ablata, & Basilicæ Aquensi taliter qualiter Francigenæ eam possederant attributa; vsque huc Cæsarij Iuris manserit, atque abinde in hanc vsque ætatem territorij Caprimontensis Aduocatia seu villicatio à Senatu Canonicorum huius Basilicæ haud interrupta serie sit recepta, ac prout vsus hodie loquendi incessit releuata, penes quem semper mansit gladii potestas, præfecturaque Iustitiæ, hoc est, Scabinorum, Iudicum, Baliui, præsidisque loci institutio, atque ab iniquè lata per eos decisiua sententia ad sedem Regalem Aquensem prouocatio continuata est in hanc vsque ætatem; huius capreimontis & fleronensis territorii toparchiam ac Ius Senatus Ecclesiasticus Principis ædis in Aquis in Illustrem Generosum ac strenuum D.D. Carolum de Longeual Comitem de Busquoy Baronem de Vaulx equitem aurei Velleris accedente assensu Apostolici Pauli Papæ V. an. 1610. transtulit. Signanter Imperialem Iurisdictionem dictis in partibus innuit Anselmus in gestis Pontif. Leodicensium lib. 2. cap. 25. quæ omnia (inquit de Notgero) cum post ipsius oppidi excidium in suas Ecclesiæque vtilitates potuisset retrorsisse (quippe qui & Antistes eius diœceseos foret, & in palatio Othonis Tertii, adhuc pueri inter primos consiliarios:) simul vt à loco suo inuidiam facti transferret, maluit sedem Regiam honorare his, quæ prius ad memoratum oppidum erant appenditia) Aquas graneas sub Lotharingia tunc comprehensas, Lotharingiam etiam tum ante assignatam Imperio Historici abundè posterita i consecrarunt, similiter ex iisdem planum fit, conflictasse sub ea tempora non infrequenter Reges Franciæ contra Imperatores comprimis Otthones: Carolus simplex Occidentalis Franciæ Rex contra Conradum Cæsarem, Anno post Christum natum 914. cessit demum Lotharingia Carolus, fœdusque cum Henrico condicto Aucupe Imperatore percussit, Episcopis & Comitibus vtrimque rem Iureiurando confirmantibus, Sigiberto contestante; addit Regino promisisse Carolum nunquam se Regnum Lothariense sibi vsurpaturum:

Ludouicus Galliarum Rex vna cum Gisleberto Duce Ottonem Magnum Aucupis filium hostiliter est aggressus sub obtentu recipiendi regni Lothariensis ideoque Otto primus Capellam Domini Ludouici Pij Imperatoris instar Aquensis inceptam in villa Theodonis ne perficeretur, vel pro munimine haberetur, destruxit; spe inanissima delusus Ludouicus cum suis bello succubuit, cessitque & hic Anno 944. Regno Lotharingiæ, iuncto sacramento, sic Otto Magnus Præfecturam eius regni sororij filio Henrico, deinde genero suo Cōrado, demum Brunoni fratri Archiepiscopo Coloniensi tradidit, quoadusque ad Ottonem Secundum cum imperio regnum Lotharij deuenit, id porro cum Lotharius seu Luitherus occidentalis Franciæ Rex Consobrinus Ottonis tandem recuperare instituisset, exercitūque de improuiso adducto ad Aquas Graneas: (vbi in palatio suo Imperator Ottho cum coniuge morabatur teste Crantzio in Sax.) eamque vrbem Cæsare nihil hostile prospiciente cœpisset derepente; atque per triduum possedisset Imperator cum familia fugiendo elapsus festinato contractis copijs rursus Lotharium cedere Aquisgrano compulit, insecutus etiam vsque ad Lutetiam Parisiorum populabundus regnum eius ingenti clade affecit, deinde ad carum amnem congressi Reges pacificantur, datis inuicem sacramentis, Lotharingiam Rex Lotharius abiurauit, inquit Sigebertus Anno Christi 980. referunt eandem rem Regino, Antoninus, Schafnaburgensis, Auentinus & alii.

Regino in Chro. an. 939.

Ex prælibatis conciliatio diuersorum scriptorum super augmento præbendarum Augustæ Aquensis domus haud grauatim perspicitur, nempe post cladem septentrionalis populi remansisse præbendales, reditus duodecim quibus Otto 3. Imp. & Notgerus Præsul ad diuini cultus incrementum tam de suis prædiis quam decimis ex monte Caprino desumptis viginti & octo superaddidere, qua accessione Canonicorum numerus cum aliis primitus fundatis ad sacrum quadragesimum eundemque sanctissimum numerum excreuit. Nec verò hoc solummodo Aquensis Basilica, Notgero XLVI. Tungrorum Præsuli debet, quia & ipsius laudibus ad scribendum vnum ex eius discipulis Otbertum Aquensium Clericorum vitam tunc perniciosè licenti contagio deprauatam ad Sanctæ religionis statum reduxisse: Sextus itidem à Notgero Antistes in ordine secundus supra quinquagesimum dictus Wazo inter optimè meritos de

Chapiauille in gestis Tong. Pontif.

Aquensi

Aquensi tenure reputandus erit, anno 1046. Rege Alemannorum Henrico quarto necdum ad Imperij culmen sublimato, Romam totius Germaniæ Ducum Comitum, cæterorumque Nobilium roboris comitatu proficiscente, cum hac opportunitate Francica Nobilitas Regi suo suggereret vt Aquense oppidum quod quondam iuris Francici fuerat sibi rursus subijceret, militem Rege iam tum cogente copiasque scribente vt Aquisgranum expugnaret memoratus Wazo prudentia ac sagacitate ingenij animum Regis à suscepto bello diuertit.

Comperto quo tempore in Basilica Aquensi Deo deseruientium numerus vsque ad quadragenarium completus est, liqueat etiam quando & quot portiones canonicæ suppressæ: sæuiente primo nostræ ætatis hæreticorum turbine anno humanæ salutis MDLXVIII cum Wilhelmi Auraïci gentis Nassouiæ copiæ essent in Gulpen locisque finitimis cuncta depopularentur, ipse cum aliquot exercitus sui Ducibus apud Aquas constitutus Ciues Aquenses blandè pro mutui datione sollicitat, se quidem inuitum facere vt Imperii Germanici amicis clientibus optimè de se suisque meritis non vsui sed oneri esse cogatur, verum impellente necessitate aliter facere non posse, militem graui commeatus defectu premi; illorum vires paulatim elanguescere, nisi persoluto stipendio progredi nolle, suis Ducibus obstrepere, tumultum aut defectionem vereri, bona fide se suo tempore mutui accepti summam ad extremum quadrantem refusurum: per lectis literis oppidum se excusare, immunitatem obtendere, beneficia collata commemorare, ex orbitantem pecuniæ summam (poscebat siquidem quinquaginta dalerorum millia) exhorrescere: contrà rursum ille instare & vrgere, atque nisi ad statum diem imperatam numerent extrema ipsis ferro flammaque minitari; Senatus ac ciues omni militum præsidio destituti tale nihil à Germanis subuereri, volentes nolentes illius petitioni quoquo modo assentiri coacti sex & viginti dalerorum millia vna cum Canonicorum collegio numerant: hanc cladem ilico consecutæ bellicæ eiuscemodi prope innumeræ; accedebat quod refrigescente charitate oblata fidelium minuebantur; siquidem profusissimè pridem indigenæ iuxtà ac aduenæ sancta quadam æmulatione magnam vim argẽti ad vsum templi religiosumque erogabant (quod ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio ad ista vsque tempora continuatum dixerim) profusissima libe-

ralitate incolæ vrbis domicilia sua vt plurimum annuato censu adstringebant, eumque Basilicæ pendebant, vel alijs legatis ex pio animo profectis Virginem Matrem honorabant, ex qua munificentia consequutum vt cuicumque sub ista tempora à Prælato Principis huius Ecclesiæ saltem clericali habitu indulgeretur amiciri, diuinisq; assistere, is sufficientem alimoniam censeretur nactus: Deficiente isto sacrarum largitionum feruore, deseruitoribus Basilicæ, symphoniacis, cunctisque vicarias operas præstantibus qui ex meris collectis victitare assueuerant, de stipendiis menstruis ac prçstimoniis prospiciēdum erat, insuper viro alicui peterudito qui esset populo à concionibus in primaria æde, itemque gymnastæ ac Rectori Scholarum congrua sustentatio danda: iis aliisq; prægnantibus ex causis de suffragatione Pontificis Summi Gregorij XIII. in inclytam nationem Germanicam singulariter propensi suppressio octo Canonicalium portionum impetrata est, prout itidem in aliis complurimis Collegiis seu ad præstitutum temporis spatium seu in perpetuum iuxta quod vrgentia rationum momenta interuenerunt accidit, quæ quidem num in exemplum pertrahenda sint, haud facilè iudicium meum hic adposuero; hoc exploratum compertumque habeo in non paucis Germaniæ Collegiatis ac Cathedralibus vbi eiuscemodi obliteratio facta, eos qui vel maximè ad extinctionem collimârunt eoque adlaborârunt etiamsi forte pio Zelo ductos ex hisce terrenis compedibus ac compagibus corporis ad immortalitatem cito euolasse via adipiscendarum præbendarum successoribus eorum clausa, vnde colligi posset Deum cultum religiosum haudquaquam imminutum sed auctum iri velle, atque in pluribus magis quam in paucis beneplacitum esse Diuinæ Maiestati collaudari: remansere itaque in Ecclesiastico collegio primariæ ædis Aquensis duo & triginta præbendæ, octo clericorum, decem & sex Leuiticum adimplentium ordinem hoc est qui Diaconi ac Hypodiaconi muneribus fungerentur, itidemque octo Sacerdotali Charactere insignitorum qui mysticis operarentur sacris; cautum vero ac sancitum ab Apostolicis, vt si quem sacer ordo tetigerit atque is promoueri præfixo tempore ad eundem neglexerit vt certa rei frumentariç portio ei denegetur quo sic stimulus daretur ad sacros ordines promptius suscipiendos. E præscripto numero quatuor & viginti Capitularem consessum constituunt; è presbyterio initiatorum ordine vnam præbendam Regiæ ac Cæsariæ

Maiestas

Maieſtas ubi reſeruat ac ſui abſentis loco, ne O. M. Dei cultum imminui contingat, quondam vnicum hoc æuo vt duos actu Sacerdotes, actu reſidentes Vicariam operam impendentes ſurroget prouiſum, indigitantur hi Regiæ Maieſtatis Vicarii ac prouentus vnius Canonicæ portionis æqua lance inuicem partiuntur; non abſimili ratione Traiecti ad Moſam in Collegio Seruatiano Dux Brabantiæ Canonicatu potitur, ac Galliarum Rex in Collegiis Turonenſi ad D. Martinum, Andegauenſi ad S. Mauritium & Cabilonenſi vti tradit Chopinus lib. 1. tit. 4. de Sa: politia & libro de dominio Franciæ. Prælibatam allegat cauſam Bulla Martini V. Papæ ſub data Conſtantiæ XI. Kal. Maii à Collegiis Canonico & Scabinali communitateque Vrbis Aquenſis impetrata, quod cum eo loco ſit Sedes Imperij ac inaugurationis primordia fiant, Imperatorque Canonicorum albo adſcribatur de cætero nullus in Canonicum recipiatur qui ex damnato, alieno, illicitoque thoro ſit prognatus, & vt de militari honeſtoue genere ſit procreatus, atque in aliqua facultate gradu inſignitus: neque duntaxat illi acceſſus ad hoc Collegium negatur, qui in ſe originis macula notatur, verum etiam vniuerſis qui in altero vel vtroque parente labem natalium contraxerunt, ſiquidem ipſa parentum honeſtas ac virtus liberorum certiſſima ſunt ornamenta. Animatur Baſilica hæc tribus veluti vnius animæ potentijs ſeu tribus vitalibus membris Præpoſito videlicet Decano ac Cantore, ſanxit autem Otto primus Imperator vt Saluatori noſtro Ieſu Chriſto eiuſque Matri famulantes in ſua capella liberam inter ſe haberent licentiam Canonum eligendi Abbatem quem, modo (inquit Otto ſuo æuo) dicimus Præpoſitum, qui timorem Dei habeat, eoſque iuxta Canonicam regulam arguere, increpare, obſecrare & ſapiat & queat & velit, obſeruatu hoc loco non indignum iuxta locorum temporumq; diuerſitatem nomenclaturã prælatorum eorumque munia variè immutata, ſiquidem quandoq; præpoſitus idem indicabat quod Abbas, ſubinde Decanus idẽ quod prælatus, nonnunquam prælatus aliud & aliud Præpoſitus, etenim Prælatus ſeu Decanus in vitæ ſpiritualis adminiſtratione fratribus præerat, præpoſitus in procuratione exteriorum & labentium principabatur, dicebaturque alio nomine œconomus, ac quantum anteferenda ſpiritualia ſæcularibus tantum Decanus, præpoſito dignior habebatur, nunc alia differentia multis temporibus obtinuit, vt

quandoquidem Præpositus incumbit conseruare & adaugere terrenas facultates & Ecclesiasticas fundationes à Regibus & Principibus Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis impartitas, atque speculari ne eæ dilacerentur ab hoste extero, ac siquidem distraherentur vel dilaberentur illas vindicare & tueri, quam ob causam retroactis sæculis Magnatum ac procerum filios ad Præpositurarum fastigia designatos ad lectosque vidimus; ideo hoc æuo Præpositus dignitate præeminentior censetur quam Decanus. Ac ne huic Aquensi Collegio amicitiæ leges inciderentur sed eius rami potius longe lateq; sese expanderent antiqua pactione sancitum vt confratrum vinculo Traiectini ad Mosam & Werdenses hoc est ad insulam Cæsaris Canonici his nectenrentur, quibus per triduum in religione & habitu in Ecclesiæ odeio & stallo comparentibus salaria diurna, præsentias vocant penderentur, nobisq; reciproce ipsorum templa consimili habitu obiuntibus ea exsoluerentur, hinc forte à vigilantioribus eorum locorum pastoribus obseruatum vt fideles suos ad crebrius Basilicam Marianam in Aquis frequentandam præsertim recurrentibus diebus festiuioribus commonefecerint: eodem nexu sunt qui asseuerant Kerpenses & Tigurinos Canonicos in Heluetiis cum hiscè fœderari vincirique, ac ob id desciscentibus Tigurinis ad Zwinglianum dogma vnus è Canonicorum isthinc profligatorum gremio ad Aquensem Basilicam seu fidam stationem profugit, Tigurum vulgo Zürich nominatur vetustissima est in Heluetiis Vrbs, Ecclesia collegiata ibid. ex opposito Basilicæ Canonissarum pro XXIV. Canonicis in honorem SS. fœlicis Regulæ & Exuberantii fundata est circa annum septingentesimum sexagesimum, referunt nonnulli ex Alcuino Karolum Magnum tot constuxisse dotasseque Monasteria quot Alphabetum literas complectitur, hinc fecisse omnes literas Alphabeti aureas & in quauis vnam Ecclesiarum collocasse, Heluetii id ita interpretatum volunt vt prima earum sit Aach, postrema Zürich mihi tamen similiùs vero illi sentiunt qui Tigurinam Ecclesiam non à Karolo excitatam à fundamentis sed censibus, ita luculẽter inauctam circa annum 810. volunt vt quasi verus conditor ipse dici debeat ac possit. Propter summam eminentiam Aquensis Præposituræ multoties olim funestè ac acerbè disceptatum, inter collimitaneos Duces & Comites, vnicum atroxque facinus libet solùm in medium producere, ann. 1428. V. Nonar. Maij Dominus de Hinsperg suo satellitio ac famulatu sti-

Nauclerus.

patus,

Patus,infeſtis armis accinctus cito ac temerario curſu irruit in templum Virginis Matris Regiæ Vrbis Aquenſis diſploſis ſclopis in cancellationis aræ Deiparæ Virginis ſepta,intra quæ duo Sacerdotes deſtinati à Iuliæ & Montium Duce oblata fidelium recipiebant,(etenim partim ob theſaurorum altaris , partim ob cuſtodiam oblationum iam ex more priſco aſſolitus Præpoſitus duos ſibi ſacramento aſtringere qui ab ara haud longè recedant vigilanteſq; in id dirigant oculos;)ſæuitum etiam tunc in vnum è Regijs Vicarijs Reynerum de Wyle cæſim vulneratum : ex quo è veſtigio commota ciuitas temerarij furoris auſum ſedauit: Mirùm vero nemo ducet complures inhiaſſe iſti muneri eiuſdemque opimo prouentui,cùm tanto deuotionis ardore duceretur olim populus vt oblata templi quæ pro potiori parte cedebant Præpoſito in immenſum aſcenderent,numerata,proditum ab eo qui accepti & expenſi rationes reddidit, vno Iubilæi anno octuaginta florenorum aureorum millia, expenſæ porro ac onera ſub idem tempus ad quæ obſtrictus Præpoſitus , quatuor millia non exceſſerunt: neque duntaxat cuſum æs offerebatur, ſed aurum argentum non monetatum,nulla ſigni autoris vel pretii impreſſione notatum , gemmæ , equi , arma edulia & alia omnis generis promiſcuè: dixi hæc pro potiori parte obueniſſe Præpoſito, quippe lapſu temporis exorientibus differentiis inter Præpoſitum & Eccleſiaſticum Senatum circa fidelium oblata paciſcendo in varios tranſactionis articulos,itum eſt, vt templo eiuſdemque Fabricæ,ſacerdoti actionem lyturgicam operanti, aſſiſtentibuſque ſtatis temporibus ac condictis feſtiuis diebus ſua competerent: Præfatarum fortè oblationum commodo & eminentis prælaturæ excellentia,quondam Duces Comites Proceres continuata ſerie ad noſtrum vſque hoc ſæculum id muneris obiuere & ambiuere,nouiſſimus illuſtribus prognatus natalibus in hac dignitate refulſit Henricus Boiariæ Dux qui circa annum diuini Natalis MDXXIV. ad Præſulatum Vltraiectinæ Eccleſiæ euectus,in nobilem virum Ioannem à Vlatten,hunc honorem contulit,qui idem propter eximia merita auctus eſt Præpoſitura Craneburgenſi & Carpenſi, fuitque illuſtriſſimo Principi Guilielmo Duci Iuliæ à conſiliis, eiuſdemque Cancellarius vir variis negotiis exercitus & legationibus plurimis obiundis probatus; cui Eraſmus Rot. ſuo æuo vtri claro perſæpè litterario ſtylo ſalutem impertiit,huic diem obiunti, admodum adoleſcens ſurro-

gatus est Henricus à Vlatten in eiusdem dignitatis titulo qui etiamnum superstes: Enimuero hoc turbido tempore remanentibus sumptibus ac expendiis ad quæ Præpositus obstringitur, remisso autem oblationum feruore, peneque deficiente, dum quiuis ad priuatum, quæstum calet ac callet, cessat præsens periculum ambitus, inter principes viros ad dignitatis huius templi fastigium.

Bruschius. Prodierunt ex celebri collegio insignis Basilicæ Aquensis viri Episcopalibus infulis clari spectatiq; Arnoldum nobilem à Salenhouen aut Selehouen à Ringauia natum virum sapientia, ingenij acumine, facundia & humanitate perinsignem Decanum Aquisgranensem Collegii S. Petri Moguntiæ Præpositum & ciuitatis eiusdem Camerarium, Friderici primi Imperatoris à rutila ęrique assimili barba dicti Ænobarbi Cancellarium ann. MCLIII. Maguntinus Ecclesiasticus Senatus delegit sibi in Præsulem, vtpote quem Fredericus impensius amaret, verum ann. MCLX. in die S. Ioannis Baptistæ miserè à *Bruschius.* Moguntinis ciuibus incomparabili tyrannide trucidatus in cœnobio S. Iacobi, vestibusque exutus & in sterquilinium præcipitatus est, vnde à pauperibus quibusdam iterum extractus mortuus etiam per integrum triduum horribilibus modis tractatus, tandem vero à Canonicorum Collegio clam quæsitus in Vrbem portatus, & cum summo luctu terræ mandatus est in D. Virginis Collegiata Ecclesia, *M.S. Basi. Aq.* hac de causa Moguntia miserè dilacerata est ab eod. Friderico Imp. priuilegiis exuta, mœnia Vrbis diruta, fossata impleta, cœnobium in quo cædes perpetrata funditus euersum, funesti consilii authores gladio è medio sublati.

Hugo ex familia Comitum in Spanheim summi Coloniensis Colleg j Decanus ac Aquensis Basilicæ Præpositus ab Imperatore Friderico primum postulatus, dein a Capitulo anno salutis MCLVIII. electus fuit in Archiepiscopum & Electorem Agrippinatium; hic superaddidit ad præbendam fratrum Aquensium *Richterich.* decimam de Richerche, ad ornatum quoque eiusdem Marianæ ædis vestes sacras tam cum auripfrigio quam sine eo & vasa argentea contulit.

Plurimum nobilitauit Aquisgranum seculo secundo supra millesimum Cunradus Dei permissione Decanus S. Mariæ & Præpositus ad D. Adalbertum in Aquis, sanctimonia vitæ & doctrina multiiuga celebris, qui factus postmodum Episcopus Hildemshemen-

ſis, de hoc & altero Ioanne Scolaſtico Xantenſe Molanus perhibet, quod his viris ſanctis prædicantibus cruce ſe pro liberatione terræ ſanctæ ſignârunt ad profligandos Saracenos Fridericus REX ROmanorum, Sifridus Epiſcopus MAGUNTINUS, Henricus Dux Brabantiæ, & vtriuſque ordinis alii complures: Idem Cunradus omnem poſſeſſionem quam coemerat in pago Cennesdorp infra terminos de Sinceke pro remedio animæ ſuæ & parentum ſuorum tradidit Eccleſiis S. MARIÆ, & S. Adalberti in Aquis & MONASTERIO S. Ioannis in Porceto, vt dilucidum fit ex diplomate deſuper acto anno Dominicæ Incarnationis MCXCII. Cæſarius Heiſterbacenſis ex quadam reuelatione clarum facit, Cunradum hunc Antiſtitem Hildinshemenſem innocenter enectum, iuſtorum ſpiritibus aſſociatum. Sinzich.

Ob ſummam eruditionem iuxta prudentiam Anno 1298. Wichboldus Baro de ſtirpe ab Holte Weſtphalus ex Decano Colonienſi & Præpoſito Aquiſgranenſium ad Epiſcopatum Colonienſem delectus eſt.

Neque præteriundus Hermannus Lantgrauius Haſſiæ, qui dum prius Præpoſituram Aquenſem & S. Gereonis apud Agrippinam adminiſtraſſet Anno ſalutis 1480. fit Archipræſul ac Elector Vbiorum.

Henricus Comitis Palatini Electoris ac Ducis Boiariæ filius prius præpoſituræ Aquenſi ac Coadiutoriæ Præſulatus Wormatienſis incubuit, quam ad gubernacula Vltraiectenſis Epiſcopatus ſuſciperetur, cui Diœceſi præfuit annis quatuor, ſiquidem anno MDXXIV. à fratre Germano Comite Palatino Aquiſgrano Vltraiectum deductus eſt comitante eum honoris cauſa XLIV. equis Vicepræpoſito in Aquis D. Nicolao Huin de Anſtenrolde, præter complures ſpontaneos comites ex ipſa ciuitate effuſos qui ad maiorem ſplendorem purpureo habitu ſeſe ornauerant.

Cùm aduerteret prudentiſſimus hic Præſul incommoda plurima ac detrimenta prædeceſſoribus, ſibi, ſuiſque a collimitaneis Principibus præſertim a Carolo Duce Geldriæ hoſte implacabili continuo inferri, & omnia factionibus proditionibuſque plena, atque Eccleſiæ labanti ſuccurrere non poſſet, ad opem Caroli Quinti Imperatoris, aduerſus incurſiones

hostium implorandam redactus fuit, e. pro p er. ilenta ordinum pro communi populi commodo ius Episcopatus ac ditionem Vltraiectinam Transisalanamque anno salutis M D X X V I I I. decimotertio Kal. Nouemb. consignauit Karolo V. Imperatori atque domui Burgundicæ, eamque in corpus Ducatus Brabantiæ & Comitatus Hollandiæ digessit, reseruata sibi ac posteris Episcopis integra qua nomen Episcopatus Vltraiectensis patet Ecclesiastica iurisdictione, suffragante in hoc Roman. Pontifice, ipse inde Wormatiam concessit, ac post Philippi fratris sui obitum diem auctus est Episcopatu Frisingensi, ac vtrique Episcopatui summa cum laude præfuit.

Wilhelmo Enckeuort Brabantino posteaquam Aquisgrani diutissimè canonicam vitam in æde Deiparæ professus fuisset, pluribus Rom. Reipublicæ Magistratibus & Germaniæ procuratione integerrime functo Episcopatus Dertrusensis in Hispania imponitur ab Adriano V I. P. M. cuius res administrauerat libellis dandis; in Cardinalium quoque Collegium solus cooptatus est, per Comitem Hochstratum declaratus est absens Episcopus Vltraiectinus, auctoritate Caroli V. Cæsaris ac ratificatione Clementis V I I. P. M.

Petrus Vorstius alii Vœstrius Canonicus Aquisgrani & Episcopus Aquensis fuit.

Wernerum de Meroidt postulatum ferunt in Abbatem Stabulensem ex Senatu Ecclesiastico Aquensi.

Nouissime Gerardum ex nobili apud Geldrienses familia à Groisbeeck Anno videlicet M D L X I X. Decanatu Leodiensi & Aquensi solerter perfunctum delegêre Eburones sibi Pontificem, Pontifex vero summus illum amplissimo Cardinalium senatui cooptauit.

His infula spectatis viris alios duos iure annumerauerim doctrina & pietate venerabiles, Gerardum Dauentriensem ob vitæ sanctitatem appellatum Magnum diœceseos Traiectensis Theologum & Canonici iuris peritum Euangelicum oratorem egregium qui raro exemplo, diuitiis, honorum titulis, beneficiorum Ecclesiasticorum opulentiis & præ aliis Canonicatu Regalis Ecclesiæ Aquensis, relictis quisque sæculi illicibus spretis imitationis humilis vitæ Iesu Christi multæ sanctæ conuersationis documenta edidit, instituit clericorum seu fratrum bonæ voluntatis citra professionem in communi viuentium ex labore manuum congregationem, religio sacra & institutum Canonicorum Regularium sub Vrbano Papa I V. per eundem rursus

resto-

:florescere cœpit, ipsique congregatio Windelemensis originem :progressum debet, scripsit de contractibus & vsuris, de institutio-e nouitiorum, de conuersatione interna, de locatione curæ pasto-alis, sermones varios, de regimine Monialium, de incommoditati-us Matrimonij, Epistolarum ad diuersos lib. 1.

Alterum Wilhelmum Zwers alias textorem seu textoris filium Aquisgrano oriundum S. Theologiæ Doctorem & professorem exi-nium virum egregiè doctum ac probum, Deiferæ Mariæ Canoni-um in maiori Ecclesia regiæ Sedis Aquisgrani, qui collegit præpara-ıentum saluberrimum Christiani hominis ad mortem se disponen-s typisque vulgauit, scripsit insuper in Euangelium Diui Ioannis, e passione Dominica, de peregrinatione Hierosolymitana, in Ca-onem Missæ, sermones quos habuit, in Cathedrali Ecclesia Basi-ensi cuius fuerat Ecclesiastes antequam ea ciuitas hæresum labe in-ceretur, vixit circa annum Domini 1475.

QVAMOBREM ERGA oc Solum & vel maximè maiorem Virginis ædem tanto adfectu tractus sit Karolus Serenissimus Augustus à Deo confortatus Magnus & Pacificus Imperator?

Caput tertium.

IN causa indaganda cur Karolus tam ardenti amore prosequutus vrbem hanc sit vt in ea frequentissimè hyemans oratores legatio-nesque gentium, præfectos ac prouinciarum præsides ex omnibus terrarum finibus aduentantes exceperit, Ecclesiam & Regiam :rè egregiam regali sumptu condiderit, quæ memorat Franciscus etrarcha lib. 1. epist. 3. vti friuola sine sale sine succo veritatis nugis

& figmentis varijs intexta recensere dedignor, etiamsi non diffitear ad tam liuidi commenti veritatem astruendam psittaci figuram lapideam annulum rost.o gestantis ad septentrionem obuersam ab antiquo Basilicæ Aquensi adpositam erectamq; fuisse, ex tenero affectu Karoli in hunc locum otiosi arripuêre ansam similia acroamata cômminiscendi, fabellas dico quales vt fastidia de colis trahendi pensa tollant, garrulæ anus excogitare solent, igitur grauiores causæ Karolum rapientes in amorem Aquarum Granearum disquirantur, amœnitas loci, locus ipse quieti aptissimus, auræ salubritas nô parum momenti habuere vt huc allicerent Karolum, neque eo inficias vtilitatem iuxta ac commoditatem Thermarum multum flexisse induxisseque, insinuante hoc ipsum Eginharto Karolo quondam à secretis; nonnulli venationis oblectamenta occasionesq; producunt, ob idque vicinus tractus *mon-ioije* quasi delitiæ meæ iam tum nuncupatus; esto & hoc, sed addo amorem patrij soli haud mediocriter inauxisse affectum Karoli vt his locis crebrò morari voluerit: produnt historici anno salutis DCCXLII. die XXVIII. Ianuar. (quo etiam fato functus) sub idem prope tempus natum Magnum Karolum quo Karolus Martellus cognomento eius auus in humanis esse desiit colluxisseque lucidissimam stellam aliquot horis ante natiuitatem Karoli in signum quod tanquam lucerna ardens scintillare deberet: De natalitio loco ipsius ambiguum est contendentibus alijs in aula villæ Ingelheim prope Magonciacum ad ripâ Rheni fluminis in terra Rinconensi, quâ aulam Karolus Imperator Magnus pro castro residentiæ Maiestatis suæ cis Rhenanæ quondâ habuit, quamq; Karolus IV Imperator in Monasterium Canonicorum regulæ S. Augustini commutauit, progenitum, iuxta vetus Godefridi Viterbiensis carmen

Pipinus moritur cum surgit Carolus acer
Natus in Ingelheim cui Bertha fuit vngara mater

A'iis modicus asserentibus Karlsbergi in castro non longè à Monachio dissito lucem primum aspexisse, nec pauci in regia Iopilla vel Iopilia dimidio milliari ab vrbe Leodio natum volunt è regione Herstalli Vici, à quo Pipinus Magni Karoli auus cognomentum Herstalli sortitus fuerat quod arcem sibi illhic extruxisset, & cuius tractus decimæ etiamnum Regali templo Aquensi cedunt, de hæreditario auitoq; solo certum ac indubitatû est hoc ipsum fuisse, Karolumq; Iopiliæ & Herstallii cû Parentibus habitasse, etenim atauus Magni Karoli

Nascitur Karolus a nato Constantino ann. climact. 469.

Abbas Spanheim.

Pipinus de landes vel de landis ex Patre Karolo Manno nobili Principe in *Haspengawen hoc est Hasbania in Brabantia progenitus omnem populũ inter Carbonarium & fluuios Mosam & Mosellam gubernauit, Lotharioq; II. Francorum Regi ob raras virtutes ita carus vt Brabantiæ & Austriæ siue minoris Lotharingiæ quæ inter Rhenum & Scaldim flumina sita Ducem cõstituerit, deinde ensiferum suũ & palatii sui primum Principem seu Maiorem domus Franciæ & præfectũ aulæ perpetuum. Hic Pipinus primus Brabantiæ Dux ex Iduberga vxore tulit Beggam & S. Gertrudim, e filia Begga nupta B. Arnulphi filio Ansigiso S.R.I. Marchioni ad Schaldim qui secundus Brachbantiæ Dux numeratur Pipinus Herstallus prognatus, vnde versus

Begga Ducissa fuit genitrix & germinis huius
Quæ fuit Angiso foelici foedere iuncta

Scribunt pleriq; ex hac Francorum gente totius Germaniæ nobilitatem prosiliisse, neq; altius suos auos numerare vllam insignem familiam, cumprimũ ad iam fatum Ansgisum Maiorem domus ventũ ibi hæreri: Pipinus Herstallus Tertius Brabantiæ Dux ex Alpaide nobili pellice (cuius causa Diuus Lambertus Tungrorum Episcopus increpans arguensq; Pipinum quod concubina legitimæ vxori superstiti superinduxisset à Dodone Principe Ardaniæ Alpaidis fratre neci datus martyrioq; coronatus est) Carolum Martellum tulit quẽ posthabitis filiis legitimis in principatu hæredẽ reliquit, isque quartus Brabantiæ Dux & præfectus prętorio fuit, ad iã memoratum Pipinum degenerãtibus Francorũ Regibus à cõsueta fortitudine & prudẽtia, otioq; marcescẽtibus, adeo vt, nihil agendo præterquã edere, bibere, domi morari, semel in anno dũtaxat Kalendis mẽse Maij corã tota gẽte in publico sese visendos pbere, reliquos dies voluptati impendere, nudũ nomen Regium vsurparent, administratio gubernaculaque totius Franciæ Regni deuenêre: Martello eius filio Marte claro quod Frisones, Saxones, Lanfredum Alemannorum Ducem, Sueuos & Aquitanos armis sub iugasset corona quidem Regni Francorum oblata est, ast ille renuit gloriosius ducens Regibus imperare quã Regem esse: eidem Martello filius Pipinus cognomẽto paruus quintus Brab. Dux successor factus est, sub quo * Hildericus Rex Francigenarum ob ignauiam detonsus ac in monasterium est detrusus, ipseque anno Christiano 760. in Regem Francorum electus, atque Apostolica authoritate à Bonifacio Maguntinensi Archipræsule vnctus est, confirmatus etiam &

Lande cele bre quondã erat Pipini I. Brab Ducis Palatiũ, nunc oppidulum.

* Haspengew.

Ex Annal. Vltraiect. Kẽpius de origine Frisiæ.

Pipinus de Landes I. Brabantiæ Dux veteres antiqua dictione Moiorem.

Tempore Caroli Magni lex lata ne deinceps in Regem Gallorum spurii filii etsi eos pater vt filios agnouisset succederent.

* Hilpericus.

consecratus à Stephano Pontifice Romano, benedicente pariter eius filios Carolomannum & Carolum, (cui postmodum Magni cognomentum obrigit,) totamque Pipini generationem in hæreditatem Regalis successionis. Inde igitur profectum quod Magnus Karolus hæreditaria genitaliaque maiorum suorum sola ac terras libentius incoluerit vsqueadeo vt toties Aquisgrani Leodij, Haristallij, in Villa * Duria nunc Pascha, nunc Natalitia Domini celebrasse perhibeatur, immo post decessum Pipini Parentis sui protinus à consecratione sua in Regem Francorum facta Nouiomi 7. Idus Octob. Aquisgranum tecta contendit ad Natalem Domini: quod autem tantus Zelus ac feruor eius in hanc Ecclesiam, causa esse potest quod ad Græcorum architectandi morem rotunda symmetria splendidè & magnificè musiuo opere decoratam pro voto & desiderio suo absolutam viderit structuram; & quod suo studio ex Græcanicis partibus habitas Sacrosanctas Reliquas in eam intulerit; vnum de compluribus proferam, largitionem videlicet donariorum Basilicæ huic factam argumentum peculiaris amoris. Anno verbi incarnati 807. iuxta calculum aliorũ 806. [Regis Persarũ Legatus nomine Abdella cum monachis de Hierusalem qui legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur quorum nomina fuêre Georgius & Fœlix ad Imperatorem Karolum Aquasgranum peruenerunt munera deferentes quæ prædictus Rex Imperatori miserat, id est papilionem & tentoria atrii miræ & magnitudinis & pulchritudinis, erant omnia byssina tã tentoria quam funes eorum diuersis distincta coloribus: fuêre prætetea munera præfati Regis pallia serica multa & pretiosa & odorem & vnguenta & balsamum, nec non horologium ex orichalco arte mechanica mirificè compositum in quo duodecim horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem eiusdem numeri equitibus qui per duodecim fenestras completis horis exibant & impulsu egressionis suæ totidem fenestras quæ prius erant apertæ claudebant, necnon & multa alia erant in ipso horologio, fuêre præterea inter prædicta munera candelabra duo ex orichalco miræ magnitudinis & proceritatis;] quæ omnia præfatus Christianissimus Imperator in ipsâ Aquensi Basilica Virgini Virginum consecrauit.

Ann. Franc.

* Duiria vel Thuria.

anno 768. aut iuxta alios 767.

Amoi. Ann. Franc. & alii.

Annales Saxonia.

E vero tantus affectus Karoli fuit erga hunc locum & comprimis

Basili-

Basilicam v. Eginhartus eius alumnus & scriba adiuratus in eius vita sic de ipso dilucidè pronunciet:[Ecclesiā(Aquensem)manè & vespe-rè nocturnis item horis ac sacrificij tempore quoad valetudo permi-sit impigrè frequentabat, curabatq; magnoperè vt omnia quæ in ea gerebantur cum maxima fierent honestate,æditups crebiò commo-nens ne quid indecens aut sordidum in Ecclesiam inferri, vel in ea permitterent remanere,sacrorum vasorum ex auro & argento vesti-mentorumq; sacerdotalium tantam in eadem Basilica copiam pro-curauit vt in sacrificijs celebrandis ne ianitoribus quidem qui vltimi Ecclesiastici ordinis sunt priuato habitu ministrare necesse fuerit; legendi & psallendi disciplinam diligentissimè emendauit,erat enim vtriusque admodum eruditus, quanquam nec publicè legeret, nec nisi submissè & in cōmuni cantaret]similem pietatem in Deum,stu-diumque erga diuina de Theodosio Imperatore scriptum reliquit Theodoretus lib.5.cap.36. eum nempe aulam suam veluti scholam in qua ad cultum superni numinis se suosque exerceret instituisse, temporaque d stribuisse lectionum, psalmorum, ieiuniorum immo & vigiliarum: fœlices Reges tali fundamento Deo Conditori fini suo innixos,fœlicissima Regna in hanc basim structa, qua stantes al-terum indubie è duobus eueniat necessum est aux pax Regni, aut certa de inimicis trophæa.

Exemplo tam ardentis Karoli Magni propensionis & effusæ beni-gnitatis in hanc Basilicam prouocati immo tracti ac stimulati succe-danei complures Pontifices Imperatores Reges Principes cognato & affini ductu certatim in hanc Ecclesiam studium fauoremque suum testatum fecêre(vt etenim generosos spiritus heroica facta an-tecessorum facilè emouent excitantque ad imitationem aut certè approbationem,ita è diametro degener animus progenitorum vir-tuosos actus conuellere,aut obliuione sepelire,seu palam sputis cō-uitiorum fœdare assolet) & inter eos quidem alij locorum regalium prædijs templum fulcierunt, ac locupletârunt, tales fuit Lotharius Imperator Arnorphus & Zwendeboldus reges, Ludowicus III. Imp. Augusti Otones Magnus,Secundus,Tertius Henrici I. II. III. IV. V. & VI. Fridericus eius nominis primus,Cunradus Rex, Gode-fridus Louaniæ Dux,&c. Alii maximas progenitiuas gloriæ huic loco contulerunt,insignijs honorum libertatum & dignitatum excellen-tiis sustulerunt,& euexerunt vti Gregorius V. P. M. Innocent. VIII.

Innocentius etiam IV. S.P. voluit quod nullus delegatus vel subdelegatus absq; speciali mandato sedis Apostolicæ possit censuræ interdicti suspensionisue sententias promulgare vel diris deuouere Decanum & in Regali Ecclesia hac Canonicam vitâ professos: Paulus Papa II. anno gratiæ 1467. reconciliandæ Ecclesiæ quoties necessum foret facultatem penes Decanum stare permisit; Otto Tertius Imperator templi deseruitores sæculares ab omni exactione publicisque ciuitatis onerib. immunes pronuntiauit, atq; si ab aliquo conueniantur relicto iudicio ciuili ad Ecclesiasticum posse refugere indulsit: Præter Magnum Karolum & Fredericum primum Augustos cæteri adhuc Imperatores ac Reges terrâ Aquensem noluerunt esse vectigalem sed à requ sit. one Telonij, Passagij, pedagij, assisij carradiæ nauigij Ecclesiam & indigenas vrbis exemerunt, liberosq; prorsus à iurium Regalium exactionib. edixerunt, nisi quod in hostem communem Imperii subsidiaria opera quandoqne pagatim oppidatimque ab iis contribuenda: confirmarunt hanc Aquensium à vectigalibus immunitatem Gallicani Reges Carolus an. 1368. & consequens Carolus ann. 1399. Henricus III. an. 1582. Ludouicus XIII. an. 1611. indultum itidē huic Ecclesiæ specialiter, quod quiuis de senatu Ecclesiastico Augustæ domus possessiones ad eos hæreditorio iure deuolutas, quæsita vel comparata, libertimè distrahere, de eis testari, legare cui adhibuerit, queat.

Nonnulli sub B. Petri & Apostolicæ Sedis præsidium contra incursus persequentium susceperunt Karolinam Basilicam, & munimine authoritatis suæ eandem vallârunt, Adrianus huius nominis quartus S. Rom. Ecclesiæ Summus Pontifex in diplomate de libertate Aquensis Ecclesiæ sanxit, vt sicuti antecessor eius Leo Papa, qui ipse Dedicationis munia Basilicæ Aquensi insigni solennitate impendit: Imperatoris Karoli precibus inclinatus instituit; Si quis eandem Ecclesiam vel bona eius lædere minuere vel auferre tentauerit, secundò tertione commonitus, nisi quod illicitè fuerit attemptatum condignâ emendatione correxerit, eiusdem loci Decanus authoritate Apost. liberam habeat facultatem in tantæ præsumptionis authorem Anathematis sententiam exerendi, quem nulla persona Ecclesiastica præsumat absoluere, nisi prius condignam satisfactionem de perpetrato maleficio eidem loco curauerit exhibe-

re: Honorius tertius Pont. Max. Clemens item Papa V. ac Sixtus IV. in peculiarem protectionem Apostolicæ Sedis Basilicam in Aquis cum vniuersis facultatibus suscepêre.

Frederici huius nominis Tertii Rom. Imperatoris commissio data est anno Domini MCCCCXLII. Dominis Archipræsuli Coloniensi & Antistiti Leodino, Duci Iuliæ, Dominis de Heinsperg, ac Magistris ciuium, Scabinis. Consulibus & communitati Vrbis Aquensis, &c. tam coniunctim quam diuisim sub regalis Banni indignatione & pœna centum marcarum auri puri super tuitione, conseruatoria perpetua & protectione Præpositi, Decani & capituli singulariumque personarum Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis Aquensis rerum & bonorum: Consimiles literæ commissionis & tuitionis antea per Carolum IV. Roman. Imperatorem, ad Fridericum vbiorum, Ioannem Eburonum Pontifices atque ad Duces Wencesllaum Limburgiæ & Wilhelmum Iuliæ emanârant. Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis vniuersalem Ecclesiam repræsentans præsidio authoritatis suæ communiuit anno MCCCCXXXII. concordiam inter Præpositum Gerardum de Monte Decanum & totum Ecclesiasticum Senatum insignis Basilicæ Aquensis ictam, qua inter alia conuentum quod Decanus & capitulum omnes clericos & Ecclesiasticas personas Vrbis Aquensis, cunctosque officia in memorata principe æde administrantes atque Prælatos Canonicos inibi præbendatos insuper eorum deseruitores in omnibus excessibus iudicare & corrigere possint, vniuersas etiam querimonias audire cognoscere & iudicialiter definire queant exceptis Collegio Diui Adalberti in Aquis atque aliis Vrbis religiosis.

Plerique censuum annuorum cumulo Eccclesiam hanc sibi adstringere voluerunt, inter hos primus ac potior Ludouicus XI. Gallicorum Rex qui vti erga omnes munificus, sic animo voluens antecessoris sui ac progenitoris Beatissimæ memoriæ Magni Karoli feruentem affectum in hanc Ecclesiam æternæ recompensationis intentione Regali liberalitate est vsus; siquidem anno gratiæ 1483. Basilicæ huic vt augeretur Diuinus in ea cultus suffragiaque fierent pro statu Regni Francorum quatuor millia librarum Turonensium red tuum annuorum ela gitus est, idem victoriosissimus ac

Christianissimus Ludouicus gratiam impartitus est quod duo è Canonicorum Aquensi gremio in Collegio Nauarræ almæ Parisiorum Academiæ studiis continuò excolerentur hoc fine vt posito Scholasticæ militiæ cingulo eò vtiliorem Ecclesię operam nauare possent: verum vtrumque tam honorarium munus, quam litterarium emolumentum, post ætatis Ludouici clausam periodum successor in regno rescidit: donauit insuper Ludouicus aureum peristroma ad Ecclesiæ decus & ornatum, ad hæc Anno salutis 1481. manum & brachium ex purissimo auro Virgineo templo Aquensi consecrauit, cõsignauitque, valoris viginti & octo cum media marcarum auri, circiter duorum millium & centum Coronatorum, vt os brachiale Caroli Magni religiosè in eo asseruatetur. Alii spirituales prærogatiuas effuderunt in sinum huius Ecclesiæ, Leo Papa hoc nomine Tertius, Gregorius XIII. P. M. Honorius III. Sixtus IV. Innocentius, Pilleus seu Pillerus ex Illustrissimo purpuratorum Patrum supremoque Ecclesiæ Senatu Apostolicæ Sedis Legatus, &c.

Plerisque Regibus & Primoribus vt aræ sufficientibus locupletarentur dotibus studio fuit ac cordi, sic Wenceslaus Bohemorum Rex vni; Ludouicus Vngariæ Dalmatiæ & Croatiæ Rex alteri, sub anno Christi MCCCLXXIV. in honorem Diuorum tutelarium Sanctorumque Regum & Reginarum Vngrorum in Ecclesia hac regaliter prospexit: Dux Lotharingiæ Henricus cum consorte sua Maria Regis Francorum filia idem præstitit an. Incarnati verbi MCCXXII. altari ante sedem Regalem Diuorum Simonis & Iudæ: quid quod quatuor Vrbes Sclauoniæ iunctim collectitiis nummis iustam fundationem stabilierint? Alia consimilis dos Dominum de Blanckenheim & Willemstein & nunc Duces Iuliæ; alia Gerardum Comitem de Seyne & Witgenstein Præpositum in Aquis recognoscit: Cæteræ aræ venerabilibus ac recolendæ memoriæ viris quondam de senatu huius Basilicæ Reinero de Palant Præposito & Canonico, Arnoldo de Merode/Waltero de Blisia, Ioanni de Beldeckhuysen Hugoni & Ioãni Pollart Canonicis &c. acceptas fundationes ferũt.

Viden' lector diuersorum Zelum & oblata? collimant ad vnum omnium finium finem Christi seruatoris eiusdemque Genitricis immaculatæ cultum propagandum: ac antiquitus quidem Bohemi Sclauones Vngari suæ nationis presbyterum quiuis delegebant, qui in hac Basilica sacris operaretur & coram quo anteactæ vitæ noxæ

vernaculo eorum idiomate, si quando æstu deuotionis huc impellente sacras reliquias visitarent, expiarentur: hac tempestate remisso peregrinationum ardore sodalitium ex quatuor & viginti sacerdotibus aggregatum sub nomine & tutela Diui Ioannis atis iam ante satis deseruit.

SOLEMNIS TEMPLI Summè Augusti à Leone Apostolico eius nominis tertio Pontifice Maximo consecratio, faciei eiusdem exterioris præsertim qua ad Occiduum Solem vergit, ac interioris pariter delineatio.

Caput quartum.

AVGVSTAM Basilicam vsquequaque viuo solido & secto lapide pulcherrima symmetria pro voto ac desiderio gloriosissimi Karoli extructam rectè Auentinus toti Europæ venerabilem & ex publicis operibus quæ Diuinus Karolus fecit præcipuum vocat, quocirca non incongruè Imperator à Leone vniuersalis Ecclesiæ Præsule flagitauit Apostolicæ consecrationis munus tali sacræ ædi impendi, exprimunt hanc dicationem versus ad occiduam templi plagam qua datur ingressus ad læuam supra vno è sacellis (quæ sub tempus excitati templi pariter structa crediderim) in fastigio muri subtus Saluatoris faciem & protensum brachium indice manus commonstrante auratis vocabulis inscripti. *Auent. lib. 4. Boiorum.*

Ecce Leo Papa, cuius benedictio sancta
Templum sacrauit quod Karolus ædificauit.



Acta Sacratio Anno gratiæ DCCCIV. præsentibus quamplurimis Metropolitanis Episcopis, Abbatibus, in frequentia Ducum, Marchionum, Comitum, &c. admiratione dignissimum est quod referunt plurimi Chronicarij & ex ijs etiã P. Petrus Canisius in suo Martyrologio; licet alii hanc narrationem ad lapidem lydium examinandam censeant, quod cum Christianissimus Imperator Karolus ad dedicationem huius magnificentissimæ Basilicæ tot adesse voluisset Episcopos quot in anni circulo sunt dies, hoc est trecenti sexaginta quinque ac duo deessent Monulphus & Gondulphus Tongrenses Præsules fato functi inhumatique in medio Ecclesiæ Traiectinæ ad Mosam D. Seruatio sacræ è suis latebris emerserint, & hic ingenti gaudio affuerint; consecratione ritè peracta acceptaque benedictione ab Apostolico cunctis stupore defixis recesserint sua monumenta repetentes. Prisca traditione constanter asseueratur antefatam dedicationem augusti Templi in trium Magorum festa faustaque luce accidisse; vnde forsan antiqua obseruatio etiamnunc virens ac vigens est, vt quotannis eiusdem dedicationis memoria Epiphaniæ Domini in ara Deiparæ sacris operanti presbytero circumsistentes supplicemque precem fundentes eo anno se cum sociis in eadem naui confidant in æstibus maris ac vi sæuientis tempestatis à naufragiis tutandos, Diuino fulti præsidio, quo multorum preces votaque secundata; Epiphaniam peculiarem Regum solemnitatem fuisse, vel ex eo intelligere est, quod ne impii quidem Principes ab ea celebritate abesse voluerint: siquidem Iulianus Apostata qui pallio simulatæ Religionis Christianæ latentem impietatem studebat contegere, cum esset in Galliis voluit ea die cùm cæteris Christianis interesse sacris mysteriis, vt scribit Ammian. Marcellin. Idipsum præstitit Valens Imperator Arianus vt refert S. Gregor. Nazian. oratione in laudem Basilii visus enim fuisset à Christiana Religione extorris qui tantis solemnibus non adfuisset, Theodosius Imperator sic huius diei celebritatem coli iussit vt septem diebus qui præcedunt ac totidem qui subsequuntur, iudicialem strepitum conticessere voluerit, vt l.2. Cod. de Feriis, vnde Pius Rex Karolus Regum solemnitatem delegit, qua in ministerium sacrum Capella regia vngeretur; hac vero nostra ætate die D. Alexii septima decima Iulii recolitur in annos singulos memoria dedicationis Basilicæ forte quod postea-

Amm. Marcell. lib. 21.

quam Nortmannorum rabie conflagrauit Ciuitas ac prophanata princeps Ecclesia denuo eo die reconciliata sit. Annales Francorum in Anno DCCCIV. memorant Karolum magnum ad Remorum ciuitatem obuiam Leoni Papæ profectum, ibique susceptum Pontificem primo Carisiacum villam, vbi Natale Domini celebrauit, deinde Aquisgranum perduxisse, mansitque apud illum dies octo, idipsum testatur Car. Sigon. de Regno Italiæ, hoc igitur fuit tempus consecrationis templi primæuæ per Pont. Max. Leonem, prolixius de rebus tunc gestis à Leone Papa in Germania habetur in epistola Ludgeri Episcopi his verbis. *Idem S. Leo Papa Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo quarto, cum magna solemnitate suorum Cardinalium Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum & Primatum ad Imperatorem Karolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperialiter cum suis susceptus inter multa pietatis suæ opera instantia eiusdem Serenissimi Imperatoris & Regis Aquisgrani in Palatio dedicauit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ donans eandem multis Indulgentijs, &c.*

Consentit Crantz. in Sax. li. 2. ca. 19.

In vita S. Geiberti apud Sur. die 1. Mar Tom. 2. alii 803.

Sanctificato sic templo indubiè gloria Domini impleuit domum Domini: respexit & respiciet Deus ad orationem seruorum suorũ, & ad preces eorum audiet hymnum & orationẽ vt sint oculi eius aperti super domum hãc die ac nocte, super domum de qua dixisti, erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem quam orat in loco isto ad te seruus tuus vt exaudias orationem populi tui. Insuper & alienigena cum venerit de terra lõginqua & orauerit in loco hoc propter nomẽ Magnum Magne Deus in firmamento habitaculi tu exaudies, ergone putandum est quod verè Deus habitet super terram? verè habitat super terrã, beneplacitum ei in populo suo, sanctificauit domũ hanc aliaq; sacra habitacula, vt poneret nomen suũ ibi in sempiternum, & erunt oculi eius & cor ibi cũctis diebus: cunctis dieb. iuge sacrificiũ, ibi adorabitur scabellũ pedum meorũ, quoniam sanctum est, ibi veri adatores adorabunt Patrẽ in spiritu & veritate, puta sacrificio & oratione publica; ibi immolabitur Christus verus Agnus Paschalis: in Ecclesiis erit firmamentum in terra in summis montium, iuxta Hebræam veritatem erit pugillus frumenti in terra in capite montium Ecclesiæ, ibi ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini

3. Reg. 8.

3. Reg. 8.

3 Reg. 9.

Dan 12.
Ioan 14.
Chrys. Cyril Euthym. in hunc locum.
1 Cor. 5.
Psal. 71. v 16.
Malac. 10.

Psal. 21. meo oblatio munda. Quid plura? vniuersum semen Iacob in Ecclesia glorificabit te: apud te, inquit Psalmographus, laus mea in Ecclesia magna vota mea reddam in conspectu timentium eum, edent pauperes & saturabuntur; Hoc sacrificium nouæ legis in Ecclesijs peragendum est illud propitiatorium in quod versis vultibus duo Cherubin hoc est duo testamenta se mutuo respiciunt: in quo mysterio Dauid insanire videtur Regi Achis quādo impingebat in ostia portæ id est ad conclusa corda non credentia sibi, quando ferebatur in manibus suis tenens panem & vinum dicensque, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus nouum testamentum, quando defluebant saliuæ in barbam Dauid, hoc est, quando videbatur loqui infantilia, dicens. Nisi manducaueritis carnem meam & biberitis meū sanguinem non habebitis vitam in vobis; fugit quippe noster verus Dauid inde ab Achis, id est, quomodo est, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? veritatem in Ecclesiis gentium vmbræ futurorum dilucidè in eodem Regio Propheta manifestarunt, Dauid sacrorum Princeps induebatur stola byssina & ephod lineo, ædificauit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum, mandat Leuitis vt sanctificentur ministrentque Domino vsque in æternum ac portent arcam Dei in Ierusalem in locum suum quem præparauerat ei, constituit cantores in Organis Musicorum Nablis videlicet & lyris & cymbalis, vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ qui in cymbalis æneis concreparent, in Nablis arcana cantarent, in cytharis pro octaua canerent Epinicion, Sacerdotes qui clangerent tubis, personarent buccinis coram arca Dei, constituit principes Leuitarum qui prophetiæ præerant ad præcinendam melodiam itemque Ianitores constituit coram arca Domini de Leuitis, qui ministrarent & recordarentur operum eius, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel, ipse Dauid saltat & ludit coram arca Dei, ipse & omnes maiores natu Israel & Tribuni deportant arcam fœderis Domini cum lætitia, ipse offert holocausta & pacifica atque benedicit omni populo in nomine Domini, quid sibi volunt hæc? cum enim esset Dauid de tribu Iuda ad ipsum non pertinebat sacerdotium, sed repulit Dominus tabernaculum Silo, & occisis Sacerdotibus Silo elegit tribum Iuda, elegit Dauid seruum suum, prægestit ergo Rex de tribu Iuda subsiliens & choros ducens confidenter agere in his, quæ deberi sciebat filio suo Domino suo in quem hæc diebat: *iurauit*

Margin notes: *1. Reg. 21.* — *Aug in Psal. 33. concio. 1* — *Matth. 26.* — *Luca 22.* — *Ioan. 6.* — *1. Reg. 15.* — *1. Reg. 16.* — *Psalm. 77.* — *Matth. 22.*

Dominus

Dominus & non poenitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, in quibus omnibus ad filium & filij Ecclesiam respicit, rideat hic Cham, hoc est calidus omnis aduersarius fidei calens ad contentiones Sacerdotes opprobrium Christi eumque inebriatum in passione aceto pœnarum in sacris & Ecclesijs repræsentantes nihil proficiet, dilatabit Deus semen Catholicæ Ecclesiæ habitabit in tabernaculis Sem eritque Chanaan seruus eius. *Psal'm. 109. 2. Reg. 6. Gen. 9.*

Redio vnde digressus aioq; sacratum templum in honorem præpotentis Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi eiusdemque gloriosæ resurrectionis, & sub titulo cœli Reginæ Virg. Mariæ, ob id nempe vt ipsa propugnatrix maneret de qua canit Ecclesia; cunctas hæreses vicisti, contra omnes aduersariorum fidei nisus & molimina, Theophanes ferè semper eum magnum aliquid Constantinopolitanam vrbem & populum pronuntiat à Deo consecutum id quidem acceptum precibus Sanctissimæ Dei genitricis adfirmat non alia de causa quam quòd celeberrimus illic esset cultus Deiparæ cui vrbs fuerat dicata, pari modo adscribat ciuitas hæc interpellationi ac obsecrationi Dei genitricis, cui post vnigenitum qui est in sinu Patris fortissimus pijssimusque Karolus matricem Ecclesiam ac oppidum obtulit, quod ex tot dolosis hostilibusque machinationibus respirârit, imo emerserit, nouit illa clientes suos non modo tutari sed & vindices manus in capita inimicorum fidei immittere, de qua Cant. vlt. *Ego murus & vbera mea turris*, confidant de cætero inquilini pusillus grex quamdiu vel pauci ponentes murum & antemurale auitam fidem remanserint, scuto timoris Dei se protegentes incassum laboraturam hæresim.

In Basilicam pedem ferenti super portam æneam ad postica è tribus ampliorem à lupa adsita cognominem Lupinam hæc verba aurato charactere objiciuntur.

Sanctißimum Templum Virginis Mariæ deuotè memento ingredi. Vt vel in ipso atrio & vestibulo nescio quæ aura sanctitatis loci afflet fideles, & si quidem aliis templis id datum vt ad deuotionem & attentionem componant, in hoc maximè mentis compositæ reddetur humilis deprecaror.

Contueris ante fores ædium sacrarum duas structiles quadratas

columnas, vnique incumbantem æneam lupam seu iuxta alios vrsam quæ suscepto in pectore vulnere nihilo secius pro Catulis siue vrsulis inde abstractis moribunda depugnare videtur; hieroglyphicum apparet, designarique haud secus Imperatori subditorum suorum sa'utem ac incolumitatem cordi fixam esse debere, alij id interpretatum malunt Diuum Augustum Karolum ex syluestribus locis ac ferarum anfractibus hunc tractum in templi splendorem euexisse, quib. fauet quod Porcetum prouinciali lingua Portscheit vicinum vrbi municipium à porcorum syluestrium frequētia primitus nomen sit mutuatum, addo & spirituale intellectum Imperatorem lupos & canes hoc est peruicaces hæreticos templa fœdantes & contaminantes de quibus D. Ioannes, *foris canes & venefici*, &c. à limine Ecclesiæ arcendos cupiuisse.

Apoc. 22.

In altera columna super basim quadram æreus conus cernitur pini strobilum & fructum existimauerim, orbicularis est, acuminata, & in varias quasi linguas secta, in imo iuxta stipitem lata & in rotundum assurgens continet in se permulta grana, in summo pyramidalis & acuta; hac significari quod Imperator Orbis Dominus vniuersis gentibus imperitare debeat plerique innuunt, ego verius (si tamen hæc pini nux Regibus Romanorum erecta) hieroglyphicum mortis dixerim, partim ob id quod semel incisa vel scissa pinus non amplius virescat germinetue, partim ob amaritudinē quæ morti assimilis, hinc cum filii Prophetarum coloquintidas agri coxissent vociferati sunt, mors in olla, hoc est amaritudo eius cibi tanta est ac mortis, cumque misisset Elisæus farinam in ollam non fuit quicquam amaritudinis, scilicet mortis, & ideo fors ænea pini nux antiqui operis pridem in orbis vrbe in fastigio molis Mausolæique Adriani Imper. quod nunc Castellum S. Angeli vocant, huic per omnia consimilis, nisi quod hæc Romana humilior, sterit, meo tempore sub puto Ioue in area ante tēplum Barionæ vaticanum nuncupatum, hæc ipsa pyramidalis acuties conspiciebatur; atq; prælibato intellectui congruenter dici potest fusam positamq; pinum, vt memores efficeret Romanorum Reges inaugurationis auspicali die gloriā mundi calcare & quod concito gradu mors aduolās finem dabit omnib. honoribus & voluptatibus, veluti enim hoc fine in Coronationibus Apostolicæ Sedis Pontificum stuppa igne succenditur, sic etiā scribit Leont. Ep. Neopol. in vita Ioannis Eleem. in vitis Patrum, cum Imp. olim coronaretur sepulchrum

Hart Maurus in cor. Car. V. Imp.

4. Reg. 4.

exstru-

exstructores quatuor aut quinque ad eum deferre consueuisse marmoris frusta varii coloris percunctantes, ex quonam cuperet sibi cōstrui sepulchrum, quo mortalitatis cōmonebatur, vtq; prudenter imperaret, affine hoc Symbolum: Cæterum virtutes haud paucas Regias verè ac egregias conifera abietina arbor fructusq; exprimunt, quod in montosis & aridis radices agat, edocere potest eleuationem à fluxis & labentib. ad ætherea, & asperitatem pro Imperio nequicquam reformidandā; quod pinguedine humoris abundet adeo vt per sudorē siue lachrymam in aquilonarib. potissimum partibus picis sit generatiua & gemmam producat quā electrum seu succinum esse Isidorus testatur (tametsi hoc vti fabulosum pleriq; respuant) glutinum dilectionis, rorem diuinæ gratiæ, munificentiā regiam in desolatos haud malè figurant Rege Psalmographo exclamante, *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*; quod nullo calore vel frigore tacta pinus deponat virorem foliaue, virtutū viuam segetem nec sereno prosperitatis nec nubilo flabrisque aduersitatis defrondescentem cōmonstrat.

Idem Plin. l. 37

Psalm. 60.

M. Aur. Antonini nūmus vti sagaciter Ortelius adoratus est, abiete Germaniam designat, cum Germanicarum syluarum vastitas veterum scriptis celebrata sit, & Tacitus de Germania (ex parte aliqua Germaniæ de tota temerariè coniiciens) terram frugiferarum arborum impatientem appellauerit.

Verum nonnullis alia mens, alia intelligentia explosis præfatis omnibus, supe structum fonti hunc pini strobilum & cocalum aiunt, pro argumento facere minutissima in quouis grani acumine foramina: vt vt sit ad quatuor basis angulos tubuli, qui icunculis ornati fuisse videntur, ad vnum etiamnunc conspicere est pectus & brachium, dempto capite, in basi hæc verba.

Ad Occidentem.

✠ DANT ORBI LATICES QVÆ Q IN IVVA GE TES

Ad Orientem.

FERTILIS EVPHRATES VELOX VT MYSSILE TYGRIS

Ad Meridiem.

AVCTORI GRATES CANIT VDALRICH PIVS ABBAS ✠

Litteræ partē vetustate arrosæ partim cœli iniuriis exesæ.

Si leges latices fonti & aquæ, si larices abietinæ arbori appropriabis.

Hic Abbas Vdalricus vnus ex numero Abbatum censendus erit qui post ætatem Magni nostri Karoli vsq; ad Ottonis III. huic insigni Ecclesiæ præfuerunt, est enim Abbas Syrum Præsulis nomen, ea ve-

to tempestate (prout omnes penè tum Collegiatæ Gathedrales ac Metropolitanæ regularem disciplinam profitebantur) Graniaquis viginti regulares Clerici vitam egere in communi sub Abbatum gubernaculo; posteaquam regularia instituta deserta Abbates indigitari cœpti Præpositi & Fratres Canonici seu Canonicam institutionem professi.

Superest aliud monumentum in vestibulo Basilicæ ante fatas lupi valuas, puta sarcophagus ad sesquipidalem à superficie terræ eleuationem, lamina ærea contectus p idem fuit, hoc conditum exanimè corpus viri nobilis Gerardi Corus aut Coris qui sub annum redemptoris MCCCLIII. architecturæ ædilitioque muneri à senatu præfectus, solerti instigatione opera ac consilio idegit, vt odeium Basilicæ Marianæ cuius fundamenta multo ante iacta eo schemate quo nunc visitur (siquidem priscus ille chorus altitudine ac longitudine huic impar atque inferior, prout ex numismatibus missilibus æuo Alberti Austrij Roman. regis cusis exploratum sit) impendijs Præpositorum (extant hodieq; tabulæ donationum Illustrium Dominorum Geardi de Virnenberg & Guilielmi de Wede Præpositorum in Aquis ad nouum chori opus) totiusque Ecclesiastici Collegii, accessione etiam forsan collectitii æris compleretur, qui demum Anno MCCCCXIII. à vicariam operam impendente pro Leodicensi Præsule vna cum ara sacelli Prætoriani Diuis Philippo & Iacobo sacri mense Ianuario dicatus est, senatoria itidem domus & fons in fori vmbelico octo canalibus aquas ex edito fundens noua fronte ac symmetria ab ipso exstructa, fascium consularium insigniis antefatus Corus etiam inclaruit, ac commune naturæ debitum Diuini natalis anno 1367. iuxta alios 1377. exsoluit, ob merita viri publicasque operas tumulo hanc Epigraphen laminæ æreæ saxo incumbenti illi posteritas posuit & incidit.

Gerardus Corus, miles virtute sonorus
Magnanimus multum, scelus hic non liquit inultum
In populo magnus, in Clero mitis vt agnus
Vrbem dilexit & gentem splendide rexit
Quem Deus à poena liberet barathrique gehenna.

Sub eius consulari functione muri Ciuitatis turribus & propugnaculis aucti instauratiq;, quin & populus pacatè, id est beatè ipso in

huma-

ıumanis agenre vixit, ex terrenis autem ſublato ſuccenſæ diſcordiaum faces, repullulantibus poſtea crebris diſſidiis inter ſenatorium ordinem ac plebeias tribus, ſi plures iſtiuſmodi viri prudentia ac leniate rem moderantes huic telluri obrigiſſent, eorum indubiè conſi ijs in hoc regimine, quo tribus Ciuicæ ſuos quoque è ſedentario vul Senatores deligunt factionum æſtus anſæque reſecatæ fuiſſent; iunt Wilhelmum Comitem de Wede Præpoſitum huius Principis empli in Aquis anno MCCCXCIX, ipſa memoria conuerſionis Gentium Doctoris ſcripto ſigilli ſui appenſione validato religiosè obli aſſe ſe per cuſtodem ſuum Henricum de Nydecken ex prouentiıus dignitatis cuſtoriæque ſuæ per noctes ſingulas luminare ſeu ceeum ante iconem Deiferæ Virginis in atrio Baſilicæ ſupra tumulum am fati Gerardi ardens conſtituturum.

Penetralia nunc priſci templi ſphæricè & in orbem concamerati enitius rimemur; tota moles ædificij octo pilis ſaxo ſtructis aſſurgens fulcitur, ac binas circuitiones præbet ſub geminatis ſuperbiſſiniſque teſtudinibus, porro tam inferioris quam ſuperioris contignaionis pilæ octo, totidem arcus, dimidiataſque circuitiones continēt, nferius quidem columnæ nullæ, ſuperius vero periſtylium ita in gyum adaptatum vt ſingulis arcubus quaternæ columnæ marmoreæ eretes capitellis Corinthijs exornatæ interſerantur, ita vt granlioribus duabus humiliores duæ ſuperlocatæ ſint, præſeferunt ıæ columnæ ſuſtinere arcus, attamen magis ornatus quam ſuſtentaionis cauſa poſitæ: decoratur inſuper alijs marmoratis è porphyrico peregrinoque lapide columnis non ſtriatis Eccleſia epiſtylijs æeis auratis iconicis quanquam nullę ob æuum colluceant, vt eatenus demirer Hermannum Maurum in coronatione Victorioſiſſimi Caroli V. Imp. auſum profari, perbreues eſſe columnas ſine marmore vllo: rectius Eginhardus, Religionem (inquit) Chriſtianam qua ab infantia fuerat imbutus Karolus ſanctiſſimè & cum ſumma pietate ac veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis Baſilicam Aquiſgrani exſtruxit, auroque & argento & luminaribus atque ex æ e ſolido cancellis & ianuis curauit, ad cuius ſtructuram cùm colūnas marmoreas aliunde habere non poſſet de Roma & Rauenna deuehi fecit, harum colūnarum quæ Rauenna latæ ſex à Karolo Ingelheimienſi templo attributæ, quas Philippus Rheni Palatinus inde tranſtulit Heidelbergam ad arcis ſuæ ſplendorem, cæteræ Aquis

Eginhard. hiſtoriæ Franc Chro. Euſeb & alii.

Seb. Munſt.


G Graneis

Graneis perennant: cancellos æreos de quibus Eginhardus non cusos sed fusos opere prisco triangulis & quadrangulis perlustres in sæptemo Monasterio per gyrum intercolumniorum spatia occupare hodieque ac metiri contuemur. Spectantium oculos forsan tenebit religionemque animis inferet luminarium quoquo versus locatorum frequentia, retroactis sæculis religiosus Clerus ac Diuino cultu magis ignescens populus quadraginta quatuor supra quadringentos cereos festiua solemnique die succendere consueuerat, hoc nostro æuo medietatem circiter coruscare comperies, autumem vero hac ex causa ab antecessoribus ea constituta vt repræsentarent lucem domus cœlestis in qua agnus qui in medio throni est omnes illuminat, ac vt calida desideria sursum tendentia ad lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum per luminarium multitudinem designarent.

Apoc 21.

Est & aliud quod fatigabit magis quam explebit intuentium acies. neque obseruatu indignum, templum nempe introrsum picturis in musiuo seu musiaco opere diuersis typicis coloribus variegato repræsentante veteris ac nouæ legis acta quondam vndequaque obuestitum incrustatumque fuisse, quod quidem obscurius ex concameratione vestibuli templi ad Lupinas valuas perspectius è nonnullarum fenestrarum absidibus perfectissimè ex tholo ac triumphalis conuexura fornicis turris primariæ quæ supra coronam pensilem in vmbelico Basilicæ aspectui se obijcit, conspicuum fit, in hac siquidem opere musiuo sedes posita est ad Orientem Solem & supra sedem in maiestate sedens Saluator ac Seruator Christus Dominus pluuiali sacro pallio seu talari chlamyde amictus ad eam faciem quæ in Principe Vrbium Roma in Diuorum Ioannis Lateranensis Sabæ aliorumque peruetustis Ecclesijs visitur, in circuitu Sedis quatuor animalia, animal primum simile Leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & tertium animal simile Aquilæ volanti; inde stellæ aureæ in orbem radiant subtus autem sedentem prætacto opere diuinum illud symbolum.

quod



quod pridem in labaris Imperatores & Christi fideles in annulis verè gemmam selectam gestare consueuerant, duæ litteræ videlicet Christi nomen innuentes per primos duntaxat characteres litterâ græcanicâ P decussatâ & scissâ per medium ☧ expressæ sunt, adhæc circulariter contemplari, est quatuor & viginti seniores qui assurgentes de sedilibus procidunt ante sedentem in throno mittentes coronas suas, & hæc de Musaico quod vsq; nunc superest, ob quod forsan venerandæ memoriæ Imperatores Magnus Karolus & Otto II. in diplomatis, ille quidem templum quod cunctis monasticis ædificiis in regno suo forma & structura præesse videtur, hic vero capellam miri decore artificii nuncuparunt, pauimenti supremi & inferioris Monasterii è marmore tessellato opere olim strati vt respõderent ima summis per pauca modo supersunt vestigia: versus Orientalem tẽpli faciem tres Aquilæ atq; augustalia signa Imperii corona, ensis, pomum, orbisque aureus se ostentant substrata hac inscriptione. Apoc. 4.

Sacratissimo Roman. Cæsari Ferdinando Augusto vita pientissimè functo Senatus Aquisgranensis posuit Anno 1564.

Senatus vii legis erexit Ferdinando, verumtamen trium Aquilarum vna Friderico I. huius nominis Imperatori, cognomento Ahenobardo Magni Karoli factis impense studioso ac deuoto in hanc sacrosanctam ædem atque vrbem maximopere munifico ab antiquo posita fuit, vt exploratum reddunt tres leones expansi à dorso scuti sibi incumbentes: eundem magnanimum famosissimumque Fridericum in meditullio templi coronam prægrandem ex parte argenteam ex parte æneam auratam decem & sex turribus discriminatam inter quas quadraginta & octo ceroferaria quoquouersus & luminaria collucent i unculis argenteis decoratam confici

mundasse post exaltatum è terris Magni Karoli corpus, hexametrici more prisco verborum nexus in eadem incisi luculenter designant:

Apoc 21. Et ego Iohãnes vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem, &c.

Coelica Ierusalem signatur imagine tali
Visio pacis certa quietis spes ibi nobis
Ipse Iohannes gratia Christi preco salutis
Quam prophetauit quamque Propheta denique virtus
Lucis Apostolica fundauit dogmate vitam
Vrbem sydereá labentem vidit in athra
Auro ridentem mundo gemmisque nitentem
Qua nos in patris precibus pia sisste Maria.
Cæsar Catholicus Romanorum Fridericus
Cum specie munerum cogens attendere clerum
Ad templi normam sua sumunt munia formam
Istius octogone donum regale corone
Rex pius ipse pie voluit soluitque Mariæ
Ergo stella Maris astris præfulgida claris
Suscipe munificum prece deuota Fridericum
Conregnatricem sibi iunge suam Beatricem.

Octogonam vocat quia bis octo distincta turribus seu membris.

Beatrix thori sociaFriderici in secundo cõnub o Burgundiorum Comitis filia.

Sub octo harum altioribus coronæ turriculis octo Euangelicæ legis beatitudines incisæ visuntur, per quas Imperator indicatum voluit per eas virtutes ceu scalas ad cœlestes colonias scandi, vereque corona donandum in tabernaculis iustorum ac sancta ciuitate Ierusalem qui in militante Ecclesia harum virtutum stadium decurrerit. Sub eadem corona pensili in area templi quadra figura lapides quadrifidi cæteri magis inalbicantes, sub quibus quondam ilico post decessum sepulturæ commissum fuit corpus Diui Karoli Augusti Magni Imperatoris.

Primariæ fabricæ nunc descriptæ addita est turris ad occidentem versus Cochleam campanaque ærea continens quæ subinde dulci harmonia quandoque tumultuosè sonitu tristi acerboque reboant vario quasi classico: Virgini virginum dicatam Ecclesiam dixi, eidem etiam æramentum maius ingentis põderis suo sono subinde adfines vicos commouens sacrum, fusum sæpe refusumque nouissimè vero anno gratiæ MDXXXV. pridie memoriæ Natalis Deiparæ Virginis de integro fusum cuius epigraphe ita signata.

Cur mihi sacrificus Mariæ ter amabile nomen
Indiderit, si me lector amice roges?
Vox mihi dulcis erat, dulci famulaberis inquit
Nymphæ quam referes nomine, voce, tono,
Hinc simul atque meus liquidum ferit æthera clangor
in Mariæ laudes excito corda pia.
Protinus horrisono nubes quæ grandine terrent
Agricolas sonitu dissipo læta meo,
Odit hæreticus, metuant Cacodoemones, hanc quæ
Virgo Deum genuit iugiter ipsa canam.

Ioannes cognomento Treuir huius Regiæ Vrbis Aquarum ciuis me fudit anno Domini 1535. mense Nouemb. Paulo Tertio Pontifice Max. & Carolo V. Cæs. rem moderantibus.

Lusit Leonardus Priccardus Canonicus Aquensis. Hic iste Priccardus est quem humanioris litteraturæ & historiarum vndecunque doctissimum Erasm. Roter. in epistolis ad eum datis titulo eruditissimi verissimè honorauit.

In circumferentia Carolini æris hæc campana inscriptio.

Anno milleno C. *ter* L. *ter* X. *magis vno*
Laude Deo plena mihi Karola nomen amoena.

Addo tertiam & in hoc trisono pauso
Nomen Ioannes vastæ cultoris Eremi
Est mihi, terrigenas moneo vt coelestia quærant
Abluat & lacrymis sua quisque picula: tempus
Est hodie, si cras multi sapuere, caueto.

Me Ioannes Schontrat Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarius, ulæque Lateranensis Comes, huius insignis Ecclesiæ Decanus artifice Ioanne a Treuiro Ciue Aquensi fundi procurauit anno MDXXXV.

TESTAMENTARIA Constitutio, pia ac gloriosa mors Diui Augusti incomparabilis Karoli vbi pressè de Heroicis eius factis, regijs virtutibus, sepultura & adlectu in Canonem cœlitum.

Caput quintum.

AD Tumulum, tombamque priusquam vos manu ducam, memoratu dignissima ratus sum supremæ voluntatis instrumenta, ac gloriosum decessum Caroli.

Car Baron. ex Pithœi Biblio. Produnt Annales Francorum Anno 806. habitum esse conuentum ab Imperatore in villa Theodonis, atq; in eadem testamentum, siue diuisionis decretum constitutum, quo tripartitus est ipsum Regnum Filiis suis, si cõtingeret eos post Patris obitum esse superstites; Aquitaniam, & Wasconiam Ludouico dilecto filio consignauit; Italiam, & Baioariam Pipino dilecto filio; Franciam, & Burgundiam, atq; Alemanniam dilecto filio cõcessit Carolo, iisdem tribus filiis publicâ, solenniq; testificatione mandat, vt super omnia curam, & defensionem S. Papæ simul suscipiant, &c. Subscriptum est hoc testamentum ab Optimatibus Francorum, & à Leone eius nominis tertio Pontifice. *Mentio Imperii omittitur,* Cæterum (vt author est Eginhartus:) diuisio thesaurorum tam in auro, quam in argento, gemmisque, & in ornatu Regio, annis tribus, antequam decederet, videlicet Anno 811. peracta est, & primum quidem trinâ partitione diuisit, deinde easdem partes subdiuidendo de duabus vnam, & viginti partes fecit, & tertiam integram reseruauit, ac duas quidem partes in 21. diuisas, vni, & viginti ciuitatibus metropolytanis, quæ in Regno ipsius erant distribuit, sic vt singulæ partes ad singulas metropoles per manus hæredum suorum Eleemosynæ nomine peruenirent, tertiam autem par-

tem,

tem, quam integram reseruari voluit, quoad ipse superstes esset, post obitum suum, aut voluntariam sæcularium rerum abdicationem, quatuor subdiuisionibus secari voluit, vnamque supradictis 21. partibus superaddi, alteram filiis, ac filiabus, Nepotibus, ac Neptibus dari, tertiam consueto Christianitatis more in vsum pauperum erogari, quartam in seruorum, & ancillarum vsibus Palatii famulantium sustentationibus distribui. Transeamus nunc ad ea, quæ de Capella in testamento Caroli idem Eginhartus Magister epistolarum (cui Sigebertus de viris illustribus cap. 84. testimonium dat, quod scripserit vitam Caroli Imperatoris tanto veracius, quantò adhæsit ei familiarius) posteritati reliquit: *Capellam* (inquit) *id est Ecclesiasticum ministerium, tam id, quod ipse fecit, atque congregauit, quam quod ei ex hæreditate paterna prouenit, vt integrum esset, neque vlla diuisione scinderetur ordinauit, si quæ autem inuenirentur, aut vasa, aut Libri, aut alia ornamenta, quæ liquido constaret eidem Capellæ collata non fuisse, hæc qui habere vellet, dato iustæ æstimationis pretio emeret, & haberet, similiter & de Libris, quorum magnam in sua Bibliothecâ copiam congregauit, statuit, vt ab ijs, qui habere eos vellent, iusto precio redimerentur, & precium in pauperes erogaretur.* Hæc vsque Eginhartus de Capella Aquensi, de qua & intelligit Molanus.

Anno Redemptoris DCCCXIII. *præsagiens pijssimus Imperator terminum vitæ iam iam impendere, Coronato Aquisgrani primogenito suo filio Ludouico, eoque in Aquitaniam decedente, nihil aliud cœpit agere, nisi orationibus vacare, & Eleemosynis, atque libros corrigere, nam quatuor Euangelia Christi (quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis) in vltimo ante obitus sui diem, cum Græcis, & Syris optime correxerat,* ac fortè, si coniecturæ locus Codex quatuor Euangeliorum, qui in hac Basilica vsque hodie asseruatur, consepultus pridem ipsi Karolo, exemplar est, opera S. Imperatoris reuisum, & priscæ fidei restitutum, nêpe nouissimus partus, quem voce, & verbo edidit, extremus spiritus, quem spirauit pro quo toties in acie steterat, tot labores exantlauerat, hæc rarissima Iesu Christi mediatoris nostri Euangeliorum *Theganus.*

monumenta, ab eo neque post fata, diuulsa. His subdunt Annales Francorum B. Carolum, vt statum Ecclesiæ relinqueret bene dispositum, varia iussisse Concilia celebrari, in er alia in ijs sancitum, vt Clerici deserêtes arma sæcularia se armarent spiritualibus, Episcopi, & Abbates, pauperes Christi secũ ad mensam habeant, ibidem lectio diuina personet. Vt omnes Episcopi scholas erigant, in quibus bonæ litteræ, & inprimis Theologia doceatur; pauperum, & peregrinantium ratio habeatur.

Appropinquantis finis multa fuêre præsagia: Nos ea solum attingemus, quæ huius loci sunt. Porticus, quã inter Basilicam, & Regiam operosa mole construxerat, in die Ascensionis Domini, subitâ ruinâ vsque ad fundamenta collapsa. Accessit ad hoc creber Palatij tremor, & in domibus, vbi conuersabatur, assiduus laqueariorum strepitus, tacta etiam de cœlo Basilica, in quâ postea sepultus est, malumque aureum, quo tecti culmen ornatum erat, fulminis ictu dissipatum, & supra domum Pontificis, quæ Basilicæ contigua erat, proiectum est. Erat in eadem Basilica in margine coronæ, quæ inter superiores, & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat synopide scriptum continens quis author esset eiusdem templi, cuius in extremo versu legebatur PRINCEPS KAROLVS, notatum à quibusdam, eodem, quo decessit, anno paucis ante mortem mensibus eas, quæ (*Princeps*) litteras exprimebant, ita esse deletas, vt penitus non apparerent, sed superiora omnia sic aut dissimulauit, aut spreuit, ac si nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret. Cumque esset tot victoriis inclytus Karolus in extremo mortis articulo interrogatus à suis fertur, quæ insignia, quæ arma, quot victoriarum imagines, ac facinorum memoriam vellet sepulchro suo affigi? Respondit, se mortis insignia cupere, quæ de ipso victore Victoriam egisset. Nunc consequenter, quibus præsidiis ad salutem remediis Karolus moriens curârit animam, accipe ab auctore eius temporis Monacho Engolismensi qui eius vitam per annos singulos scripsit dicente: *oleo autem inunctus ab Episcopis, & viatico sumpto, & suis omnibus dispositis cõmendans Domino spiritum suum abyt in pace Anno 814*. Hæc ipse. De eius ad Deum transitu coæuus itidem testis Thiganus Treuirensis Chori Episcopus, ita profitetur. *Septimo die postquam laborare cœpit iussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se,*

Grego. Turon. in appe.

ut ei Sacramenta Dominici Corporis, & sanguinis tribueret, ut exitum suum confirmaret, quo facto laborauit in infirmitate diem illum, & noctem sequentem; in crastinum vero luce adueniente sciens quod facturus erat, extensâ manu dexterâ, virtute qua poterat signum S. Crucis fronti imprimens, & super pectus, & omne corpus consignauit; nouissime autem colligens pedes suos, extendens brachia, & manus super corpus clausit oculos psallens hunc versum leniter: In manus tuas commendo spiritum meum: *statim post hac in senectute bona plenus dierum perrexit in pace* (paulo aliter Eginhartus; *dimisso* (inquit) *deinde in Aquitaniam filio ipse more solito quanquam senectute confectus non longe à Regia Aquensi venatum proficiscitur, exactoque in huiusmodi negotio quod reliquum erat Autumni, circa Kalen. Nouembris Aquisgrani reuertitur, cumque ibi hyemaret mense Ianuario febre valida correptus decubuit, qui statim ut in febribus solebat cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certe mitigari. sed accedente ad febrim lateris dolore, quem Græci pleurisin vocant, illoque adhuc inediam retinente, neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die sacra communione percepta decessit. Anno ætatis 72. & ex quo regnare cœperat 47. V. Calen. Februarij hora diei tertia; corpus more solenni lotum, & curatum, & maximo totius populi planctu Ecclesia illatum, atque humatum est. Dubitatum est primo ubi reponi deberet eo quod viuus ipse de hoc nihil præcepisset: tandem omnium animis sedit, nusquam eum honestius tumulari posse, quam in ea Basilica, quam ipse propter amorem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & ob honorem Sanctæ & æternæ Virginis Genitricis eius proprio sumptu in eodem vico construxit, in hac sepultus est eadem qua defunctus die arcusque supra tumulum deauratus cum imagine, & titulo extructus cuius hac fere sunt verba. Sub hoc conditorio situm est corpus* Karoli *Magni atq; orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum * nobiliter ampliauit, & per annos* XLVII. *feliciter * tenuit, decessit septuagenarius Anno Domini* DCCCXIV.

Moritur Karolus Anno Eoncatico siue decretorio 72.

* notabiliter.

* rexit.

Indictione VII. V. Kal. Februarij. Nuntio de Parentis optimi morte habito Ludouicus filius ex Aquitania propere trigesimo die postquã id acciderat in Aquisgrani palatium venit, orat ante monumentum Progenitoris Karoli more Christianorum, succedit in imperium, legationesque gentium quæ ad Patrem venerunt auditas absoluit, testamentum insuper Parentis summa cura executus est, fuerant ei tres mensæ argenteæ, & aurea vna, argenteam quæ forma quadrangula descriptionem Vrbis Constantinopolitanæ complectebatur Basilicæ Vaticanæ elargitus fuerat, alteram quæ ro unda Romanæ Vrbis effigiem exprimebat Ecclesiæ Rauennati: tertiam cæteris & operis pulchritudine & ponderis grauitate multum excellentem quæ ex tribus orbibus connexa totius mundi descriptionem subtili, ac minuta figuratione continebat & auream illam hæredibus suis reliquit; paternis igitur mandatis insistens filius Ludouicus cuncta sollerter expleuit. Fœlix transitus ex theatro orbis huius ad Opt. Max. Deum pijssimi Imperatoris Karoli, cuius vitam veluti viuum virtutum exemplar viuendi normam, religionis omnibus numeris absolutum simulacrum perpetuo speculari possunt, ac trutinare Reges, Principes, Proceres, eruditique omnes in ea, qui iudicant terram, vt eatenus in eis veluti ramis tam excelsæ palmæ insertis Karolinarium virtutum semina radicentur, germinent ac semper virescant: quippe cum neque, qui præcessere Imperatores, vel postea successere æquari Karolo valeant. Cæsar sibi Alexandri Magni gesta vti scopum ante oculos constituebat: quanto rectius Christiani Principes idæam Christianissimi Regis. Vultis vnico intuitu conspicari qualis quantusque fuerit noster Karolus, accipite, & maturè hæc breui compendio ex Eginhardo (cui in historica veritate de Karolo præferendus nemo, tametsi nimia breuitate, quam par sit, vitam eius perstrinxerit) Annalibus Francorum, aliisq; primæ ac probæ notæ coætaneis scriptoribus selecta, quo tanti Imperatoris nunquam satis laudati res domi iuxta militiæque præclarè gestæ, vita & mores ad memoriam sæpenumero reducantur, & quasi mel in ore indulcorate stimulos dent ad insectationem tramitum eius: in primis si Maiores Karoli, & quæ nõ fecimus ipsi spectetis, Præfecti prætorio munere functi fuère, hoc est Magistri Palatij Austrasianseu Maiores domus Regiæ Francorum, Genitor Pipinus is cui pusilli nomen à

Rob Gagui.

Psal. 2.

Eccles. 49.

breui-

breuitate corporis inditum licet validus ac generosus fuerit in virtutum propagine, qui vel solo hoc nomine clarus quod parens fuerit Karoli vti sepulchralis inscriptio Lutetiæ in Diui Dionysii olim insinuauit his verbis.

Pipinus Rex Pater Karoli Magni: quasi diceretur dignus filio Pater, dignus tali Patre filius, dignus filio Pater qui ex Præfectura Regiæ domus primus sui generis auctoritate Apostolica, & Francorum electione Rex Francorum est consecratus à Sancto Bonifacio Germanorum Apostolo, detonso ac detruso ob inertiam in claustra monastica Childerico vltimo Merouex gentis Rege: dignus Patre filius, qui primus sui generis Imperator Occidentis creatus est.

Iam si virtutes Karoli contemplemur, ipse est, qui religionis veloci stimulo actus vt regnum floreret à religione (qua ab infantia fuerat imbutus) id auspicatus est, à consiliis videlicet Wormatiæ habitis, in quibus præcipuè de moribus & vita clericorum actum: ipse est, qui grauem Longobardicæ gentis Dominatum post annos ducentes,* & sex ex quo in Italia regnare cœperant à ceruicibus Italorum dimouit: aduentante enim Legato Romanæ Ecclesiæ ab Adriano Pontifice misso, & postulante auxiliares copias contra Desiderium Longobardorum Regem, Pius Rex paternarum virtutum æmulus ac hæres, exercitum ilicò misit per alpes Cottias, atq; per iuga Gibennica, hoc est per montem quem Accolæ Cenisium vocāt, & refugiente Desiderio Ticinum seu Papiam ciuitatem ipsam obsedit, captoque Desiderio vltimo Longobardorum Rege, & restitutis Pontifici Vrbibus ab eodem Rege occupatis, Leonem tertium Pontificem ex factione eorū, qui sanguine iuncti erant Adriano ex domesticorum rebellione eripuit: in qua ardua expeditione, tanquam Cyro Deus præsto fuit, & viam semper aperuit Karolo vindicē agenti Ecclesiæ, id ipsi præstans quod fuerat Cyro pollicitus: *subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & post non claudentur, ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo.* Maxima dona Karolus Ecclesiæ Romanæ largitus est, multumque laborauit pro Ecclesiæ Vrbisque Romanæ splendore. Sub Leone III. crucem ex auro purissimo gemmis exornatam in Basilica Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur, obtulit, Patris

Card. Bar. ex cap. Francor.

* ducentos & quatuor, f

Æmil lib. 2, Ado Vien. de 6. mūdi ætat.

Isai. 45.

Chr. Martin. Bal eaburg. & alii.

Pipini donationem nempe Rauennæ, totiusque Pentapolis, & fratris Carolomanni Ecclesiæ Rom. factam, ratam, gratam, acceptamque habuit iunctis duobus Ducatibus Spoletano & Beneuentano: vniuersis Gallis annuam collectam, hoc est vnum denarium à quauis domo soluendam, Sedi Apostolicæ & S. Petri indixit, si eum recognoscerent Patrem, & Pastorem suum more antiquo: Carolus insuper in tribus locis annuatim colligebat mille, & ducentas libras ad seruiuitium Apostolicæ Sedis, id est, Aquisgrani apud Podium S. Mariæ & apud S. Ægidium: excepto hoc quod vnusquisque propria deuotione offerebat. Idem magnus Imperator Saxoniam obtulit B. Petro cuius eam deuicit adiutorio, & posuit signum deuotionis & libertatis, adeo vt Ecclesia Romana post Constantinum Magnum conseruationem & incrementum suum Karolo Magno eiusque stirpi potissimum acceptum ferre debeat. Hæresin Fœlicis & Elipandi sopiuit: Synodo in Franconofurt contra præfatam sectam coacta, Præsidentibus Theophylacto & Stephano Episcopis Legatis Apostolicæ Sedis, & Fœlice perpetuo exilio relegato, in qua verè auream hanc sententiam pijssimus atque prudentissimus Rex scitè protulit; vbi inquirenda sit orthodoxa fides edocens. *Facio* (inquit) *certissime Deo Domino meo Iesu Christo donante horum me sanctissimæ multitudini, & probatissimæ auctoritati veræ fidei professione associans, nec vestræ me paucitati in consensione huius nouæ assertionis (quam Fœlix & Elipandus spargerant) socium admitto, sed Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ & Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo, quicquid in illorum legitur libris, qui diuino spiritu afflati, toti orbi à Deo Christo dati sunt Doctores indubitanter teneo, hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimæ veritatis pandit historia Euangelica, quod Apostolica in suis Epistolis confirmat auctoritas, quod eximij S. Scripturæ Tractatores, & præcipui Christianæ fidei Doctores ad perpetuam posteris scriptum reliquerunt memoriam.* Diuinus hic Princeps Episcopatus complures Abbatias, Cœnobia, & ædes sacras à fundamentis erexit, dotauit; vel censibus auxit, & amplificauit, in monte Cassino commendans se singulari pietate S. Benedicto confirmauit donationes Parentis, & superaddidit de suo: in Heluetia, &

Alemania Campidonense: Disertinense, iuxta ortum Rheni, Fabarium, Sancti Galli, Augiæ maioris, Murbacense aliaque monasteria excitauit, ac dotem adscripsit, profiteturque disertis verbis non modo diuinum numen sibi per hoc placare; quod sacra loca ne labantur frequenter sustentet, & sustendando ditet; verum etiam totius sui regni statum corroborare, vti ex Regiæ largitionis diplomate quo Vlmam modo Nobilem Sueuiæ regalemque vrbem cum omnibus iuribus & appenditijs anno 813. amplissimo Monasterio, quod Augiam Maiorem vocant attribuit, exploratum fit. Saxoniam in nouem Episcopatus diuisit; Monasteriensem Ludgero Præsuli: Mindensem, Heriberto: Halberstadensem Hildegrino, Osnaburgensem *S. Wihoni, Bremensem Vuilchado, Padebornensem Harimario, Verdensem Suniberto, Hamburgensem Heridago, Hildemensem Gunthero Antistiti commisit; Duos Episcopatus in Metropolitanas sedes conuertit Hamtuagensem, Salizburgensem seu Iuuanensem. In Germania insuper Basiliensem & Wormatiensem, in Merßburg / & Zyse Episcopatus: in Gallijs Archiepiscopatum Rymegen ad honorem D. Petri fundauit: Hoc paucis dixisse sat sit, veteres scriptores testatum reliquisse vix vllam ipsorum tempore reperire fuisse insignem sacram ædem per Alemaniam, & vtramque Franciam quæ non sit ipsius Karoli munificentia aut extructa, aut ex tota dotata, vel augmentata, & possessionum largitionibus, priuilegiorumque concessionibus adaucta ac honorata, quod & litteræ, & reliquiæ, & templorum ornatus etiamnum satis proloquuntur. Pontificibus etiam & Abbatibus ad quorum curam pertinebant sacræ ædes in Regno suo nimia vetustate collapsæ vt restaurarentur serio imperauit, vnde perantiquo disticho Karoli merita in Ecclesias ita recte decantantur.

Munster. li 3. Cosmogra.

Crantzius Genebrard.

* Vuithoni.

Crantzius lib. 1. Sax c 5 6. 10. & lib. 2. c. 14.

Ann. Saxonia.

Ann. Franc. Eufeb. i Martini Ann. Bebenburg. Munster.

Karolus Ecclesijs, quod Luna lumina Solis
Quas ex non esse, Christo mutauit in esse.

Cultus sacrarum imaginum contra Iconomachos Orientis Imperatores in Ecclesia retinenda acerrimus propugnator fuit, coacto contra Græcorum errores Romæ concilio à Stephano Papa, misit eo Karolus vna cum Germano fratre suo Carolomanno duodecim Episcopos Gallicanos præcipuos ac doctissimos totius Regni ad hæresin Græcorum subuertendam enervandamque: ita testantur Adrianus

Papa tract. ad Kar.Mag.de imaginib c.12. Regino in Chro.Paulus Æmilia.li.2 hist.Franc.sup sunt in eius testimoniũ hoc æuo crucis priscæ imagines à Karolo Mag.in nõnullis Cathedralib.Francorũ erectæ ad quarũ pedẽ agnus apposit' ad significationẽ Mediatoris, q tollit peccata mũdi, ptout Cõ. ius in Notis ad Gratianũ aduertit de cõsecra.d.3.

Canonizationem S. Swiberti Frisiorum, & Saxonum Apostoli Episcopi Vuerdensis instanter promouit, eidemque interfuit: Karolus Imperator diuinitus admonitus vt corpora Diuorum Saluii Episcopi Engolismensis martyris sublati eiusdemq; socii quæreret, quæsita ac reperta honorificè tumulari, interfectores graui pœna mulctari iussit: in summa valde obseruans Disciplinæ Ecclesiasticæ fuit, coluit Ecclesiasticos, & in ipsos valdè liberalis: ita testantur sex concilia ipsius iussu celebrata, in quibus potissimum sanciti canones ad res Ecclesiasticas spectantes, non quod plura (custos siquidem sacrorum canonum tenacissimus Karolus annis singulis synodales voluit sacros celebrari conuentus) sed quod ista sex præcipuè super statu Ecclesiarum corrigendo celebrata sint. Primum in villa Theodonis, secundum Maguntiaci, tertium Rhemis, quartum Turonis, quintum Cabilloni, sextum Arelati. Admirabilis Karoli industria agendi fuit cum Clero in consiliis & admonitionibus, non imperando sed rogando inducendoque ad omnem conformitatem legum, quem sic quandoque allocutus legitur: *Memores sitis, quod res Ecclesiastica à fidelibus oblatæ, & ab Ecclesia receptæ sint, & eo modo eas distribuite, vt ab illo, cui de his rationem reddituri estis, non damnationem, sed æterni gaudij mercedem accipere mereamini.* Electionem Episcoporum & Pontificum voluit esse liberam secundum præscriptum sacrorum Canonum remota personarum & numerum acceptione, misit tamen Visitatorem suum ad impia quandoque quorundam eligentium peruersa studia refrenanda: quendam pridie feriatum D. Martini designatum Episcopum quod is auctus tanta dignitate amicis cœnam exhibens, & vti fit, mero se nimium onerans, somno deinde oppressus noctu diuinis rebus non interfuisset sacerdotio cedere voluit, intolerabilem negligentissimumq; fore ratus, qui primo die sibi non temperasset: alium lætiorem ob donatum Põtificatum, gestientemq; & ab humo in equum absq; suppedaneo vno impetu subsilientem reuocauit: *Vales*, inquit, *vt video viribus, & Eques haud malus es: tua opera in bellis, vbi tua virtus enitescat, in*

Card. Baron.

Idem Card. Baron.

Capit. Franc. lib.1. c.84.

Auentinus.

digeo: proinde ignobili, & imbecillo oues, & pecudum gregem relinque. Episcopum Moguntinum quod lituum distinctum gemmis instar Cæsarei Sceptri vsurpasset seuerissima coercuit oratione: eidem auaritiam & superbiam pro concione propalam exprobrauit indignabundus & clamitans. *En,* ait, *Pastores nostros crucem Christi professos, qui spreta cura, & pascendarum ouium sollicitudine, ostentationes, opibus, luxu Imperatorem quamuis opulentissimum lacessant.* Cum aduerteret multa legib. populi sui deesse, cogitauit quæ deerāt, addere, & discrepantia vnire, praua quoq; & perperā prolata corrigere; sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quā quod pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Numerant viginti tria capitula legum Karoli Magni, duoq; reperiuntur ex illis recitata à Gratiano dist. 19. c.3 atq; illud primū de Ecclesia Rom. his verbis. *In memoriam,* inquit, *B. Petri Apost. honoremus S. Rom. & Apostolicam Sedem, vt, quæ sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiastica magistra rationis, quare obseruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa S. Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus: si vero (quod non decet) quilibet siue sit Presbyter, siue Diaconus aliquam perturbationem machinando & nostro ministerio insidiando redarguatur, falsam ab Apostolica sede detulisse Epistolam vel aliud aliquid, quod inde non venerit, salua fide & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas vtrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, vsquequo per Epistolam aut per idoneos suæ partis Legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum tam sancta legatione dignetur decernere, quid de talib. iusto ordine statuat lex Romana definire vt & is corrigatur & cæteris modus imponatur.* Considera lector cur dederit Deus subiicere Karolo potentissimo atq; prudētissimo Principi Reges & populos, q̄ nouerit ille sese subiicere propter Christū successori hominis piscatoris: in alia autē lege quæ extat apud eundē Gratianū mutilata, integra verò in Cap. Francorū, declarauit pius & iustus Karolus affectū suū ac reuerentiam erga Clerum, quando malitiosa litiū semina comprimere volēs, pij & iusti Theodosij legē renouauit, qua cautū erat vt lites oēs & cōtrouersiæ forēses ad iudiciū Ecclesiasticum remitterētur, si alio refragante alteruter solummodo litigatorum id

Eginhardus.

postularet: & vos igitur qui iudicatis terram exemplo dicite Karoli ex obedientia & obseruantia erga Apostolicam Sedem Regna & Imperia propagare atque firmiter stabilire: de cætero quam parcissimus fuit in nouis condendis legibus, adeo vt cum tam diu vixerit Rex atque Imperator, perpauca Legum capita sanx sse dicatur, sed in veteribus restituendis vt seruarentur multus fuit. Hinc apparet colligi iussisse centum sexaginta octo Capitula Legum Ecclesiasticarum ex Sacrosanctis Concilijs atque decretis Summorum Pontificum, vt per ea in Ecclesia disciplina vigeret: summa reuerentia ac pietate matrem suam Bertradam vel Bertrudam ac sororem cœlibem Gislam coluit, fratris simultates patientissimè tulit, ex vxore Hildegarde de gente Sueuorum quatuor filios, Karolum, Pipinum, Lotharium, Ludouicum, quatuor itidem filias habuit Rotrudim, Gyselam, Bertham, & Hildegardim seu Hildegradim ex alijs etiam thori consortibus Karolus, nempe * Fastrada Rudolphi Comitis Franciæ orientalis filia, aut iuxta alios Regis Siciliæ filia, Hilmetrude Regis Persarum filia, & Garsula orientalis Ducis Saxoniæ filia, quas tulit soboles ad operam sedulo impendit, ne per otium torperent, atque ad omnem honestatem erudiri iussit, filios quidem magna cura ab ineunte ætate liberalibus artibus & militari disciplinæ atque cunctis virtutum generibus incumbere; filias verò serica pensa ducere, & acu artificiosissimè pingere. In morte Adriani Papæ ita fleuit, ac si patrem aut fratrem vel dilectum filium amisisset, testantur amorē hunc pietatis officia ab Adriano post mortem exhibita; non solum enim eleemosynas longè lateque pro ipsius anima erogauit, & sic amico sibi dilectissimo parentauit, verum etiam sepulchrum eius in Vaticana Basilica regio Epitaphio ipsemet decorauit, quod hodieque superest: Erga coniurantem in se lenis ac mansuetus, adeò vt Dauidi hac in parte vnctus Domini Karolus sit conferendus, cum enim iam secundo Pipini ex concubina filij claudi & gibbo deformis, regnandi cupidi, at Regno indignissimi, coniuratio in eum detecta esset, nihilo iratior quod prius ignouisset, parentem se magis quam Regem ostendens, non capitali eum pœna mulctauit, sed profiteri Monachalem religionem coëgit quæ pœna eiusmodi fuit vt eius pœnitere nunquam posset; seuerus tamen in impios & incorrigibiles, moderatus erat in gubernando, in peregrinos pius & liberalis, humanus in omnes immò humanitas tanta quanta in antecessorum Principum,

Alii ex Hildegarde tres filios totidemque filias ponunt.

* Vastrada.

Ann. Saxon. Krantzius.

Fulgos. lib. 5.

nullo,

uiuo, in vestitu superfluitatem & peregrina indumenta respuebat, in cibo temperans sed in potu temperantior, quippe qui ebrietatem in qualicunque homine, nedum in se ac suis plurimum abominaretur; cœna quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur, præter carnem assam, ita vt huius Christianissimi Imperatoris temperantia præsentis æui luxuriam seuerè castiget, cum ille non tam gulæ desiderio quam naturæ necessitati satisfecerit, prælectione librorum D. Augustini de Ciuitate Dei, vel docto colloquio, aut historica narratione de priscorum Regum gestis, vt plurimum mensam suam condiri volebat: Imperium à Græcis primum ad Germanos & Francos transtulit, non hoc inuasit, sed inuitus penè suscepit, superno Numine sic disponente vt summus Pontifex in ipsum Imperij summam transferret, qui ex Bertha, siue Berthrada matre, filia Eraclij Imperatoris orientis (vnde in Karolo genus Græcorum, Romanorum & Germanorum concurrunt:) natus prolabentibus Græcis ad hæreses, vnicum columen nutantis Imperij esset, cui orbis Christianus plurimum debebat, vti qui in maxima afflictione Ecclesiæ præsertim in Oriente se quasi solum murum pro domo Dei opposuit, iræ diuinæ & hostium furori: Eleemosynas non solum in suo regno erogabat, verum trans maria in Syriam, Ægyptum atque Africam, Hierosolymas, Alexandriam atque Carthaginem vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ eorum pecuniam mittere solebat, ob hoc maxime transmarinorum Regum amicitiam expetens vt Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac releuatio proueniret: Cantum Gregorianum exemplo genitoris sui Pipini Roma induxit in Gallias relicto Ambrosiano Mediolanensibus; Etenim cum esset Romæ celebrans Pascha ortaque esset contentio inter Cantores Gallos & Italos de ratione Psalmodiæ ac cantus, cuius quoque ipse Rex peritus erat, re ad ipsum delata respondit: *Dicite quis melior & purior, aut fons viuus vel riuuli eius longe decurrentes?* Affirmantibus fontem, ait: *Recurrite igitur ad fontem Gregorij quia manifeste corrupistis cantionem Ecclesiasticam*, exinde petijt Roma mitti magistros Cantus & Grammaticæ: Studia bonarum litterarum ac liberalium artium oppressarum & penè exstinctarum nemo indulgentius fouit, ac impensius adamauit quam Karolus; adeo vt ipso moriente quasi destituta patrono suo optimo ac meritissimo iam

simul defungi aut certè languore correpta suo natiuo vigore carere apertissimè visum fuerit, ac vt ipsemet præfatur in homiliis ad populum per Alcuinum in ordinem redactis, obliteratam penè maiorum nostrorum desidia, reparari vigilanti studio litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda studia liberalium artium nostro etiam quos possumus inuitamus exemplo: Sodalitia quæ essent præsidia fidei Orthodoxæ, nunc seminaria dicta, vel fundauit vel auxit, ex quibus seu arcibus religionis propagandæ doctissimi Viri, Monachi, Clerici, Sacerdotesque prodiere; aiunt Fuldæ (licet eius Cœnobij primordia Karolomanno Magni Karoli patruo Austrasiæ Regi & D. Bonifacio debeantur) subinde præter Diaconos & inferiores Clericos quadringentos vixisse Sacerdotes Monachos ad Germanorum conuersionem expeditos: ad fidei quoque propagationem Scientiarum Sacraria & Academias instituit, Parisiensem in qua fundanda vsus est quatuor doctissimis discipulis, Beda venerabili presbytero, Alcuino Rabano, Claudio & Ioanne Scoto, quos ex Anglia acciuit, & à quibus multa Karolus didicit, recognoscit hoc beneficium piè & prudenter Perpinianus, aitque ante octingentos annos circiter in vrbe Parisiensi summi Imperatoris Karoli Magni authoritate humanarum & Diuinarum artium sedem constitutam & ætatibus singulis ingenii, industriæ eruditionisque extitisse florem, addit perpaucas esse scholas benè constitutas, quæ ortum & incrementa sua scholæ Parisiensi accepta referre nō debeant; aiunt alij ipsum Karolum quodam tempore visitasse scholam Vniuersitatis Parisiensis à se institutā, conspexisse compositiones pauperum profectumque in studiis ac dilaudasse promissis promotionibus; diuitibus autem ac nobilibus confidentibus in splendore familiarum ac opulentiis minitatum interposito iuramento in studiis impēsius aduigilarent frustraturum eos omni gradu honorum: Vniuersitatem Bononiensem, Gymnasium Ticinense nunc Papiense, in Osnabrug quoque scholas erexit, in quarum altera Græcæ altera Latinæ linguæ professio fieret; Corpus vtriusque Testamenti seu Chalcographorum & librariorum incuria sensim vitiatum, seu temporum iniuria multifariam deprauatum, mandato Karoli per Alcuinum & Hittonem Episcopum ad veterum exemplarium fidem & integritatem denuò reductum atq; examussim correctū, glossis desuper editis, nec non in omnes S. paginæ libros cōmentariis, vt genuinus sensus SS. Scripturarū reuocaretur. Lectiones singulis

Perpinianus in orat. de diu & hum. philosophia.

P. Scherer conc. 1. Dom. 1. Epiph.

Ann. Saxon.

Trithemius.

gulis festiuitatibus Sanctorum anni conuenientes, hymnosq; è pratis SS. Patrum excerpi, & certo ordine redigi curauit per familiarem clientulum suum Paulum Aquileiensis Ecclesiæ Diaconum, qui fuerat a secretis Regi Longobardorum, & capta Papia vna cum Desiderio Rege inter cæteros captiuos in Gallias abductus: Martyrologium per Vsuardum gallicæ gentis virum Monasticæ professionis, cuius itidem authoris instituto generalis mos per vniuersam Ecclesiam obtinuit vt propter innumerabilem Beatorum multitudinem qui in singulos dies recenseri nō poterant subnecteretur clausula, & aliorum plurimorum Sanctorum, &c. Sermones & homilias Patrum aliaq; Ecclesiastica officia Gothorum impietate ac sacrilega manu seu deperdita seu truncata per Albinum, cui & Alchuin nomen, præceptorem suū ex Britannia oriundum, vitas deniq; Sanctorum ac omnium nationum, quæ ipsi parebant, iura, memorabilia gesta inquiri, colligi ac litteris mandari iussit. Cum aliquando cupide optasset sibi ac æuo suo duodecim viros, quales Hieronymus & Augustinus, adstans forte Alcuinus. *Tu Imperator poscis duodecim, quum ipsi Christo cæli ac terræ Domino plures non obtigerint.* Dicam amplius ipsum augustissimæ memoriæ Karolum composuisse rythmicos numeros, sequentias Ecclesiasticas indigetant, inchoasseque grammaticam patrio sermone conscribere, scripsit & ad Albuinum præceptorem suum opusculum de sacrificio Missæ ac aliis veteris Ecclesiæ ritibus cæremoniisque, quod cum integrum non extet Fragmenti Karoli Magni nomen hodie obtinet, carmina itidem quibus priscorum actus & bella decantabantur congessit ac memoriæ mandauit, in lingua latina disertissimus, græcæ etiam non ignarus, vt ipse oratores Græcos vernacula eorum lingua laudes sibi dicentes & Augusti titulo celebrantes audierit, & græcè responderit; in litteris & artibus Dialectica, Rhetorica, Astronomia, Geometria, Arithmetica iuxta ac Musica, quin & in Theologica facultate non mediocriter versatus, intantum quod didascali in hac potius quam discipuli locum teneret; ingeniorum fuit summus Mecænas, virosque litteratos & præceptores suos maximis cumulauit honoribus Alquuini Angelici doctoris magistri sui in plurimis vsus consilio; peruigil studium ad indefessus labor in Karolo admiranda sunt, quod non contentus diurna lucubratione sub noctem ad ceruicalia calami pinacesque locanda forent, vt si quidpiam expergefacto aut meditanti obseruaretur obseruatu

Barlandus de rebus Brabāt.

Card. Baron.

dignum stylo mox signarer ne memoria excideret: Quo maior gloriosus noster Karolus eo humilior; etenim semper Romam adueniens de equo ad miliare descendere consueuerat, & pedes eundo per vrbem omnes Ecclesiarum postes humiliter osculabatur, Sabbatho sancto omnes gradus sanctissimæ B. Petri Ecclesiæ sigillatim deosculatus est, ac tametsi maculis coniugalem castitatem resperserit, has tamen consimili pœnitentia eluit, carnem suam senilem licet cilicino super nudum corpus indumento iugiter atterens, vnde nec in risum procliuem legimus: Reparauit leges ciuiles, iura iudicialia collegit, vetustissimæ Francorum legi Salicę duas & viginti adiecit & pro salicis haberi voluit, quasdam etiam ex integro sanxit, vt de moneta, mensura, ponderibus, quæ per totum Romanum Imperium ad æqualitatem redegit; eandem legem salicam in Italiam intulit: Galliam in quinos conuentus diuisit Viennensem, Lugdunensem, Senonensem, Rhotomagensem, Rhemensem, his cætera oppida contributa; vnumquodque ius in finitimo sibi conuentu petere iussum: Apud Germanos quos Cæsar vocat Cisrhenanos qui in Gallia Belgica Celticaque habitant iuridici conuentus instituti sunt, Vesontinus, Moguntinus, Treuirensis, Agrippinensis, Cameraçensis, sanxit Magnus vt in primaria cuiusque regionis vrbe quam Metropolim græca voce dicunt Pontifex & Prætor ter quotannis Aprili, Octobri, Ianuario ius dicerent, responsa redderent; & primum pauperes, viduas, pupillos, dato his prudentissimo patrono diligentissimè audirent, inimicos reconciliarent: Vetuit insuper ne illi lites in diem differrent, neve calumnijs locum facerent, opulentos quidem ac locupletes Pontifex præfectos, si qui in concordiam redire nollent ad se, haud alio delegaret: In expeditionis apparatu contra Saracenos qui tunc Hispanias obtinebant duodecim quos aiunt Pares Franciæ instituit, quorum sex essent ex Collegio Sacerdotum, tresque rursus eorum Duces, Rhemensis Archiepiscopus, Laudunensis & Lingonensis Antistites; Tres Comites Episcopi Bellouacus, Nouiomensis & Catalaunensis; reliqui forent non initiati sed laici; tres Duces Burgundus, Normannus & Aquitanus; totidem Comites Campanus, Flandrensis & Tolosanus: Mensibus & Ventis nomina Germanica indidit iuxta propriam linguam vtpotè ipse Francus Germanicus lingua & veste Germanica vtens; Legatos Persatum Saracenorum ex Asia, regum Barbariæ & Mauritaniæ ex Africa, adhæc ex Sicilia, Dalmatia,

Ritius de Regibus Franc.

Hispa-

Hispania, Hierusalem, Venetiarum & Imperatoris Constantinopolitani amplissimis cum muneribus missos audiuit, qui omnes eius amicitiam ambiebant honoresque vltrò deferebant: ieiunio, litaniis, orationibus bella inchoabat, ipsoque bellum parante Clerus orabat, sicut Moyse suppliciter deprecante Israel vincebat, & veluti Dauid Spurio Philisthæo dicebat: *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel:* sic Karolus in nomine Domini bellum auspicabatur. Planè admiratione digna res est, quod antequam ad bellum aduersus hostes Karolus cum exercitu proficisceretur, ad componendum ciuilem statum & benè disponendas res Ecclesiasticas Episcopos & Abbates conuocare consueuerit, his planè Karolus Diuinum sibi Numen concilians, aduersus hostes pugnans victor semper extitit, docens omnes Principes Christianos qua via sit incedendum, vt maxima quæque intrepidè aggredi, fortiter prosequi atque fœliciter valeant consummare: pro iis quotidie vsque ad mortem orabat qui in prælio occubuerant, mittendo in eundem finem donaria ad templa vt pro iis Deum deprecarentur: Saracenos ex Hispania propulsauit, ad Corsicam, Sardiniam, Maioricam, Insulas eosdem infestauit, bella illi vt plurimum erant contra infideles, & hostes Ecclesiæ Catholicæ, non vt peruersos Catholicos magis seduceret, vel orthodoxam Fidem oppugnaret (quod sectariis, vti antiquis, ita & modernis studio semper, ac cordi fuit, dissipare, perdere, ac mactare) sed vt infideles in vera fide erroneos germanæ matris Ecclesiæ gremio aggregaret, vnde verissimè de ipso concinit Basilica Aquensis, Leone fortior, sed agno mitior hostes Christo regenerat baptismo: ob idque eorum, quos ad suaue Christi iugum reduxerat indigitatus est apostolus, quoniam non minus gladio illis, totique Ecclesiæ, quam apostolus aliquis verbo profuisset, hinc rursum dicta Mariana ædes inter cantica hoc ei elogium tribuit: Confessor obsequio Karole, martyr affectu, gladio Apostole, &c. Regno Francorum, quod à Patre acceperat, tantundem, & longè plura addidit, Salam, Ligerim, Anassum amnes, Alpes maritimas, Littoreas, Cottias, Iulias, Rhetias, Graias, Peninas, Noricas: extrema Imperii Francorum media fecit, subegit inuictus Karolus vi Franciam, atque in Germaniam trāstulit, Aquitaniam viuente adhuc Patre, perdomito Duce Aquitanorum, subiu-

Card. Bar.

Exod. 17.

1. Reg. 17.

Gaguinus.

Auentinus.

gauit,quo quidem bello,veluti tyrocinio Karoli militare Imperium auſpicatus; Vaſconiam, Nauarram, totumq; Pyrenei montis iugum, Italiam,Regnum Longobardorum,cum terrarum Dea gentiumque Roma, Pannonias, Hunniam, Auariam, Baiouariam, Dalmaciam, Noricum inferius; Daciam, Hiſtriam, Carniam, Liburniam, Angliam,Britanniam,Saxoniam,Weſtphaliam, Friſiam, ſuæ poteſtatis fecit, & quidem contra fidei Chriſtianæ perduelles Saxones Ælij Gracilis primi Cliuienſium Comitis Pronepotes & abnepotes ſuis auxilijs plurimum momenti ad victoriam attulerunt; Venedorum Marchiam, & optimam partem Hiſpaniæ, hoc eſt, citeriorem Hiſpaniam,vſque ad Iberum flumen ſibi ſubiecit,ex hac Hiſpania Saracenos pulſos in Beticæ angulum compulit, duabus opulentiſſimis vrbibus vi captis, ac prædæ militibus datis, Cæſarauguſta, & Pampilonia, alterâ muris nudatâ, alterâ ſolotenus euerta, eò quod Saracenos recepiſſent,& opem eis præſtitiſſent; Sclauorum nationes ferociſſimas,& valentiſſimas, Scrabes,Mæſos,Bohemos,Zechos,Morauos,Luſatios,Sileſios,Bolios, Abroditas, Mechelburgenſes,Vilizos,Velatabos,Hammelburgenſes, Brandenburgenſes,Pomeranos, Boruſcos,&c. Imperio Francorum, omnia Magnus adiecit. Haſque omnes Prouincias,quod ſummum eſt, vti dixi, ad Chriſti ſuaue iugum,ſacratiſſimam dico Chriſtianæ fidei religionem (quo potiſſimum omnia ipſius bella collinârunt) & ſacramenta pertraxit, adeò vt meritò quis dubitare poſſit,fortiorne fuerit Karolus in expugnandis ijs Ditionibus,an fœlicior in retinendis, num prudentior in Reipublicæ regimine, an religioſior in Eccleſiaſtica diſciplina; ſiquidem hæc quatuor ſingulariter in eo obſeruata. Pietas, Eruditio, Sapientia, & fortitudo; quibus cunctis aliis Regibus prælnxit, certè Pietas glorioſi Principis supernâ peculiarique ope non eſt deſtituta, cum enim militaris diſciplinæ peritis vnicè proſpiciendum ſit, ne diuerſis ab hoſtibus,vno,eodemque tempore bello laceſſentur, ipſe Karolus tam varijs ſimul implicitus expeditionibus victor euaſit, ſed neq; ſupernaturalis cõcurſus ipſi defuit,contra Saxones, vel maximè, quorum fanum Ardurmenſul (nõnulli hanc ligneam columnã fuiſſe ſub Diuo poſitam, Irminſul dictam, & à Saxonibus gentiliter adoratam credunt) penitus euertens,exercitu graui ſiti laborante,precibus Karoli impetratũ,vt medio die ex quodam torrente quantocius aquæ largiſſimè promanarint, quæ ſufficerent cuncto exercitui,& iumentis

Pighius in herculeProd.

Æmil. & Acciaolus.

Donat. Acciaolus.

Rhenan.

Regino lib. 2. annal.

mentis eorum. Sub aliud tempus, cum Saxones castellum Burlaburg obsiderent, conantes in fauillam redigere Ecclesiam à foris caste lo, quam sacrauerat B Bonifacius Martyr, protinus apparuerunt duo iuuenes miræ claritatis & candoris, videntib. tam Christianis, quam Paganis, qui ipsam Ecclesiam defendere videbantur, quorum terribili aspectu perterriti Saxones in fugã versi sunt. Ad hæc Heresburgum castrum Saxones inuaserant, & destruxerant, præparabantq; machinas, & petrarias, atq; cletas vt aliud castrũ praeriperent, & ecce videntib. aduersarijs apparuerunt in modũ scuti duo globi flammãtes super Ecclesiam, quæ in ipso castro erat, quâ visione paucfacti Saxones, relinquentes vniuersum præparationem suam, ita fuga lapsi sunt, vt se mutuo gladiis cõciderent; sic impletum in Karolo, quod ait Deus per Moysen: *Nullus stabit contra vos, terrorem vestrum, & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quã calcaturi estis.* Præterea Rege Karolo in Hyberna castra ducente militem ad Oram fluuium in loco Wolmerstede in orientali Saxonia, incessit cupido Wedekindo Saxonum Principi primario, quẽ Karolus deuicerat, licet recõciliatus esset, ignoto, & mendicũ habitu, lustrare castra Regis, & cũ mendicis ad stipem sedere; cum autem ex incuruo ad manũ digito agnitus esset, introductus est ad Regem Karolum, erat tũ sanctissimus Paschæ dies, Rex hilariter excepit venientẽ, percunctatus quid sibi vellet indignus Principe habitus: ille sub hæc, volui Serenissime Rex, hoc habitu incognitus (vt sperabã) lustrare secreta gestorum, quę cognitus nõ tam fidenter aspicerem. Quid igitur, inquit Rex, vidisti, quod te vidisse delectat? Ille, vt erat adhuc Christianorum rerũ rudis, subintulit: vidi, quod mirabar, ante biduum te vultu dimisso tristem, incertus, quid cõtigisset, quod tantũ Regem cõtristaret: Commemoratio fuit Dominicæ Passionis, quæ die Parasceues Regium vultũ obscurasset. Rursum, inquit, vidi hodierna die te primũ sollicitum, & ad rẽ attentissimũ; posteaquã verò mensam adieras tẽplo mediã, ita hilari mihi conspectus es vultu, vt repẽtinæ mutationis me caperet miraculũ: Erat autẽ stupor videre, ꝙ de manũ purpurati Sacerdotis singuli pulchellũ puerũ in os susciperẽt, quẽ quibusdã ludibũdum arridere, vltrò properare: aliis verò abhorrẽtẽ auertisse vultũ tamẽ in ora demissum, nec redeuntẽ aspexi, hoc, quid sit necdũ accipio. Tũ Rex, bene, inquit, profecisti, plus tibi aliquid, quã cũctis Sacerdotibus, & omnibus nobis ostẽsum est, inde mutata veste manu secũ abstractũ docuit

Ado Vienn. de 6. mundi ætat.

Idem Ado.

Deut. 2.

Krantzius li. 2 Metrop.

grande pietatis mysterium in altaris Sacramento. Ob hæc & alia domi, forisque gesta Heroica Græci, Barbarique coluerunt Karolum, ac timuerunt, tametsi Francorum potentia Græcis fuerit semper suspecta, tanta tamen erat virtutis in eo potentia, quod etiam Barbaros ad se traheret laudatores, ac obsequentes. Quorum omnium magnitudinem admirata posteritas, cognomentum MAGNI Karolo indidit, cum Pompeio, & Constantino. Alij arbitrantur robore corporis (cuius iam inde ab adolescentia sua specimen dederat, quando ingentem Aprum solus transfixit iuxta Belisiæ Cœnobium inter Tungros, & Traiectum, coram amita sua Landrada ibidem Abbatissa) Magni cognomen meruisse ast verius id tributum eximijs factis; vt eatenus gestarum rerum memoria æternum omni æternitati consecraretur. Optimo sanè iure ter maximus Karolus bellicâ fortitudine, scientia, & pietate, qui omnes Galliarum Reges gloria antecessit, sub quo Francorum, Germanorumque potestas in summo stetit: Rex, inquit, *Eginhardus, omnium, qui sua ætate gentibus dominabantur, & prudentia maximus, & animi magnitudine præstantissimus, nihil in eis, quæ vel suscipienda erant, vel exequenda, aut propter laborem detrectabat, aut propter periculum abhorrebat*: ter magnanimus Karolus, cuius magnanimitas ac perpetua tum in aduersis, tum in prosperis euentis constantia, nulla ratione vel vinci vel defatigari potuit, vt meritò intuentibus in dubium venire possit, vtrum in eo aut laborum patientiam, aut fœlicitatem potius mirari conueniat; excellentissimus Karolus cuius acta is egregii nostri temporis hominibus vix sunt imitabiles: Christianissimus Karolus qui Deo Duce & auspice, sua progenitorumque virtute, quod tot gentes deuicerint, atque orthodoxæ fidei mysteriis imbuerint, quod ipsi pietate cæteris Regibus pollerent, præstarent fide Catholica, & pro defensione Ecclesiæ ardentius, quam pro finibus regni tuendis pugnare solerent, id nomen Regibus Franchorum peperit; & patefacti eidem Karolo thesauri benedictionum, quas Spiritus Sanctus per manum Sancti Remigii Francigenarum Apostoli (prout eas in suo testamento scripsit, obsignauitque) super capu: Clodouei & omnium Regum, qui pietate pollerent, infudit & effudit: Verè ter beata tum Francia sub gubernaculo ter Maximi & ter Christianissimi Karoli, benè vertat vniuersi Monarcha qui corda Regum in manu habet, vt

Auentinus.

Car. Bar. to. 6.

fœli-

fœliciter partum prænomen conſeruet, ne Diui Remigij benedictio elongetur ab ea, & quæ fuit victrix tot nationum, plantatrix fidei, in pace amaritudo eius ſit amariſſima. Pſal. 108.

Prælibata de virtutibus: quo ad corpus: fuit non vulgari corporis ſtatura Karolus, etenim cum cuncta in eo magna fuerint & admiranda, neque hoc ornamentum ei defuiſſe putandum, ſed heroicæ proceritatis, qualis in populo ſacro Saul Rex & vnctus Domini, ab humero & ſurſum eminens ſuper omnem populum: non autem prodigioſæ altitudinis ceu Goliath Philiſtæus, aut portentoſus Cyclops, prout nonnulli plus quam Græcanicæ audaciæ fabulatores ac nugatores aliena à fide hiſtorica ſcribentes ſimplicitati Chriſtianæ impoſuerunt: ſi quis tamen penitius ſtaturam eius indagare velit, metiatur ex vngue leonem, ex oſſe brachij quod Aquis religioſè aſſeruatur proceritatem Regis, prout Pythagoras longitudinem Herculani corporis è plantæ eius indicio indagauit: Domeſtici ſcribæ Karoli Eginharti verba producam: *Fuit* (inquit) *corpore amplo atque robuſto, ſtatura eminenti qua tamen iuſtam non excederet, nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius conſtat habuiſſe figuram: apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta, & hilari, vnde formæ authoritas ac dignitas tam ſtanti quam ſedenti plurima inerat, quanquam ceruix obeſa ac breuior, venterq́ue proiectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas: inceſſu firmo, totaque corporis habitudine virili: Voce clara quidem, ſed quæ minus corporis formæ conueniret; valetudine proſpera, præter quod antequam decederet per quatuor annos crebro febribus corripiebatur, ad extremum vno etiam pede claudicaret.* Caniciei ſeu capillicii vno verbo duntaxat Eginhardus meminit, attamen aliunde conſtat Reges Franchorum à puero inſtar Abſalonis Cæſariem promiſiſſe & nutrire conſueuiſſe capillos, eoſque à fronte ſumma arte diſcriminatos hinc inde diffluentes in terga reieciſſe, quod vt decus Regium, Regibus tantum concedebatur, cæteris Franchis attonſis, talem quoque comam verticem Caruli ambiuiſſe, barbam verò prolixam, & valde ſqualidam haud pauiſſe exiſtimauerim, cum Einnardus exactiſſimus vitæ eius ſcriptor, vultuſque delineator de ea ſubticeat, non

1. Reg. c. 9.

Plutarchus Gellius.

prætergressurus secus vel mentum, ii qua singulari piorum promissione notatum fuisset.

Ecce talis, tantusque Imperator, tam splendidum Christiani Imperij sydus occubuit, & occuluit radios in patrio suitoq; solo ingenti omnium luctu; nemo referre potest quantus planctus fuerit pro eo per vniuersam terram, etiam inter paganos plangebatur quasi pater totius orbis; pater igitur cecidit, sol occidit orbi & vrbi Aquensi conditus in Basilica, quam tantoperè coluit, fouit & complexus est, de cuius sepultura scitè Theganus, *corpus eius aromatizatum est, & in sede aurea sedens positum est in curuatura sepulchri; ense aureo accinctus, Euangelium aureum tenens in manibus, & genibus reclinatis, humeris in cathedra & capite honeste erecto, ligato aurea catena ad diadema, & in diademate signum S. Crucis positum est: Et repleuerunt sepulchrum eius aromatibus, pigmentis & balsamo & musco & thesauris multis in auro, vestitum est corpus eius vestimentis Imperialibus, pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat, Sceptrum autem & scutum aureum, quod Leo Papa consecrauerat, ante eam posita sunt dependentia, & clausum & sigillatum est sepulchrum eius.*

Explicatius reddo Theganum, sub memoratis lapidibus cæteris plus albescentibus locus subterraneus latericij operis fornice tectus, constructus fuerat, in quo sedes collocata, eique insedit Karolus quasi viuens Triumphator, trecentis & vno supra quinquaginta annos, vsque ad ætatem Friderici primi Imp. ad annum MCLXVI. sunt qui credunt hanc ipsam sedem esse, quæ in superiore Basilicæ testitudine etiamnum visitur, ad quam per aliquot marmoreos gradus ascensus fit, & cui exacta coronatione Rom. Reges insedere assolent, dum ijs fausta imprecando Regibus & Regno applaudentes adgia ulantur vniuersi, eoque traductam tempore eleuationis corporis Diui Augusti Karoli, at neutiquā iis suffragari possum, imprimis quod superstite Karolo hic sedes Regni & coronationis cōstituta sit, vt planum fit ex ipsius sanctione priuilegiaria, dein, quod Sedes coronationis ex secto albo marmore ferro cōpaginata sit, ex Thegano autē copertum est, Sedem cui Karolus insedit, auream fuisse, vel certe in totum auratam; tertio quia Witichindus vetus scriptor libro secundo refert in auspicali die coronationis Otthonis I. eū collocatū in Xysto Basilicæ

Magno Karolo cohæreret, in solo itidem cõstructo, ea autem repertæ corpus Diui Karoli nõdum erat eleuatum, quod ab Otthone III. Imperatore primum fuit repertũ & à Friderico primo primum exaltatũ, obseruauitq; Ditmarus eius æui historicus inuentũ sub Otthone III. Karolum in solio regio, quocirca aliud solium regium cui Karolus in monumẽto, aliud cui Imperatores hodie insident die inaugurationis: Collo sic sedentis Karoli tres thecułæ reliquiariæ appensæ erant, vna adhuc stat crucis eximiã portionẽ salutiferæ crucis (de qua vti & de vestib. imputribilib. Ditmarus disertis verbis mentionẽ facit) cõtinebat, altera, quæ cathenulæ aureæ adhæret, asseruãtur Mariæ Virginis intemeratæ capilli, in tertia eidẽ Virgini Matri simillima effigies à Diuo Luca Euangelista medico, simul ac pictore egregio, teste Theodoro Lectore in primo collectaneorũ & post eũ Nicephoro li. 2. c. 43. effigiata, prout traditione accepimus; hasq; tres vel earũ vnam in expeditiones militares secũ duxisse Karolum, ac ad pectus gestasse vero nõ est absimile; equidẽ post Deum nullũ securius refugium habuit optimus Imperator quã ad Beatissimam Virginem, atq; mediatricẽ ad mediatorẽ accedendũ censebat, hinc Virginis Deiparæ sacra pignora tanto pretio habuit; quã pietatẽ ad liberos quoq; trãsmisit, etenim Ludouicus Pius eius filius nec ad venationẽ quidẽ sine Virginis Matris imagine proficisci solebat; altera manu Karolus tutelaris noster in Mausolæo volumen factũ codicẽ quatuor Euangelistarũ aureis characterib. cœruleis mẽbranis inscriptũ super genu recumbentem tenebat, super quo eodẽ libro Romanorum Imperatores sacramento solemni in hunc vsq; diem se astringunt Imperio, venerãda prorsus ac admiranda hæc est antiquitas, præstans Basilicæ huius Cimelium, quod ob id Deus in sepulchro trecentis annis & amplius cõseruatum voluit, ac rursus lucẽ aspicere, quia ad Euangelici luminis veritatẽ Magnus Karolus infideles verbo pariter cõuerterat & gladio, atq; ob fidẽ auitam copias cõtraxerat, aciesq; instruxerat: lamina argentea inaurata obductus est liber isto situ corporis Pium Augustum Karolum referẽs, quo in tumulo sedendo conquieuit: in altera manu gestabat Sceptrum, diademati vero catenula coniuncta fuit, ne caput defuncti ad aliquã partem nutaret vel declinaret, super sepulchralem cameram ditiore à terræ superficie situ assurgebat tomba è marmore albo, lapis nimirum oblongus, cui nihil celaturæ sacræ, sed insigni lapicidarum arte vna ex parte incisus raptus Proserpinæ, quod vnice demiror,

Crantz. metro. lib. 1. c. 10

n si fortè Poetici figmenti inuolucro mystica subsit intelligentia, quam ego hic proferre nolim, tum quod posteaquam Nortmannica gens Karoli Mausolæum euerterat, transuectum ex vmbilico Basilicæ sepulchrale id saxum atque muro inclusum, vt non nisi vnicum quadrangulum promineat, ignoremque cæterorum laterum schemata, tum quod plerique sentiant celatam hanc antiquitatem raram artem præferentem ex manubijs ornando Augusti Cæsaris sepulchro appositam fuisse: Annales Saxonum testantur Karolum sibi ipsi dum in viuis ageret monumentum Graniaquis struxisse, ast Eginhartus innuit contrarium cuius fidei acquiesco, super marmoratio dicto antè sarcophago arcus protendebatur quem Thegamus curuaturam indigitat in qua Epigraphe inscripta, ac imago sculptilis ipsius Karoli desuper locata.

Funus Victoriosissimi Karoli conspeximus, iam ab eo deuicti Desiderij Langobardorum Regis, qui Romanam Ecclesiam sæpius infestis armis adortus fuerat victusque à Karolo precariam vitam egit, prosequamur. Memorat Meyerus in annal. rerum Flandr. Ann. 774. Karolum Regem in gratiam Adriani Primi Pont. maximum exercitum duxisse in Italiam, victisque Longobardis finem regno illorum imposuisse, Desiderium regem cum vxore & liberis captiuum secum deportasse atque Agilfrido Leodiensium Episcopo Burgundionum Ducis filio (qui in palatio Magni Karoli diu versatus fuerat) custodiendum tradidisse: *Tandem* (inquit de Desiderio) *mortuus* Leodij est *& sepultus Aquisgrani*, quo loco Meyerus silentio premit prætéritque Reuerend. & Nob. D. Renerus à Wachtendonck Canonicus huius Basilicæ vir serius scrutator antiquitatis & veri inter cætera complura suggessit mihi à priscis traditum quod ad pedes Karoli ita in sepulchrali sede positi vt caput altare respiceret, Desiderius vna cum vxore & liberis humatus sit, argumentoque esse etiamnunc saxa tria aduoluta Cenotaphio Karolino sub quibus terræ redditi. Hoc etiam obseruatum hucusque in Principe Ecclesia Virginis Matris præter Augustos Diuum Karolum, Othonem III. & Desiderium Regem neminē vel retroacto vel hoc æuo tumulatum, cæteroque sepulchrero ac recubitorio Canonicorum Capella Diui Nicolai templo contigua initio sæculi quinti supra millesimum ea qua nunc visitur forma structi deseruit, atque præscripta obseruatio antiquitus ad nos profecta semper obtinuit, olim siquidem non in Ecclesijs sed

in

in Cœmiterijs, sepultura donabantur fideles, cautumque erat ne in Ecclesiis mortui tumularentur: Imperatoribus tamen Regibus & principibus datum est cursu temporis vt intra Ecclesiam sepelirentur, nam & ipsi principio extra templa humati solebant vt probè liquet ex Chrysost. hom. 66. ad pop. Antioch. Niceph. lib. 14. c. 58.

Capit. quibus ca. nullus ca. præcipiendũ 13. q. 2 ex Cõcilio Triburiensi Nannetensi & Vasensi.

Expostulant vlterius egregia Imperatoris Karoli immò Regia in Christianam religionem veræ sanctitatis merita, quin & ordo ipse deposcit, cum vt ille canit

Ouid. lib. 3. Metam.

Diciquè beatus

Ante obitum nemo supremaque funera debet.

qualiter Canoni Sanctorum inscriptus & inter Diuos relatus aggrediamur. Post vastitatem Aquisgranēis à Septentrionalibus populis illatam sub Otthonibus Imperatoribus è Saxonum Ducibus languidum erigere caput ac reflorescere cœpit hæc vrbs, post inuentum corpus Magni Karoli: Sigonius de Regno Italiæ ad memoriam posterorum transmisit Otthonem tertium anno millesimo in Germaniam profectum quinto Idus Maii Aquis transegisse: vnde etiam diplomata dedit, atque ossa Karoli Magni, quæ tum populis erant incognita è tenebris eruisse: quæ dilucidè magisque specificè Ditmarus refert de primo aduentu Otthonis in Italiam & reditu in Germaniam: *Reuersus* (inquit) *Aquisgranum Karoli Cæsaris ossa vbi requiescerent cum dubitaret, rupto clam pauimento vbi ea esse putauit, fodere, quousque hæc in solio inuenta Regio iußit: Crucem auream quæ in collo eius pependit, cum vestimentorum adhuc imputribilium parte sumens cætera cum magna veneratione reposuit:* Hæc Ditmarus. Ex quibus scriptoribus euidens fit Otthonem Tertium adinuenisse quidem primum corpus Magni Karoli, verumtamen eodem rursus reposito, non nisi adiacentia corpori extulisse, quorum alia Basilicæ nostræ, cuius erant, reliquit, puta Codicem Euangeliorum, Ensem, Sacra Lipsana, &c. reliqua Noribergam dicitur transtulisse, Coronam, paludamentum seu pallium Magni Karoli, pomum orbis iudex, Sceptrum &c. quæ ad vsus Coronationis Reg. Rom. in hoc vsque æuum ibidem asseruantur. Post Otthonem seculo vno ac dimidiato interlapso Fridericus primus hoc nomine Imperator gloriosissimus Imperii habenas moderatus est, *qui anno* MCLXVI: *Natalem Domini Aquisgrani celebrat, ibi quarto Cal. Ianuary cum fre-*

Lib. 7.

M.S. Basilicæ huius.

quentia Pontificum ac Principum magnoque cum tripudio Cleri & populi extulit de Sarcophago ossa Karoli Magni Imperatoris vt sepultus quieuerat annis CCCLII. *& quædam Regalia xenia in vasis aureis & pallijs sericis tam Imperator quam Regina eidem contulerunt Ecclesiæ additis decem marcis annuatim, alius M. S. donaria Beatricis Augustæ singillatim recenset vas & Corona aurea, casula magna pallium de examita rufa, parsque de ligno Domini.* Instantiâ eiusdem Victoriosissimi Imperatoris Friderichi memorato iam anno solemniter Magnus Karolus de licentia Papæ Paschalis & ex consilio vniuersalis Cleri adnitentibus atque adlaborantibus haud segniter Reinoldo Archipræsule Coloniensi, & Alexandro Antistite Leodicensi, est Canoni Sanctorum adscriptus & inter Cælites relatus vt scitum fit ex diplomate Aquensis Ecclesiæ typis postmodum euulgato, quod hic Lectori damus.

Cõplete tantum CCCLI.

Ex samita quod modo holosericum dicimus.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Decanus & Capitulum Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis gloriosæ Vrbis Aquensis Leodiensis Diocesis Salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere, ad vestram & cuiuslibet vestrûm notitiam deducimus, quod veneranda S. Karoli Magni Imperatoris gloriosissimi Confessoris Domini Patroni & fundatoris Ecclesiæ nostræ Canonizatio solemnis extitit Anno millesimo centesimo sexagesimo sexto quarto Calen. Ianuarij tempore diuæ memoriæ Serenissimi Principis ac Domini Domni Friderici primi Romanorum Imperatoris de licentia fœlicis recordationis Domini Papæ Paschalis, & ex consilio vniuersalis Cleri debite & Canonice celebrata, quã cum alma matre nostra Catholica Romana Ecclesia firmã sanctamq; tenemus: Ipsum sanctũ Karolum tanquam Confessorem verum sanctũ nostrum patronũ Canonicatum venerantes in terris, qui cum electis Dei proculdubio collocatur in cœlis. Harũ testimonio litterarũ sigillo Ecclesiæ nostræ ad causas sigillatarũ & datarum sub Anno à Natiuitate Domini, &c.

Sub idem æuum sic exaltati & cœlestium agminibus inserti Karoli corpus mox decenti loco rursus condi oportuit; aptata igitur arca ac repositoriũ peramplum ex argenteis laminis operosè fabrefactũ encausticis picturis relucens in quod compago ossium ac cinerũ Karoli,

corpus

corpus itidem Diui Leopardi Martyris magnæ inter Romanos nobilitatis per Reinaldum Archiepiscopum Coloniensem & Alexandrum Antistitē Leodiēsem illata: illud hodieq; ara Chori incūbens spectanus ad cuius latera considēt in solio regali Rom. Reges fundatores ac dotatores huius Basilicę argēteis simulachris opere prisco effigiati: Karolus, Ludouicus, Pius, Lotharius, Zendeboldus, Otto I. II. III. & IV. Henricus I. IV. V. & VI. Fridericus I. & II. Mag. Chron. Belg.

A fronte ac tergo Icones Virginis Matris, & ipsius Karoli Augusti cum his allusionibus metricis, Ad istam:

Virgo manens placa nobis prece quem genuisti
Stella maris parere quæ sola Deum meruisti.

Ad hunc:

Ecclesię Christi tu lux, tu gemma fuisti
Karole flos Regum, decus orbis, orbita legum.

Per temporis interstitia Reges, Principes, proceres, prout quiuis propidiore deuotionis æstu in Karolum propensior fuit reconditorijs aureis, aut argenteis auro imbracteatis, discriminatim membra ipsius venerantes inclusēre: Porrò tantus fuit maiorum nostrorum zelus ac pietas in Diuum tutelarem Karolum vt quantumuis Carulus huius nominis IV. Imperator vna cum Antistite Vbiorum promotorialia scripta dederint ad Senatum Ecclesiasticum ac politicum Aquensem in fauorem Caroli Francorum Regis, pro nanciscenda portione Reliquiarum ipsius Magni Karoli, & in consimilem sensum anno salutis MCCCXCIV. Ciuitas Ratisbonensis annoque gratiæ MCCCCXCIII. Serenissimus Fredericus III. Imperator, ac Theodorus Archipræsul Coloniensis, nihil quicquam tamen impetrârint.

Aduersus prællegata à fluctuante animo nonnulla obtendi ergerique possent: Primum quamobrem Ecclesia quarto Kalendas Ianuarij non recolat potius per anniuersaria sacra eleuationis, translationis ac inter Diuos relationis memoriam quàm sexto Kalendas Augusti. Ad quod plerique renuntiant fuisse olim diem quartum Kalendarum Ianuarij dicatum ac celebrem Karolo, sed postquam Diuus Thomas Cantuar. præsul pignore sanguinis sui Christum testatus est qui eodem die post euolutum quinquennium anno salutis MCLXXI. glorioso martyrio occubuit, translata memoria exaltationis Karoli ad diem sextum Kalendarum Augusti,

 cessisse

cessisse nouo martyri antiquum Imperatorem & Confessorem: aliis vero similius videtur vltimam repositionem corporis Karoli in splendidum conditorium ac lipsanothecam factam mense quintili.

Alterum Paschalem Tertium illegitimè in Pontificatu sedisse contra Alexandrum Tertium: ita est, atque ob eam causam nomen karoli aut non est illatum in Ecclesiæ Romanæ Martyrologium, aut inde expunctum; verum quod non reperiantur legitimi Pontifices Canonizationem aboleuisse aut impugnasse, res ita tacita permissione & tolerantia perseuerat vt videlicet in propria Ecclesia Capella sua Aquisgrani vbi sepultus fuit coleretur; hoc modo præcipui Canonum Interpretes Card. Ostiensis & Ioan. And. in ca. 1. de reliq. & vener. Sanct. declarârunt. Cæteroqui decursu temporis propagatus est eius cultus in alias Ecclesias Belgii, Germaniæ atque Franciæ propter erectas diœceses, templa, aliaque præstita beneficia, in quibus karolus sanctitatis titulo celebratur, id quod tempore Ostiensis & Ioan. Andreæ nondum fiebat.

Canonizationis karoli solemniis ita ex voto actis senatus consulto cusa moneta hac signatura S C̄ S Karolus Mag. Imperator; & alia S E S karolus Mag. Imperator vti in priscis nummis etiamnunc videre est. Inscriptus fuit pariter sub id tempus Martyrologio Basilicæ Aquensis hac forma verborum quam Molanus hinc deprompsit.

Quinto Kalendas Februarij Aquisgrani Basilica natale S. Karoli Confessoris Primi de stirpe Francorum ordinatione diuina Romanorum Imperatoris Augusti qui ab ineunte ætate sua sæculi pompam despiciens imperialis potentiæ gladio, & sanctæ prædicationis verbo, vitaque salutaris exemplo conuertit Guasconiam & Hispaniam atque Galiciam, in ea namque corpus Beati Iacobi Apostoli nefandis idololatriæ ritibus oppressum hodierno honori restituit, cui templum fundauit, in quo Canonicos disposuit & Episcopum ordinauit; conuertit quoque ad Dominum Frisiam, Alemanniam atque triplici tropheo Saxoniam; ædificauit quoque proprijs sumptibus ad laudem & honorem Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis XXVII *Ecclesias quarum excellentiæ typum obtinet Aquensis Ecclesia suffragijs præsentibus gloriosa.* Hucusque Martyrologium. In additionibus ad Vsuardi Martyrologiū apponitur, fide studiosissimè ampliata, statu Ecclesiæ

religiosè

religiosè ordinato, Regno etiam suo dilatato ac pacificato, anno Domini 814. ætatis suæ septuagesimo, Imperij vero decimoquarto quieuit in pace, & pro magnitudine fidei ac operum cognominatus est magnus. Ludouicus XI. Francorum Rex tantus fuit Karolinæ virtutis venerator ac sanctitatis Zelator vt graui pœna seuerè districteque Parisiensibus indigenis interminatus sit, qui festam lucem obitus Karoli Mag. Imp. solennem agere detrectarent, mittens eo fine feciales per compita platearum denuntiatum ne quisquam eo die religioni sacro seruili operæ vacaret.

Imperio præfuit XIII. annos vnum mensem & dies IV. Robertus Gaguinus.

Dictum duos esse dies festos faustosque summæ ædi & vrbi incolis & accolis in Diui tutelaris honorem: Alterum mortis qui & natalis; Alterum exaltationis & cœlestium agminum Choris insertionis, ijs igitur se vel maximè prodit pietas Cleri populariumque in Karolum, & religiosa obseruantia erga priscam Basilicam: Cœtus Religiosorum comparens in odeio Augustissimæ domus & qui de primario Magistratu, ibi in sacro iubilo precibus, gratiarum actionibus, hymnis & canticis spiritualibus festiuè peraguot has memorias, idem obtinet in statiuis ferijs quæ anniuersaria gratulatione Augustissimo Christi corpori obiuntur, quippe vniuersus Vrbis Clerus ac multitudo plebis confluit catervatim ad Karolinam sacram ædem, auditisque diuinis, ciuici artefabrefacta Karoli Magni miræ magnitudinis statuam dextra sceptrum, læua Ecclesiam gestantis anteferunt, è sacro Clero duo caput Diui Augusti tutelaris Imperatoris in liligero deportatum conditorio in vestibulo Basilicæ duobus ex Scabinali Collegio custodiendum ac deferendum consignant, duo item eiusdem Iudicij Collegæ sæcularium Karoli exuuiarum insignia, alter cornu prægrande eburneum, cuius appendicio funi iteratò verba, bein ein /infixa; alter gladiolum auro gemmisque redimitum, in capulo cute serpentis, in Vagina vnicornu parte non modica contra toxica quæuis conspicuum circumgestant; alia etiam Diuorum lipsana eadem religione veneranda ac conspicanda circumferuntur: per hæc vero lætitiæ publicæ signa vniuersi vno ore profitentur conclamantque: Karolo Parenti patriæ fundatori primo & optimo se debere Patriam ac patria Priuilegia.

PRINCEPS ARA MARIANI Templi, prodigia ac Thaumata fide perscripta, longæuitas structuræ Karolinæ, odæi Choriue conditus ea recentior.

Caput sextum.

QVÆ ennntiat Eusebius li.10.ca.4. aram scilicet primariam in antiquis Basilicis in medio sanctuarii sitam fuisse, vndique circum circa cancellatione septam vt à plebe & multitudine eò non posset accedi;& Euagrius lib.2.ca.3. structuram Basilicæ sanctæ Euphemiæ in qua Synodus Chalcedonensis ante cancellos sacri altaris celebrata est graphicè d lineans: *ad cuius*(inquit)*latus versus Aquilonem est alterum ædificium quod spectat ad Solis ortum ipsum ad formam testudinis columnis valde artificiose fabricatis & paulo post, intra testud nē ad orientem & sacrarium decore constructum in quo sanctissimæ Martyris Reliquiæ in capsa bene longa reposita,&c.* de hac sacrosancta Ecclesia itidem verificantur, Princeps quippe ara in meditullio sanctuarii locata cancellis in orbem tornatis circumdatur, operosa testudine columnis sustentata tegitur, cui super incumbit arca conditoriumque oblongum ex cælato auro argentoque vetusto opere scienter elaboratum Saluatorem ac bissenos Apostolos per argenteas iconas, cæteroquin vitæ Christi quæ nostra instructio est mysteria cælatura repræsentans ac in hoc recondita Sacra lipsana quæ statis septenniis fidelibus propalàm commonstrari veneranda consueuere, quod fere totum ac repositorium pridem vi necessitatis premente aut deuotione postulante ad infausta auertenda seu prospera comprecanda à clero per publicas supplicationes circumferebatur prout olim arca
3. & 6. fœderis ad cuius portationem mirabilia operatus est Dominus, ac in

orien-

orientali Ecclesia Constantinopoli incidente siccitate sex mensium sacrum mantile scriptam ad Abagarum Christi epistolã, sacras cunarum fascias, circumgestatas, itemque sub Heraclio Persis grauissima obsidione Constantinopolim prementibus, sub Leone Isauro Saracenis eandem vrbem obsidentibus Christi ac Deiparæ diuinas imagines viuifica ligna & venerãdam Dei Parentis vestem itidem circumlata mænia legimus in Græcorum triodio; neq; immerito locum nobilissimum sacra lipsana in Aquensi Basilica sibi vendicant, cum & apud Hebræorum gentem consimilibus horum figuris dignũ conditorium ac tabernaculum factum, digniorque sedes tributa; in arca fæderis Manna reseruabatur in vrnea aurea, ibidem tabulæ decalogi, verba legis à Moyse scripta, virga Aaron quæ fronduerat reposita, intulisse autem Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum templi in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim clarum fit ex 3. Reg. 8.

1. Reg 4 & 6
2. Reg 6.
Curopalat
Mandilium
Glyc in Im
Mich. Papl
Cedrenus.

Exod. 16. v 3
Deut. 10 v. 1
Deut. 31. v 2
ad Heb. 9. 4

Spectata libertate & singularis prærogatiuæ præsidio memorata maior ara munitur, siquidem præter vbiorum Archymistam & Eburonum Præsulem grandæuioresque septem Presbyteros quos Cardinales Canonicos vocant, ac Vicariam Regis Roman. operam ad implentes in ea Diuina facere fas nulli; his vero senioribus veluti Cardinalibus consequenter indumentis talaribus è cocco, & purpura insignibus videlicet honoris indultum est deinceps amiciri in argumentum & notam præeminentiæ; videre est hodieque schemata tam in aulæis acu picta quam in fenestris colore vsta in quibus exprimuntur purpurato habitu Canonici, diploma de septem Cardinalibus Diaconis & Presbyteris hic tibi damus.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei dilectissimo filio Otthoni Romanorum Imperatori Augusto. Aequum igitur & dignum iudicemus Imperialis honorem regiminis potestatem Apostolica authoritate paterna firmari & de omni bona voluntate & beneficijs cunctis ab Imperatoria potestate sacra cui loco concessit digna Deo gratias dare, atque ideo quia postulat à nobis qualiter locum & Ecclesiam Aquisgrani palatio bonis ex vestra deuotione inchoatum principijs, nostra Apostolica munificentia confirmaremus authoritate, Et vt etiam bene inchoata principia, eo meliore fine vterentur supradictæ Ecclesiæ concedimus Clericorum congregationem Catholicorum subli-

miter & vt regulariter viuant commendamus. Insuper etiam statuimus ac per nostri præcepti paginam & inconuulsum decreuimus in suis dicta Ecclesia septem Cardinales Diaconos, & Presbyteros Cardinales septem huic Ecclesiæ in eorum ministerio deseruire, ea videlicet ratione vt nullius dignitatis persona super sacrum altare Dei Genitricis Mariæ ibidem constitutum Missam celebret præter prædictos septem Cardinales Presbyteros & Arch.episcopus huius loci & *Episcopus Leodiensis qui Diœcesi præsidet, & hoc sub anathemate firmiter corroboramus,*&c. *Datum 997. mense Februarij, Indictione decima, sexto Idus Februarij per manum Ioannis Episcopi Ecclesiæ sanctæ Albanensis & Bibliothecarij sanctæ Sedis Apostolicæ, Anno Pontificatus Gregorij Quinti Papæ primo regni tertii Ottonis Imperatoris.*

Insignem prærogatiuam huius & paucarum Ecclesiarum hoc indultum prodit quo his quatuor & decem de senatu Ecclesiast co inter cæteros magis eminere datum est; Ludouicus pius Imperator sacrorum custos sanxit ne Antistes sacerdosve aut initiatus sacris, serico, purpura, cocco, Baltheo auro operosè bullato, gemmato cultro vteretur, præterquam in sacrorum ministerio, verum huic decreto, quoad aliquas Ecclesias ad quas speciali deuotione fuerunt inclinati nonnulli insequentes Apostolici, Imperatores aut Reges abrogârunt & purpuratos grandæuiores prodire permiserunt, eisdemq; celebrioribus festiuis diebus solemni ritu rem diuinam facere, hinc illud in c. Ministerium de officio Archipresbyteri: diligenti cura prouideat ministerium Sacerdotum Cardinalium. Paschalis II. anno 1102. conforme priuilegium Compostellanæ Ecclesiæ attribuit, in qua tametsi plures Canonici sex tamen septemve Cardinales vocantur qui sacrificium faciunt solemni ritu in altari maximo sub quo corpus D. Iacobi Apostoli requiescit, vt testatur Mariana libr. 10. de rebus Hispaniæ c. 6. & olim in Ecclesia Rauennate & in Aquileiensi quoq; Mediolanensi Beneuentana & Pisana teste Anastasio Germanio lib. 3. de sacrorum immunit. c. 6. Canonici Cardinales vocabantur, tanquam Canonici Ecclesiarum principalium vel tanquam reliquis eiusdem Ecclesiæ Canonicis digniores: quorum vel purpura vel Tiara Episcopalis insignia erant, quibus à reliquis Canonicis discernebantur:

Alii scriptores 12. ponût,

Metro-

Metropolitanæ etiam Maguntinæ Innocentius P.M. an. 1240. simile quid indulsit vt Præpositus Decanus Cantorque Mitra in sacris vtentur.

Ara hæc prisca Deiparæ Virginis vt in ea recolenda perstem in multa est veneratione ac semper fuit ad hanc Vngari, Bohemi, Francigenæ Sclauones & alij de longinquo cateruatim accurrunt diuinisque adsistunt, Dei matrem humani generis aduocatam ad quam vti Cynosuram feruntur Christi fideles religiosè salutant, vota quæ voce nuncuparunt opere persoluunt, est eius hic veneranda species ac simulachrum ad quod vt tepescens in Christianorum animis fides incalescat supernaturalem opem humanas transcendentem vires Deus optimus haud infrequenter præsentissimam commonstrat, inde eorum qui vel optatum valetudinis ac salutis beneficium assequuti seu discrimine vitæ fortunarumue elapsi appensa grati animi indicia, icunculæ fulcra, catenæ, claustra', compedes; quamobrem autem Numen istud præstantissimæ mentis quod vbique est, idem est, æque vniformiterque potens, non vniuerso in loco sed hoc vel isto ad Diuiparæ iconas mirabilia operetur, (latrent quãtum velint canes ad lunam, variis sectis impliciti ad Christi matrem Virginem) si perconteris? quæro itidem ego, cur iussu Prophetæ Elisæi Deus Naaman Syrum septies aqua Iordanis sese abluentem à lepra emundari voluit? nunquid per alias Iudeæ vndas idipsum factitare poterat? aut per Abana & Pharphar fluuios Damasci sanitatem restituere valebat? cur teste D. Ioanne vniuersitatis Parens qui vbique sanare poterat per aquam piscinæ Hierosolymitanæ quam probaticam nuncuparunt quinque porticus habentis simulac indies singulos per Angelum semel turbata esset quosuis morbos tametsi incurabiles & inueteratos curauit, sic tamen vt huius salutis non simul omnes sed quotidie vnus dumtaxat qui primus post motum aquæ in illam præ aliis descendisset particeps efficiebatur potius quam per alias? quorsum in veteri lege author naturæ per Virgam Aaron miranda operatus est & non per quæuis promiscua ligna? quamobrem ex hac petra & non ista percussa aquas scaturire voluit? altum ac inscrutabile beneplacitum Dei, quis rimabitur illud? Dei sapientia est ludens in orbe terrarum? Dei imperuestigabilis voluntas est, quæ nullis terminis circumscribitur quis consiliarius eius fuit aut esse præsumit?

4. Reg. 5.

Ioan. 5.

Prou 8.

Aug. Epi. 137. ad Clerum & populum Hipp.

lumit? Sic D. Augustinus idipsum animo obuoluens, *vbique quidem Deus est & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet, verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt quis potest eius consilium perscrutari quare in alijs locis hæc miracula fiant in alijs non fiant? multis enim notissima est, sanctitas loci vbi beati Fœlicis Nolensis corpus conditum est, quo volui vt pergerent quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum, nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam SS. vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam qui ad eum locum venerat vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere*; Hæc D. Augustinus: quibus addo Christum in natalitio suo solo ob impietatem ac incredulitatem gentis nulla aut rarissima edidisse signa, eodem ex capite forsan vno loco firma incussaque fide supplicantibus prodigiosè opitulatur, potius quam alio, ac veluti Virga Aaronica ob miranda opera digiti Dei præsentis indicia in eadem perpetrata al[i]js nemorum campestribusque lignis magis culta, sic ex[i]cones quas coruscare vult mens Diuina radijs splendoris sui, maioris par est vt sint venerationis, vnius atque alterius Reginæ cæli hic patrocinia in extremis implorantis qui supernum beneficentiæ succursum persenserunt produco exemplum: Anno salutis MCCCCXLVIII. ipsa memoriæ Virginis in cœlestia assumptæ confident in Aquis in taberna populares poculis ac genio indulgentes liberalius ac vti alterum ex altero profluere assolitum ad iurgia & ferri acies stringendas ventum, Caupo ad compositionis media strenue adlaborat; sic punctim illi immedicabile vulnus inflictum vnde & animam egit, cædis reo mox iniecta vincula, ac comminuta prius brachiorum tibiarumque compage viuo in rotam acto occurrit consideratio salutaris superesse nihil quam supernam opem in preces se dat, votum nuncupat Diuam Virginem aquis cultam implorat, illa ilico voto adfuit vsque eo vt diuulsis funibus descenderit pœnitens stipitem ac repens ad portas Aquensis vrbis medicam manum efflagitat ac nanciscitur: ast regno Aquensi proscriptus est.

Quarto decimo Kalendas Maias Anno 1478. alius in Municipio Porcetano ob furta & rapinas in furcam adiudicatus votum misit, post horæ quadrantem Diuina plane prouidentia intercessiones factæ pro appenso vt gratiam sepulturæ consequeretur, in quod dum subscribit Iudex ac iam exanime vt æstimabatur corpus terræ committendum foret, Spiritus redijt, sensimque motus: sanctimoniales Porceti languidum ad se receptum eousque fouerunt vitali succo vt valetudine firmatus in spem vniuersos erexerit vitæ integrioris præsertim quod persentisceret gratiam ac salutem sibi impartitam supernè per Deiparæ suppetias, verum quod Philosophus vsurpat habitum alteram naturam, in hoc mortali liquido proditum, dum enim feroce ingenio ac nefanda voluntate furtorum indomitam libidinem Traiecti ad Mosam repetit ibidem capitis luit supplicium: Non adeo pridem ex vico Wilch neruis contractus dum Diuam Turelarem Aquisgrani altis æstuantibusque suspiriis salutauit solutione neruorum consequuta sanus fulcra aræ consecrat nullo indigus adminiculo: eorum qui aperto linguæ conuitio denteque maledico B. Virginem Aquis cultam lacerârunt & mox meritas pœnas iusto Dei iudicio à gloria virtutis eius dederunt: itemque eorum quorum posteaquam rebus humanis exempti spiritus apparuere & suffragia sacrificiaque deprecati sunt eo quod in viuis facultates terrenas iniquo iure possidissent non pauca sunt exempla haud pridem à me visa.

Vitæ Diui Bernardi etiam memoratu dignissima prodigia inferuntur: Aquisgrani Sede regia dum in illa famosissima toto terrarum orbe Capella Vir Beatus Missarum solemnia celebraret claudo Homini gressum & cœcis quatuor visum sub manu eiusdem serui sui Rex Regum & Dominus Dominantium potenti virtute restituit. Lib. 1. vitæ. D. Ber. c. 4.

Porrò Miraculorum Graniaquis perpetratorum ad Reliquias Illustris fidei Athletarum, Marcellini Presbyri & Petri exorcistæ meminit Einhardus seu Eginhardus qui fuerat à secretis Magno Karolo & postea eiusdem Cancellarius, demũ posito Cancellarii officio Abbas S. Bauonis Gandaui effectus est ac inter Ludouici pii Imperatoris optimates summa gloria exaltatus scribens quatuor libros de inuentione euectione sine translatione atque miraculis SS. Martyrum Marcellini & Petri: passi sunt Anno Christi CCCII. Marcelli Papæ

sexto sub Diocletiano & Maximiano anno Imperij eorum nono & decimo sub Sereno Vicario, in quorum Honorem Constantinus Imperator erexit Basilicam via Lauicana munerib. ac prouentibus eam locupletans, Damasus autem Apostolicæ Sedis factus Antistes sepulchri eorundem limina nobili decorauit Epitaphio Corpora Martyrum Anno DCCCXXVI. sub Gregorio IV. Romano Pontifice Romæ ex Basilica Sancti Tiburtii vbi per quingentos & amplius annos in eodem sepulchro conquieuerant furtim sublata sunt, sequenti vero anno Aquisgranum & inde in Gallias perlata immensis coruscauere miraculis qualia primordio nascentis Ecclesiæ cötigerunt, quæ ita literarum monumentis consignat. *Completis post sanctum Pascha octo vel eo amplius diebus cum* Rex (*Ludouicus*) *venandi gratia de Palatio* (*Aquisgrani*) *fuisset egressus Hilduinus secundum quod inter nos conuenerat memoratis* Reliquiis *de oratorio suo vbi seruabantur sublatis atque Basilicæ sanctæ Dei Genitricis illatis, altarique superpositis me vt eas inspicerem fecit acciri, tum capsam in qua* Reliquiæ *continebantur aperiens ostendit mihi vt viderem quid esset, quod & ille redderet & ego reciperem exinde sublatam de altari eandem capsam manibus meis imposuit, dataque oratione competenti, Præcentoris etiam officio functus Antiphonam laudi Martyrum conuenientem Clericis ad psallendum paratis imposuit, nosque cum illo inæstimabili thesauro recedentes vsque ad ostium Basilicæ concinendo prosecutus est, processimus inde paulatim cum crucibus & cereis laudantes Domini misericordiam vsque ad oratorium, quod erat in domo nostra vili opere constructum, eique (quia aliud non habebatur) illas sacras* Reliquias *intulimus, in illa vero processione nostra, quam de Basilica vsque ad oratorium nostrum nos fecisse dixi, quid miraculi acciderit censeo non esse tacendum: Egredientibus enim nobis de Ecclesia laudemque Domino Deo nostro excelsa voce canentibus tanta vis suauissimi odoris eam partem vici Aquensis quæ ab Ecclesia ad Occidentem respicit, totam impleuit, vt illa fragrantia pene omnes eiusdem partis habitatores, itemque vniuersi qui pro quibuslibet causis atque negotiis eadem in parte fuerant constituti ita diuinitus commoue-*

mouerentur vt omissis quæ in manibus habebantur operibus cuncti cursu rapidissimo primo ad Ecclesiam, deinde quasi per vestigium ad oratorium nostrum in quod illas Reliquias illatas esse audierant summopere festinarent. Fit immodicus intra septa nostra exultantis simul atque admirantis populi concursus, & cum magna pars eorum, qui confluxerunt id quod agebatur quid esset ignoraret gaudio tamen & exultatione repleti Dei omnipotentis misericordiam collaudabant.

Postquam fama crebrescente diuulgatum est Reliquias S. Marcellini Martyris in eum locum esse delatas: non solum de eodem vico Aquensi & vicinis etiam adiacentibus villis verum etiam de longinquioribus locis ac pagis adeo frequens & immanis multitudo congregata est, vt nobis ad officium in eodem oratorio celebrandum præter vespertinas horas atque Nocturnas haud facilis pateret introitus. Adducebantur vndique debiles & varijs affecti languoribus circa oratorij parietes à propinquis suis atque amicis collocabantur: videres ibi pene omnium infirmitatum genera, per virtutem Christi Domini & per meritum Beatissimi Martyris in omni sexu & ætate curari. Cæcis visus, claudis incessus, surdis auditus, mutis sermo redditur, paralytici etiam & qui totius corporis viribus destituti alienis manibus apportati sunt sanitate recepta proprijs pedibus ad sua reuertebantur.

Hæc vbi ad regias aures relatione Hilduini prolata sunt, statuit primo vt ad palatium regressus, oratorium nostrum in quo hæc fiebant Martyrem venerabundus accederet: Sed ne id faceret, eodem Hilduino suggerente, prohibitus ad maiorem Basilicam Reliquias deferri præcepit, ibique delatas simili supplicatione veneratus est, celebratisque Missarum solemniis obtulit Beatis Martyribus Marcellino & Petro quoddam Prædiolum, situm iuxta fluuium Aram vocabulo, Ludoluestorff *| habens mansos quindecim & vinearum aripennes nouem.*

Obtulit & Regina cingulum suum ex auro & gemmis factum pensans libras tres, quibus expletis relatæ sunt Reliquiæ ad locum

suum in oratorium videlicet nostrum, fueruntque ibi diebus quadraginta vel amplius, vsque dum Imperator palatio egrediens venandi causa solemni more syluas peteret.

Quo facto & nos comparatis quæ ad profectionem nostram necessaria videbantur, cum iisdem Reliquijs de vico Aquensi promouimus, in ipso autem nostræ egressionis articulo cum Missarum solemnia celebrarentur, anus quædam in palatio notissima annorum circiter octoginta neruorum contractione laborans in conspectu nostro curata est, quæ vt ipsa narrante didicimus, per quinquaginta annos hoc morbo detenta more quadrupedum genibus manibusque nitendo, officium ambulandi reptando impleuerat. Inde iter ingressi suffragantibus sanctorum meritis sexto demum die Mulinheimum vicum in quo sacros beatorum Martyrum cineres ad Comitatum profecturi diuisimus, Domino adiuuante, peruenimus, in quo itinere quantum gaudij, quantumque lætitiæ de illarum aduentu Reliquiarum populus in eadem via consistentibus accesserit, neque mihi silendum est, nec tamen ita vt fuit, plene dici atque enuntiari potest. Dicendum tamen est, ne res ad Dei laudem maxime pertinens quasi per desidiam silentio suppressa videatur. At primum gestit animus id referre, quod palatio egressi in multorum præsentia nos vidisse reminiscuntur.

Wurmius dicitur fluuiolus duobus fere passuum millibus ab Aquensi palatio distantem habens pontem; ad quem venientes propter multitudinem quæ nos eousque prosequebatur, iamque redire volebat, vt orandi locum haberet, parumper constitimus, ibi quidam de orantibus ad Reliquias cum alio accedens, sociumque respiciens: propter amorem inquit & honorem huius Sancti, ære alieno propter quod te mihi obnoxium esse non ignoras, absoluo. Debebat ei (vt ipse fatebatur) dimidiam argenti libram. Item alter socium suum manu comprehensum, ad Reliquias trahens, patrem ait, occidisti ac proinde inimici eramus adinuicem, nunc autem propter amorem & honorem Dei & huius sancti, deposita simultate fœdus tecum iungere atque

intre volo, vt ab hinc in futurum perpetua inter nos amicitia permaneat. Sitque hic Sanctus condictæ inuicem charitatis testis, & vltor in eum, qui hanc pacem prior irrumpere tentauerit.

Hæc & alia plurima miracula toto translationis & repositionis tempore Einhardus & Georgius venetus literarum monumentis posteris consecrarunt, quæ tanta sunt vt mensuram excedere videantur Diuinæ bonitatis, sed reuera qui omnia in numero, pondere & mensura disponit, præuidit Germaniæ labes & hæreses & ideo vt minus excusatio his haberent de peccato, mensuram bonam, confertam, coagitatam & supereffluentem miraculorum intulit in sinum Germanicarum Ecclesiarum, nunc tam signorum quam verbi Diuini eiusdemque Germani ac genuini sensus famem patiuntur molestissimam, apud Indorum vero gentem fidei plantas vt radices agant consistantque contra quosuis tempestatum turbines aduersitatisque flabra irrigat gratia mirandorum Diuina clementia.

Subsisto in supernaturalibus operibus ac quæ ab alijs consignata potissimum protuli; nunc vbi primitus sacratior senatus leuans puras manus obsecrationes postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, fecerit, Psalmodiasque statis horis supremo rerum arbitro decantarit dispiciendum: Ab incunabulis templi post decessum Augusti Karoli Clerus in medio Ecclesiæ laudauit te qui in sancto habitas laus Israel, siquidem in vmbelico ac corde rotundæ Basilicæ circa Mausolæum Karoli sedilia erant deseruientia viginti Regularibus Clericis Familiæ instituti quæ D. Augustini qui diu noctuque loquebantur sibiipsis in Psalmis & Hymnis ac canticis canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus suis Domino gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri, propitia prece Deum pro anima fato functi Karoli placare satagentes; aræque eadem tempestate ad quasuis mundi plagas promiscue positæ, prout in Ecclesia quam apud Æliam Constantinus Imperator cum Matre Helena super sepulchrum Domini miræ magnitudinis in rotunditate construxerat itemque in vrbium arce Roma in templo Pantheon nuncupato à Beato Bonifacio P. S. in honorem omnium Diuorum sacrato constitutæ erant; quod ea de causa priscos fecisse reor, quia non est

1. ad Tim. 2.

Psal. 21.

ad Ephes. 5.

locus vbi non sit Deus & prope est Dominus inuocantibus eum atque in omni loco benedicere potest anima Dominum: verum post Nortmannicam cladem cum Otthones Saxones Imperio potiti animum adiecissent ad resarciendam stragem à septemtrionali illo hoste illatam, cum primisque Tertius Otto adauctis prouentibus numerosiorem Coronam Ecclesiasticorum reddidisset Sedilia translocari, ac spatiosius odeium excitari conueniens fuit, cuius schema euidens fit ex numismatibus æuo Alberti Austrij ROM. Regis procusis, ac sub idem tempus aras omnes ad orientem vergere congruo & salubri primorum Christianorum more ab Apostolis tradito institutum eo quod oriens fons velut quidam luminis habeatur prout occidens est hyeroglyphicum tenebrarum, & sicut ab oriente lucis aduentum suscipimus corporeæ sic in orationibus illuminari super nos vultum illius deposcamus, de quo scriptum; *Ecce vir oriens nomen eius*, Cumque Christus summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech auerso vultu ab Hierusalem Crucifixus credatur respiciens in occidentem, vt aspiceremus in authorem fidei & consummatorem Iesum; recogitaremusque eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: qui verò hodie visitur chorus præcelsus ac multa luce collustratus varijs pilis assurgens qui extrorsum Christi Diuorumque simulachris saxeis in orbem condecoratus & interius suo splendore cum quouis alio certare audet, demum anno Diuini natalis MCCCLIII. structus est & per temporis interstitia vti fieri assolet cætera iuncta hoc est.

Psal. 144. — *Tertull. in Apolog c.16. Iustin. lib. qu. q.18. Orig. ho. 5. in Nú.* — *Zach. 6.* — *Psal. 109.* — *ad Hebr. 12.*

Eucharistiæ thalamus παστοφόριον ad quod cum legere sit synopticas rationes orthodoxæ fidei iugiter ruminandas & tenacissimè memoriæ figendas neque hic prætereundas censui.

Iesum Christum:

Verum Deum & hominem in SS. altaris esse Sacramento.
Omnis ratio est in virtute Dei: omnis scientia in fide.
Quod possit esse à Dei potentia est: quod sit ab eius voluntate.
Quod scimus esse, habemus ab Ecclesia quæ non errat, & à S. Scriptura quæ non fallit.
Quod non capimus ab intellectus est infirmitate.
Quod non credimus à patre mendacij qui non stetit in veritate.

Authore R.P.D. Cornelio Musso Episcopo Biton.

Iunctæ

Iunctæ itidem tubæ Euangelicæ Apostoli verbi Dei precones quorum Iconas & cultum in Ecclesiis nouæ legis consimili duodenario numero boues in Augusta æde sacra Salomonis figuratim expressere: non nescij erant Salomon & Moyses præcepti Diuini: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies*, &c, *Non facies tibi omnem similitudinem eorū quæ in cælo vel in terra vel in aquis sub terra sunt*, & tamen ille secundum sapientiam diuinitus sibi attributam picturis & sculpturis non tantum animalium sed etiam arborum & herbarum pene omne opus templi distinxit, & Cherubim similitudinem super Arcam & propitiatorium statuit, iste secundum Diuinam iussionem cortinarum varietatem & indumentum sacerdotale diuersis ornauit figuris, in quo facto cum non deliquerint recte cum ipsis Magnus Karolus picturis Musiaci operis cuius ante meminimus circumuestiuit Basilicam; recte Otto tertius Imp. dum quodam tempore mansionem in Aquensi palatio veluti in Regia sede ac Reipublicæ domicilio accepisset, aduertissetque eiusdem loci capellæ sufficientibus necdum decoratam picturis, Zelo decoris domus Dei excitus venerabilem virum Ioannem natione & lingua Italum artis picturæ quam scientissimum ab Italia accersiuit & vt doctas manus huic negotio applicaret imperauit, paruit is & singulare artificium quis expressit licet vetustate temporis vti res cæteræ interierit; quis autem Imperator eundem à patriæ sustulerit gremio breui in ead. pictura declarauit versiculo.. Deut. 6. Exod. 20. Exod. 26.. 3. Reg. 6..

A patria nido rapuit me Tertius Otto

Alter etiam versus ibidem appositus huius artificis pandebat titulum.

Claret Aquis, sane tua qua valeat manus arte;

In cuius operis remunerationem idem Otto Ioannem in Italia episcopali donauit honore, at impeditus à Duce Prouinciæ sub qua episcopalis sita cathedra qui malebat hunc virum moribus & pietate spectabilem filiæ suæ coniugio extollere, quam præsulatu; recedit ab Italia castitatis amore & impulsu & rursus reddidit se regali præsentiæ, qui tandem Leodij sub antistite Baldrico viam vniuersæ carnis ingressus sepultus est in Ecclesia S. Iacobi iuxta altare D. Lamberti martyris vbi in exarato illi epitaphio etiam de exquisito opere Aquis dicto hi versus..

Qua probat ante manum, dat Aquis, dat cernere planum
Picta domus Karoli, *rara sub axe poli, &c.*

Rectè dixi ante Karolus & Otto Imperatores eorumq; posteri & Maiores sensêre erigentes iconas & Diuorum simulachra rite usurpantes æqua bilance subnexum pronuntiatum: Non adorabis neque coles ea, hoc est, non inhiberi per se imagines vel similitudines, sed ne illis latriæ cultus exhibeatur, desudent quantum adlubuerit aduersarij auitæ fidei, quibus animas vitiare & adultero Dæmoni mancipare nihil est nisi risus & iocus vt ementito veritatis fuco simplicibus instillent, orthodoxos lapidi lignoque diuinos dare honores: scitissimè Sapiens de serpente æneo, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ; qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat, sanabatur sed per te omnium Saluatorem; eundem respectum in imaginibus Ecclesia quærit, solo Duliæ cultu eas venerans, nec enim quia populus Israel in deserto vel Ieroboam Rex vitulorum fabricatione Deum offenderant, idem serpens æreus iussu Domini à Moyse factus despectui erat, sed tum demum ab Ezechia Rege Iuda confractus, cum superstitiosa religione coli cœptus.

Sap. 16.

In centro & corde odei sub pensili Augustissimæ Templi & vrbis Aduocatæ Diuiparæ non ineligante sculptili conspicis è nigricante marmore, prægrande monumentum pumice expolitum notarum aut figurarum nihil referens, Ottonis Tertij Imperatoris, qui salutarem illam sanctionem tulit septem Procerum Alemanniæ Electorum in deligendo Cæsare conditorium est, vita cessit in Vrbium arce Roma anno climacterico seu hebdomatico eius XXVIII. veneno à Crescentii (quem sibi rebellantem Cæsar capitalem subire sententiam iusserat) vxore sublatus, aiunt plerique Imperatorem si consilio Beati Hereberti acquieuisset haud casurum fuisse in fraudes nefariæ mulieris atque ita commonitione B. Viri postposita, à fœmina intra conclaue dormientem Ottonem veneno infectum qui vt persensit supremam horam instare id à D. Heriberto Vbiorum Pontificè & Tuitiensis Abbatiæ fundatore postulauit vt corpus suum Aquisgrani sepulturæ committeretur. Annales M.S. Basilicæ huius paulo aliter, memorant S. Herebertum cum Ottone eius nominis Tertio Romam profectum (siquidem sub id æuum Antistitum aut Archipræsulum aliquem Cæsar lateri suo sociabat

cuius consilio perlæpe tota Imperialis curia parebat) ac comperta ibidem inopina morte Imperatoris, Romanos eam celasse, veritum ladem casuumque tristiorem eo quod incolarum non paucos b næcem Crescentii Cæsar exasperasset ac in se furorem ciuicum cendisset, proindeque fato functum Ottonem Paludatum veluti si superstes, ac expeditionem aliquam cis Alpes suscepturus fuisset, in Sueuiam deferri mandasse, tumulatis solenni pompa intestinis Augustæ vindelicorum, Aquisgraneis vero exangui corpore funerato ac terræ mandato: Euexerat Ottho Heribertum ad culmen honorum proin vir sanctus si arum partium esse dux t, honorificum hoc pietatis suæ monumentum Cæsari de se optime merito ponere, cui inferretur quod mortale fuerat, Saxum leuigatum ac glabrum est, carens cælatura tituli ac nominis, in vestiario attamen seu sacrario hi optimo Cæsari inscripti versus.

Romani Imperij decus amplum tertius Ottho
Corpus Aquisgranum, Augusta sed exta tenet.

Quod Basilicam amplis prouentibus locupletârit atque vrbem hanc post Gothorum clades in Metropolim sublimarit, anniuersaria sacra religiosus Clerus debito ritu pensitat tanto Imperatori in hanc vsque ætatem; Augustæ ad Sanctæ Mariæ quod viscera ibi condita iaceant Fridericus Tertius Dux Saxoniæ &c. progenitori suo seculch atem memoriam faciendam curauit.

Restat vt tribuamus hoc Carolinis structuris & fundationibus, non modo Aquis sed & in tota Europa, quod cæteris cæterorum Regum ac Procerum fuerint solidiores, longæuioresque ex quo zelus, feruor, candor spiritus, quo Diuino numini Ecclesias, Ecclesiasticosque redditus obtulit Carulus dilucide explorata sunt, vnde non permisit præpotens Deus facile collabassere hæc sacra ædificia, sed respexit ad Karolum & ad munera eius, benedixitque in nunquam intermorituram ætatem; Xystus & palatium Regale in Aquis iam pridem ruinam passa, ille partim circa decessum Caruli ex humanis, partim æuo Ludowici Pii Anno DCCCXVII. quando feria quinta, qua Cœna Domini celebratur, Ludouico è templo quensi sacris solemnibus peractis se referente domum fiblicia per iam transibat porticu procidente procubuit hoc à Nortmannis combustum; Basilica porro (cuius compago lapidum tam firma, forni- Sigon. Regino.

cationumque concameratio tam duræ concrescentiæ vi ferro ægerrimè cedat, quod vnum Architectonices periti mirari possint) vitra *Exod.7.* octingentos annos perennat, etsi forte à Nortmannis tentata eius subuersio: ac veluti magno miraculo ab Aaronis virga diuinitus concessa Ægyptiorum Magorum virgæ præstigijs inuolutæ & in Dracones fallaciter conuersæ deuorabantur, serpensq; ie Moysis absumebat Serpentes Magorum Ægypti, ita structura hæc cuncta delubra Hæreticorum imposturis plena deuorat & confundit monstratque cuiuis luce meridiana clarius vbi vera fides sit ac fuerit, nempe Tertull. anno teste id Dominicum & verum quod prius, id autem extraneum, falsum quod posterius immissum, addam & commixtum: prius triticum quam inimicus homo superseminauerit zizania; primo à Domino bonum semen frumenti seminatum: auenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo postea superinductum: prior omnium Patrum Ecclesiæ in sacram scripturam concors sensus ac explanatio, quę post rior adultera & spuria est, prius domus Domini in Ierusalem quam fana in excelsis posita ab Ieroboam in Bethel & Dan, in omnibus enim veritas imaginem antecedit, postremò similitudo succedit, prius Aaronis & Eleazar sacerdotium, quam Ieroboam de extremis populi sacerdotes qui non erant de filijs Leui constituerit: vnde iure subinfero qui estis vos aduersarij fidei? quando & vnde venistis, quid in nostro agitis non nostri, nostra est possessio, olim possidemus, priores possidemus; aspicite quales lapides & quales structuræ templi huius quis è tanto numero Catholicæ veritatis perduellium simile præstitit? inuadere contra omnia iura Ecclesias, expilare monumenta pietatis, violare testamenta Patrum suorum, in arces exploratoriasque speculas commutare Cœnobia, vno verbo reperite dotes thesaurosque sacros à regibus ædibus sacratis tributos prius quam deperditi hi nouatorum fructus & tamen eiusmodi conatibus præpollere se arbitrantur Sapientia Maioribus suis; hiscene artibus aceruum opum sperent? desperent; auferet Deus iusto iudicio, vti experientia rerum magistra in dies singulos edocet, quæ iusto titulo possident; Karolum nostrum in dotando Ecclesias imitantem Magnum Constantinum, quem Augustinus ob tuitionem templorum fœlicem nuncupat, pariter fœlicissimum & maximum ob consimilia facta deprædicamus, neque inficiabitur sanæ mentis vllus; Carulo nostro quærenti primum regnum Dei & eius

Marginalia: *Exod.7.* — Tertull. de aduers. hær. ca. 31. — *Matth.13.* — Tertull. ibid. — *3. Reg.12.* — *Marci 13.* — Augustin. lib. 2. cont. a Petilia. c. 93.

sissimè donanti ad pios vsus,tanquam alteri Salomoni, cui vestigium Dei sapientiam poscenti, venerunt omnia bona pariter cum illa, superadiectæ diuitiæ,Regna,Prouinciæ: an non vident hostes Ecclesiæ Christum vt adamantem & Silicem dedisse faciem Ecclesiarum, qui in eas,earumue personas aut census violentas manus intulerit, quod semetipsum ferir & lædit? nonne Desiderius Langobardorum rex cæca carnis prudentia dum regnum Dei quod est Ecclesia insectatur & persequitur,regnum suum vna cum omni gloria gentis, Longobardicæ funditus perdidit? Leo quartus Imperator Constantini Copronimi filius paternæ impietatis hæres cum insano flagraret gemmarum amore,nec ex profano conquisitis expleri posset,ex Sacrario sanctæ Sophiæ coronam ex Iaspidibus & preciosis lapidibus confertam,à Mauricio Principe Deo dicatam abstulit, Cauillo quali nunc Hæreticorum turba passim assolet, vsus, Christum, cuius templum illud esset,pauperiem non gemmas probasse,depromptam suo sacrilego capiti imposuit,sic se augustiorem fieri ratus, cumque illam aliquot diebus gestasset, exierunt carbunculi de intumescente capite,& captus à febre vique morbi consumptus iustas sui sceleris luit pœnas.

Sap. 7.

Ezech. 3.

Blond. lib. 1. decad. 2. Mar. Ant. loc. sabel. Genebrar.

Ragenarius Dux Normannorum qui anno 486. Parisijs D. Germani Monasterium diripuerat magnificè sese efferens ob victoriam, subito concidit, & post triduum expirauit, socij vero eius plerique disenteria perierunt. Ecce lector dum sacris diuitijs inhiatur, dum aræ sacris vasis nudantur, dum Conditoria Diuorum disiectis reliquiis in pecunias conflantur vel egestate præmuntur Principes vel iusta Dei vindicta adinstar Iuliani Apostatæ citò ex hac luce subtrahuntur inglorii, dum in augmentum Diuini cultus erogant facultates, erigunt loca religiosa ac sacra, statum regni promouent, manet Dominus exercituum corona gloriæ ac sertum exultationis eorum,adeo vt in splendore pacis ac prosperitatis consenescant.

Quintus Annonaii c. 4.

(·.·)

QVI ET QVOT ROMAN. Imperatores ad Aquas Grani inaugurati, uncti, sacrati, ac augustali diademate redimiti.

Caput septimum.

CVM ante vetustam hanc aram Romanorum Reges primordijs regni initiari consueuerint, pretium operæ erit consignare singulos, qui hoc in loco corona donati, quod priusquam aggredior nonnulla circa coronationem Caroli Tutelaris perpetui cognomento & opere Magni primi Germanici Cæsaris præmittere visum est.

Primi Romanorum Imperatores laureâ corona aut ex aliqua felici arbore vsi fuerunt, primus Aurelianus auream gestauit, primus Karolus Magnus Imperij Romani coronam ex manu Pontificis Romæ suscepit, atque summi Imperij dignitatem quæ tercentum antea & triginta annos fuerat amissa, ac iam nimia vetustate oblicerata egregia virtus Karoli Occidenti restituit reuiuereque fecit, quod hac opportunitate euenit: Irene Augusta Imperium Constantinopolis tenente Romani cum Pontifice summo Leone Tertio, ac ipsi inter se grauiter dissentiebant, Pontifex cum ducentis amplius Senatoribus ad Carolum accessit in Saxoniam vsque, rogatum vt ipse Romam turbidis afflictisque rebus componendis reuerteretur, quod cum benignè recepisset Carulus ac pacata Germania Romam peruenisset, suaque auctoritate statum vrbis firmasset, Pontifex considerans hæc & alia Karoli de republica ac Religione merita, perpendens etiam incubare Imperio Romano fœminam à qua nullum præsidium exspectandum esset, per trecentos & amplius annos Imperatores neglecti Roma apud Græcos Constantinopolis consedere Occidentis Principes titulo tenus vocari, tacito Senatusconsulto, plebi scitoque decreuit, Imperium transferre iure suo in Germanos Karolumque:

Egin-

Eginhartus hæc ita refert: *Intra* XLVII. *quibus regnauit, annos quater tantum Romam votorum soluendorum ac supplicandi gratia profectus est, Karolus, cum tamen præ cæteris sacris & venerabilibus locis apud Romam Ecclesiam beati Petri Apostoli coleret, in cuius donaria magna vis pecuniæ tam auri quam argenti, nec non* & *gemmarum ab illo congesta, multa ac innumera Pontificibus munera missa, nec ille toto regni sui tempore quicquam duceret antiquius, quam vt Vrbs Roma sua opera suoque labore veteri polleret autoritate: vltimi aduentus ad vrbem potissima causa fuit, vt Leonem Tertium Pontificem Maximum varijs affectum iniurijs in integrum restitueret & statum Ecclesiæ qui nimis perturbatus erat repararet, dum igitur anno* DCCCI. *vel verius iuxta supputationem aliorum* DCCC. *adueniente die Natali Domini nostri Iesu Christi in Basilica B. Petri Apostoli venerandissimus almificus Pontifex manibus suis proprijs preciosissima corona coronauit eum, tunc vniuersi fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem quam erga sanctam Romanam Ecclesiam & eius Vicarium habuit, vnanimiter altisonâ voce Dei nutu atque B. Petri Clauigeri regni cælorum exclamauerũt.* Karolò Pijssimo Augusto à Deo Coronato Magno pacifico Imperatori Vita & Victoria. *Ante sacram confessionem B. Petri Apostoli plures Sanctos inuocantes, ter dictum est ab omnibus, & constitutus est Imperator Romanorum: ilico sanctissimus Antistes & Pontifex vnxit oleo sancto Karolum* & *excellentissimum filium eius Regem, in ipso die Natali Domini nostri Iesu Christi: idem Imperator iuramento tum se obligauit Romanæ Ecclesiæ defensorem fore. perfectis laudibus à Pontifice more veterum Principum adoratus est Karolus, ac ablato abdicatoque patricii nomine, quod primum in eadem vrbe acceperat, quique titulus post Constantinum Magnum Romano in imperio splendidissimæ semper dignitatis fuerat, Imperator & Augustus appellatus est, statua illi ante aram D. Petri collocata, prætereuntes capite adaperto genua submittebant:* diuinitus prorsus isto tempore Hæresi per Græciam gliscente coronatio & translatio Imperij contigit, iustè per Leonem & dignè in Carulum vtpote

Anno mundi 4762. Christi 800. Karolus sacratus. Card. Baron. ex Anastasio.

alij Maximo & Pacifico.

Ann Franc. sub Ludouic. Pio editi. Ado Viennensis. Post Victori[...] de Langoba[...] dis, à S.P.Q.[...] Q. R. Cõsu[...] Tribunus d[...] ctator perpe[...] tuus patritiusque nu[...] cupatus est. Auentin.

vi um piissimum, fortissimum, mitissimum, iustissimu, aduice & do ctissimum, de Ecclesia Catholica & statu publico semper & in omni bus optime meritum, optimis Christianis Principibus in omnib. coæquandum, & in multis etiam præferendum: ac sine omni lumine rectæ rationis destitutus est insensatusque nominandus, qui in tanto cumulo Regiarum virtutum, in tantis opibus, tanta beneuolentia & acclamatione ac gratulatoriis legationibus diuersarum nationum, in tot clarissimis victoriis ac triumphis, tot sacratum Ædium operosissimis structuris à Karolo excitatis consilium Dei non percipiat vel suspiciat: Eginhartus Karolo nihil præsciente hoc factum affirmat atq; ait, quod (scilicet Imperatoris & Augusti nomen) primò tantum auersatus est, vt affirmaret se eo die quamuis præcipua solennitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse si Pontificis consilium præscire potuisset, inuidiam tamen suscepti nominis Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus magnâ tulit patientiâ, vicitque eorũ contumaciam magnanimitate, quâ eis proculdubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes & in epistolis ipsos fratres appellando: obgrunniunt contra coronationem Magni Karoli factam à Leone Pontifice centuriatores Magdeb. Illyricus, & eius asseclæ sed contemnendi potius quam refutandi frigidi mendaciorum defensores. Exaltata per Karolum Aquensi vrbe ac constitutione facta vt Reges successores electi designatique apud Aquas Graneas prima corona Regni insignirentur, coronati hoc loco quam plurimi Cæsares, Primus Ludouicus Pius pii Caroli primogenitus filius anno DCCCXIII. superstite adhuc patre consecratus per Hildeboldum Archipræsulem Coloniensem, de cuius coronatione in hæc verba Eginhartus, *extremo vitæ tempore cum iam & morbo & senectute premeretur euocatum ad se Ludouicum Aquitaniæ Regem qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum concilio consortẽ sibi totius Regni & Imperialis nominis hæredem constituit, impositoq; capiti eius diademate, Imperatorem & Augustum iussit appellari, susceptumque est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant magno cum fauore: Nam diuinitus ei propter Regni vtilitatem videbatur inspiratum, auxitque Maiestatem eius hoc factũ, & exteris nationibus non minimum*

Eginh. Cont Abbas Vrsperg. Cuspin Auent. licet alii aliter.

terro-

terroris incussit. Prima concio quia sit lubentissimam admonitionem habet patris Caroli ad filium Aquisgrani factam, quam refert Theganus scriptor huius temporis, qui de gestis Ludouici commentariū edidit, cuius meminit Walfridus Strabo, adducere lubet in medium; *Imperator autem cum intellexisset appropinquare sibi diē obitus sui (senuerat enim valde) vocauit filium suum Ludouicum ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positis, habuit grāde cōcilium cū eis Aquisgrani palatio, pacifice & honeste admonens, ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes à maximo usque ad minimū si eis placuisset ut nomen suum id est Imperatoris filio suo Ludouico tradidisset. Illi omnes respōderunt Dei esse admonitionem illius rei, quo facto in prima die Dominica ornauit se cultu Regio & coronam capiti suo imposuit, incedebatq; clare vestitus & ornatus, sicut eū decuerat. Perrexit ad Ecclesiā, quā ipse à fundamentis construxerat, peruenitq; ante altare in eminentiori loco constructum cæteris altarib. & consecratū in honorem Domini nostri Iesu Christi, super quod, coronam auream aliam, quam ipse gestabat in capite suo, iussit poni. Postquā diu orauerunt, ipse & filius eius, locutus est ad filium suū coram omni multitudine Pontificum & Optimatum suorū, admonens eū imprimis omnipotentem Deū diligere & timere, eius præcepta seruare in omnibus, Ecclesias Dei gubernare & defendere à prauis hominibus, sororib. suis & fratribus, qui erant natu iuniores, & Nepotibus & omnib. propinquis suis indeficientem misericordiam semper ostendere præcepit, deinde Sacerdotes honorare ut patres, populum diligere ut filios, superbos & nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, cœnobiorum consolator, & pauperū esse. Fideles ministros & Deū timentes constitueret, qui munera iniusta odio haberent. Nullū ab honore suo sine causa discretionis deiiceret, semetipsum omni tempore coram Deo & omni populo irreprehensibilem demostraret. Postquam hæc verba & alia multa coram multitudine filio suo ostenderat, interrogauit si obediens voluisset esse præceptis suis. At ille respondit libenter obedire, & cum Dei adiutorio omnia præcepta, quæ mandauerat ei pater custodire.*

Monitio Karoli facta ad filium Ludouicum.

Tunc iussit eum pater vt propriis manibus coronam quæ erat supra altare eleuaret, & capiti suo imponeret ob recordationem omnium præceptorum, quæ mandauerat ei Pater. At ille iussionem patris impleuit. Quo facto audientes Missarum solennia ibant ad palatium, sustinuit enim filius patrem eundo & redeundo, quamdiu eum eo fuerat filius. Nam post multos dies magnificis donis honorauit eum pater suus, & dimisit eum ire in Aquitaniam, antequam diuisi essent amplexantes se & osculantes propter gaudium amoris flere cœperunt.

Aimoi. lib. 5. Frising. lib. 5. Regino Sigib. Sigib.

Hæc Theganus: eiusdem Ludouici Pij vnctio, consecratioque à Stephano IV. Pontifice Remis in Gallia facta incidit in annum Saluatoris DCCCXVI. Insequente anno 817. Bernardum Italiæ Regem designatum Karoli Magni ex filio Pipino Nepotem, quod quorundam Magnatum Italiæ instigatione, inter quos fuêre Mediolanensis, Cremonensis, & Aurelianensis Episcopi, ciuitates ac populos Italiæ in sua verba iurare coegisset ac Ludouici Pij patrui sui Imperium detrectasset, Imperator Ludouicus læsæ Maiestatis crimine damnatum abdicare Italicum Regnnm coegit, relegatis Episcopis in Franciam, conuentuque desuper Aquisgrani habito, ibidem gladio trucidari iussit.

Genebr. ann. 818 alii anno 817. Auent. lib. 4. Annal. Aunon lib. de gestis Franc. ca. 114. Zon. tom 3.

Tempestate Ludouici Musicæ Hydraulica (alii Hydantica) vulgo organa dicta cœpere in Francia, in Aquensi palatio mirifica arte componi ad Græcorum imitationem, industria cuiusdam Georgii Veneti Sacerdotis & sumptibus Ludouici Regis qualia Constantinopoli ex auro Michael Imperator conflârat. In Francorum Annalibus & antiquis Historicis fit mentio quandoque de eodem Georgio Venetico Sacerdote, estque idem qui apud Aquas Graneas petiit & obtinuit ab Einhardo Abbate Reliquias beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri, easque in Monasterio S. Saluii, cuius Rector erat, religiosissimè collocauit, nempe in capsa auro & gemmis decenter ornata; miracula & virtutes, quas Dominus noster Iesus Christus per merita SS. Martyrum suorum Marcellini & Petri in vico Valentianas ad salutem humani generis operari dignatus est, collegit breui libello memoratus Georgius Presbyter.

Sed cum obitus Piissimi Ludouici paternæ pietatis æmuli non minus quam eius vnctio instructionis salutaris præbeat, neque fructus ipsius prætereundi erunt: Ecclesia reformata per ipsum celebratis ali-

quot

quot conuentibus Aquisgrani, de quibus suo loco agendum, varias ærumnas à propriis filiis perpessus est adeo vt præter fas ab Imperio depositus in Monasterium detrusus sit, cuius tandem mors per signa cœlestia prænuntiata fuit, siquidem mediante festiuitate Paschali. vt Astronomus ipse, qui res gestas à Ludouico conscripsit eloquitur: *dirum semper ac triste portentum Aquisgrani Cometæ sidus in signo veneris apparuit in ea parte eiusdem signi, qua penulam eius subtus caudam vero serpentis similiter cornuque constringunt, quod non more errantium septem siderum orientem versus petebat per viginti quinque dies, sed Leonis & Cancri nec non Geminorum transiens signa in capite Tauri, tandem sub Aurigæ pedes igneum globum ubi rumque prolixitatem deposuit*, & licet ex hoc sidere mutatio Regni mortisq; Principis portenderetur, superuixit tamen abhinc tribus annis, cumque Pii Karoli pius filius rebus humanis subtrahendum se cerneret, quotidie confessionis munus sacrificium spiritus contribulati & cordis humiliati, quod Deus non despicit, obtulit, cibus eius erat solummodo per dies quadraginta Dominicum corpus, laudante eo iustitiam Dei & dicente. *Iustus es Domine, quia quadragesimæ tempus non ieiunans exegi, saltem coactus idem ieiunium tibi exoluam.*.

Intellige quo Ludouicum filium sibi rebellantem bello insequutus fuerat..

Progredior ad successores Reges, qui Aquis consecrati, quorum secundus Lotharius maximus natu filiorum Ludouici qui Anno DCCCXVII. viuente adhuc patre Aquisgrani frequentissimo conuentu diadema Imperiale suscepit, factus Patri Imperii & nominis socius, Anno vero DCCCXVIII. Romæ à Paschali primo chlamydem augustalem & coronam accepit..

Aimoi Frising Sigib. Reg. Sig.

Post Lotharium intermissa vt reor coronatio Aquis, vsque ad Othonem Magnum, vltimus tamen Karolinæ stirpis Conradus primus eius nominis Imperator diademate hic cinctus, de Ludouico secundo Lotharii, & Ludouico tertio Arnulphi Imperatoris filio idipsum etiam sed pauci Historici prodiderunt, alii negant eos Aquisgraneis argentea Germaniæ corona redimitos. Verumtamen omnis pene Karoli posteritas in Reges Italiæ simul cum Imperio electa fuit, atq; à Pontificibus coronata: indeque nata diuersitas inter Germanos & Italos Scriptores in recensendo Imperatorum numero, hoc est in numerandis Ludouicis, Conradis, Henricis siquidem Germani in id

spectant, qui in Reges Germaniæ primò electi fuerint, eosque consequenter vocant Reges & Imperatores Romanorum, Italici vero in Imperatorum numero non recensent Reges Germaniæ nisi fuerint à Pontifice Romano coronati cor firmatiue: sic Ludouicus secundus Lo hari filius coronatus Romæ in Basilica Sancti Petri à Sergio II. anno DCCCXLIV.

Aimoi. Regi. Frising. Sigib. Sigo.

Carulus Caluus filius Ludouici Pii, frater Lotharii Imp. patruus Ludouici II. itidem corona decoratus Romæ in Æde sancti Petri à Ioanne VIII. anno DCCCLXXVI. authores qui supra.

Ludouicus cognomento Balbus filius Caruli Calui corona redimitus Lugduni in Gallia à Ioanne VIII. anno DCCCLXXVIII.

Aimoi. lib. 5. Regi li. 2. Frising. lib. 6. Sigo. lib. 5.

Carolus cognomento crassus filius Ludouici Regis Germaniæ & nepos Ludouici Pii, patruelis Ludouici tertii Balbi coronatus Romæ in Æde D. Petri à Ioanne VIII. anno DCCCLXXXI.

Arnulphus filius Carlomanni ex concubina, nepos Ludouici Regis Germaniæ Romæ vnctus in Basilica S. Petri à Formoso Pont. Rom. ann. DCCCLXXXXVI.

Obseruate hîc est quod licet à Karolo Magno lex lata, ne deinceps in Regem Gallorum spurii filii succederent, tamen Arnulphus præfatus Rex Germanorum & Imperator Romanorum factus sit, filius * Carlomanni Regis Bauariæ, frater Caruli Crassi ex concubina genitus teste Sigonio, & similiter Arnulphi filius * Zuendebaldus ex concubina prognatus Rex Lotharienfis creatus sit, verum illis non successione regna data, sed vel autoritate Principum Procerumque suffragiis, vel legitimis restituti sunt primo Natalibus.

* Kallomāni. * Zuendeboldus vel Zuentipulchus.

Lodowicus filius Bossonis in Prouincia Regis ex vxore Hirmingarde filia Ludouici Pii & sorore Caruli Calui coronatus Romæ in D. Petri à Benedicto IV. anno DCCCCI.

Ab Italis hic quartus eius nominis a Germanis nō numeratur. Regino lib. 2. &c.

Et hanc Karoli posteritatem à Pontificibus corona insignitam, Aquis vero coronatam non reperio, (viderint alii, quibus ditior librorum supellex) è qua tamen maxima pars in Regem Germaniæ electa, licet Ludouicus Balbus Caroli Calui filius & Frāciæ Rex ne quidē in Regē Germaniæ electus, similiter nec Ludouic. IV. filius Bossonis.

Rhena. rerum Germ. lib. 2. Hūc Chunradum Itali excludūt a numero Imp. quod à Pont. non sit coronatus.

De Chunrado vltimo Karolinæ familiæ ita Rhenanus; *sane Cunradus apud Aquas Grani quā primariam Regni sedē cis Alpes Carulus Magnus instituerat, vnctus est & coronatus, ab Archiepiscopo Maguntiacensi.*

Causa

Causa intermissæ Aquis coronationis videntur fuisse dissidia intestina filiorum Ludouici Pii inter se eiusdemque nepotum de regno diuidundo ad quæ mutua odia, conspiratio prima filiorum Ludouici Pii cum primoribus Franciæ & Ebbone Remense Episcopo contra patrem (etenim licentia semper in deterius prolabimur) fomentum forte præbuit, ex quibus differentiis enatum vt Francorum vires adeo fuerint attritæ, vt postea decus Imperii tueri non potuerint vt Carolina prosapia sensim ad declinationem vergeret, vt coronationes præpedirentur, vt Itali ad Imperium aspirarent, ad quod etiam peruenerunt, tametsi teste Blondo non diutius quam 50. annis circiter rerum potiti sint, imo ostium apertum tractu temporis, occasioque præbita exteris populis à Magno Carulo subiugatis Occidentis imperium inuadendi, vastandi ac dilacerandi, hinc postmodum Nortmanni & Saraceni terras Occidentis locustarum adinstar opplentes ac depopulantes, inter cæteras vrbes Aquensem etiam incendio deformarunt.

Motus Lotharii primogeniti in patrem Ludouicum Pium, quem Aquisgrani in custodia tenebat, cœpti ob Iudith conthoralem Ludouici adulterii incusatam, sopiti vero ab aliis filiis natu minoribus Ludouico & Carulo, quorum copiis Balduinus Cliuiensium Comes aliique nonnulli Principes se iunxerant vt Ludouicum in libertatem assererent, pacemq; inter patrem & filium conciliarent: digladiationes insuper filiorum Ludouici inter se, eiusque nepotum de regnis diuidundis Historici abundè suppeditant: enimuero Ludouico Pio corporeis vinculis soluto, cum maiorem hæreditatis partem penes Lotharium esse perspicerent, alii eius fratres natu minores Ludouicus & Carulus intimis sensibus angebantur, itaque communicatis doloribus ab armis subsidium quærunt, Lothario que patris iudiciũ uenti bellum mouent atrox anno ab ortu Christi DCCCXLI. vel DCCCXLII. ad Fontanetum Altissiodorensis agri vicum maxima strage ex vtraque parte pugnatum, adeo vt cecidisse supra centum millia virorum quidam prodiderunt, victoriæ laude, penes Ludouicum & Carulum Caluum stante. Lotharius è prælio dilapsus Aquas in Regiam sese recepit, eum celerrimè insecuti victores fratres Aquas se oppugnare velle ostendunt, qua re territus Lotharius relictis Aquis quam maximis potest itineribus cum vxore & filiis Lugdunum & Viennam contendit, atque ibi reficiendo intentus exercitui sub-

Pighius in Hercule prodicio.

Annon. Sigo.

O stitit,

ſtitit, pace demum ſequenti anno ac diuiſione facta, ann. DCCCXLIV. Lotharius Imperator filium natu maiorem Ludouicum anno Christi DCCCXLIX. Aquiſgrani ex Rege Italiæ Auguſtum appellari curauit, ac regnum inter filios partitus eſt, ipſe Monaſticen Prumiæ profitetur.

Regin. Anno. In Italia diem clauſerat extremum Lotharius Rex Lotharij Imperatoris filius, & Carulus eius patruus Occidentalis Franciæ Rex, hoc certa relatione comperto contra Ludouicum fratrem magnæ Germaniæ Regem vniuerſam defuncti ditionem occupare nititur, primum Metas occupat, vbi in regnum ſublimatur, indeque digrediens Aquiſgrani palatium quod Sedes Regis eſſet petijt, fœdere tamen inſequente anno icto æquis partibus regnum Auſtraſiæ, (à Lothario Lotharingia poſtmodum dictum) diuiſêre. Prænominatus Ludouicus Germaniæ Rex cum anno DCCCLXXXVI. apud Franckonefurt palatium rebus humanis eximeretur iterato Carolus frater portionem regni eius in ſuos liberos conceſſuram ratus primò Aquis palatio, deinde Colonia ſuæ poteſtatis facta, caſtra ad Rheni fluenta collocat, ſed Ludouicus Ludouici defuncti filius non ferens immodicæ cupiditatis ambitionem in patruo ſuo Carolo contra iuſiurandum ſanctè præſtitum, vires eius fregit, aciemque terræ proſtrauit, partitus cum fratribus regnum; hæc obiter de diſſidiis poſterorum Ludouici Pii Imperatoris, ob quæ conquieuit coronatio, pate factus aditus Saracenis & Nortmannis, adeò vt vero verius ſit concordia parua creſcere, quæ diſcordiâ dilabuntur, & hinc poſt curriculum temporis effectum, vt imperio translato ad Alemannos Henricum cognomento Aucupem & Othones Saxonum Duces regnum Auſtraſiæ, quod nunc Lotharingia nuncupatur Romano Imperio adhæſerit, atque eidem incorporatum fuerit, vnde & Aquiſgranum Sedes Regia diuulſum à Galliis eſt, adſignatumque Imperio: extendebatur Lotharii regnum prius latiſſimè comprehendens omnem ferè terram, quæ inter Rhenum, Schaldim, & Moſam amnes; poſtea verò ſciſſum ab Othonibus, ac ſuccedaneis Imperatoribus in inferiorem & ſuperiorem Lotharingiam, quarum præfecturas regimenque diuerſis pro temporum exigentia commiſerunt, incaſſum annitentibus Occidentalis Franciæ Regibus vtramque tanquam hæreditario iure ſibi competentem recipere, demum Ducatus Lotharingiæ conceſſus eſt Godefrido Bullio-

Regino & alii.

nio qui anno Christi MC. Rex Hierosolymarum factus, ibidem fato functus est, post quem frater eius Baldouinus, vice cuius in Palestina degentis alter Guilielmus Boloniæ Comes administrationem, præsertim superioris Ducatus Lotharingiæ suscepit, nam inferior post obitum Godefridi Regis Henrico Comiti Lemburgensi datus erat, ab Imperatore Henrico IV. seniore; cæterum eidem iterum ablatus ab Imperatore Henrico V. iuniore redditusque Godefrido *Louaniensi Comiti ann. Christi MCVI. teste præter alios Sigiberto, qui in anno MCVII. refert Henricum Ducem Lemburgensem exducem affectantem repetere Ducatum (Lotharingiæ scilicet inferioris ab Henrico Quinto Louaniensi Comiti donatum) occupasse oppidum Aquisgrani contra Godefridum Ducem, sed hoc non ferens Godefridus Aquisgranum violenter irrupit, incolas à facie Henrici exterruit, nonnullos potentes Comites & complures Nobiles cœpit, ipse Henricus cum filiis suis vix fuga euasit, vxorem eius capere Dux indignum duxit, Comites & honoratiores eorum quos cœperat, per conditionem sub se militandi conciliatos ad fidelitatem præstandam redegit: ita dispositione vtriusque Lotharingiæ superioris & inferioris (cui Aquisgranum suberat) sub Henrico Aucupe & Othonibus penes Imperium perseuerante, mansêre quoque Aquæ Graneæ, atque ideo Insigne Imperiale Aquilam nempe ciuitas sibi vsurpauit, Canonicale vero Collegium originis & Fundatoris sui haud immemor vtrumque symbolum miscuit, ab altera medietate Scuti dimidiatam Aquilam, à Gallicanis autem Lilia reseruauit.

* Louaniæ Duci.

Deficiente Carlingorum stirpe è Regia Francorum nempe Ludouico tertio Arnulphi filio sine liberis vita functo (vsque adeò in rebus humanis nihil est stabile, vt etiam summorum Heroum progenies habeant suos veluti Natales & decrementa, nunc in altum elatæ floreant, nunc rursus in imum deiectæ concidant:) Germanici imperii Principes Ottonem Luitholdi filium Saxoniæ Ducem in Cæsarem designârant, vtpote parum decorum censentes Imperio Gallicano subdi, sed propter senium ingrauescens renuit optimus Princeps; indicauit tamen quisnam regno foret præficiendus, nempe Chunradus Orientalium Francorum Dux Ludouici Tertii ex fratre Nepos, is cum septem annis regnasset, sentiretque instare mortem, præterito fratre

Habent Regna & Reges suas periodos.

Henricus I. electus in Regem Germa. sed non coronatus, à Germanis inter Imperatores primus eius nominis ponitur. Rhena.

Germano Eberhardo suasit Francis & Saxonibus, vt Henricum Saxonum & Thornigorum Ducem Ottonis filium Luitholdi Nepotem, ex matre Francum atque ex stirpe Karuli Magni descendentem, vt demonstrat Krantzius lib. 2. Sax. ca. 33. moderandis regni & Imperii habenis admouerent, quod & factum est: cum autem ab Archiepiscopo Maguntiacensi Herigero ad inunctionem & coronam Aquis suscipiendam inuitaretur, respondisse ferunt abundè sibi sufficere quod fauentibus superis & sciscente populo Rex esset constitutus, hac gloriâ maiores suos superaturo, quam primus in familiam suam inferret, alius eas pompas captaret, nempe præstantior, se enim tanto honore parum dignum, hanc forte ob causam ab aliis cognomentum Humilis, ab aliis Auceps tulit, diuini honoris Zelator erat quam maximus, ac erga sacras res summo studio ac veneratione ferebatur, Sigibertus & gesta S. Gerardi posteritati consecrârunt, quod cum perceperat, Rodulphum Burgundiæ Regem Lanceam mirandis operis ex clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam quæ dicitur Primi & Magni Constantini fuisse, dono accepisse pro summo amicitiæ munere à Sampsone Comite, missis ad eum Legatis tentauit multis oblatis muneribus si ab illo impetrare sibique aduersus tum visibiles tum inuisibiles hostes arma inuictissima, triumphumque perpetuum comparare posset; at Rodolpho Rege id se nulla vnquam ratione daturum asseuerante, modis omnibus Henricus Rex quem muneribus emollire non potuit minis intentatis frangere conatus est, affirmans se omne eius Regnum ferro & flammis vastaturum, tandem Rudolphi Regis animus diuinitus est emollitus ita vt iusto Regi iusta petenti annueret, quod donum Henricus Rex tanto amore complexus est vt non modo auri & argenti muneribus Rodulphum Regem honorauerit verum etiam Sueuiæ Prouinciæ non minima parte donauerit, neque Deus irremuneratum etiam in hoc sæculo reliquit Henrici Pii desiderium, cum hostes in ipsum incurrentes hoc victorioso præeunte signo semper terruerit atque fugauerit, vnde è vita decedens eandem sanctam lanceam ad insigne & tutamen Imperii filio Ottoni eiusque posteris vnà cum regno, summa veneratione ab eo conseruandam dereliquit, Nuribergenses eam se habere cum cæteris Karoli Magni insignibus profitentur, teste Trithemio.

Apud Surium to. 5. die 3. Octob.

Sigebertus.

Sed & Hugo in Gallia regnans ensem Constantini Magni in quo antiquis literis nomen antiqui possessoris legebatur, in Capulo

quoque

quoque super crassas auri laminas clauum ferreum affixum, vnum ex quatuor quos Iudaica persecutio Dominici corporis aptârat supplicio, continebat, lanceam itidem Caroli Magni quam Imperator inuictissimus contra Saracenos exercitum ducens siquando in hostes vibrabat, nunquam nisi victor abibat, quam eandem ferunt, quæ Centurionis manu Dominico lateri impacta fuerat, ad eundem Henricum vti sacrorum munerum amatorem misit.

Otto primus dicti Henrici filius, qui ex rebus gestis postea nomen Magni adsciuit, successit patri, pietate atque fortitudine militari, eo non impar, qui Aquis Grani sacris ritibus vnctus est anno 937. peragente ministerium Moguntino Archiepiscopo nomine Hildiberto genere Franco, professione Monacho Fuldensis monasterii, cui prius præfuerat, quam ad fastigium Maguntinæ Sedis proueheretur, ita tamen, vt licentiam à Vigfrido Archiepiscopo Coloniensi (prout Ditmarus obseruauit) in cuius diœcesi metropoli Aquisgranum esset, prius habuerit, Witichindus eius temporis scriptor lib. 2. enarrat eandem coronationem vberius dum ait. *Defuncto itaque patre patriæ & Regum maximo optimo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim designatum Regem à Patre filium eius Ottonem eligit sibi Principem: vniuersalis electionis notantes locum, iusserunt esse ad Aquisgrani Palatium: Est autem locus ille proximus Iulo, à conditore Iulio Cæsare cognominato, cumque illo ventum esset, Duces ac præfectorum Principes, cum cætera Principum militumque manu congregata in Xysto Basilicæ Magni Caroli cohærenti, collocauerunt nouum Ducem in solio ibidem constructo, manusque ei dantes ac fidem pollicentes, operamque suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum Regem. Dum ea geruntur à Ducibus ac cætero Magistratu, Pontifex Maximus* (ita autor nominat præcipuũ illorum Antistitem Archiepiscopum Moguntinum) *cum vniuerso sacerdotali ordine, & omni plebe infra in Basilica præstolabatur processionem noui Regis: quo procedente Pontifex obuius læua sua dextram tangit Regis, ipseque dextera lituum gestans, pastoralem videlicet baculum, linea indutus stola, planetaque infulatus, progressusque in medium vsque fani substitit, & reuersus ad populum qui circum-*

Crantzius in Sax. Rhena.

ſtabat (nam erant deambulatoria infra ſupraque in Baſilica in rotundum facta, quo ab omni populo cerni poſſet.) En, inquit, adduco vobis à Deo electum & à Domino rerum Henrico olim deſignatum, nunc vero à cunctis Principib. factum Regem Ottonem: Si vobis iſta electio placet dextris in cælum eleuatis, ſignificate. Ad hac omnis populus dextras in cœlum eleuans cum clamore valido imprecati ſunt proſpera nouo Duci: Proinde procedit Pontifex cum Rege tunica ſtricta more Francorum induto pone altare, ſupra quod inſignia Regalia poſita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum Sceptro ac diademate: Eo quippe tempore erat Summus Pontifex nomine Hildebertus Franco genere, Monachus profeſſione, nutritus & doctus in Fulda Monaſterio, & ad id honoris merito progediens, vt pater eiuſdem loci conſtitueretur, deinde ad ſummi Pontificatus Moguntiacæ ſedis faſtigium perueniſſet. Hic erat vir miræ ſanctitatis, & propter naturalem animi ſapientiam litteratum ſtudijs ſatis clarus, qui inter cætera gratiarum dona ſpiritum prophetiæ habuiſſe prædicatur. Et cum quæſtio eſſet Pontificum in conſecrando Rege, Treueris videlicet & Coloniæ Agrippinæ, illius, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam à beato Apoſtolo Petro fundata, iſtius vero, quia eius ad diœceſin pertinebat locus: & ob id ſibi conuenire arbitrati ſunt huius conſecrationis honorem: ceſſit tamen vterque eorum Hildeberti cunctis notæ almitati. Ipſe autem accedens ad altare, & ſumpto inde gladio cum baltheo conuerſus ad Regem: *Accipe,* inquit, *hunc gladium, quo eijcias omnes Chriſti aduerſarios, barbaros & malos Chriſtianos autoritate diuina tibi tradita omni poteſtate totius Imperij Francorum ad firmiſſimam pacem omnium Chriſtianorum.* Deinde ſumptis armillis ac chlamyde induit eum, *his cornibus,* inquit, *humitenus demiſſis monearis, quo zelo fidei feruere, & in pace tuenda perdurare vſque ad finem debeas.* Exinde ſumpto Sceptro baculoque: *His,* inquit, *monitus paterna caſtigatione ſubiectos corripias: primumque Dei miniſtris, viduis ac pupillis manum miſericordiæ porrigas, nunquamque de capite tuo oleum miſerationis deficiat, vt in præſenti & in futuro ſempiterno præmio coroneris, perfuſusq́; ilico oleo ſancto, & coronatus diademate*

aureo ab ipsis Pontificibus Hildeberto & *Vuigfrido, ac omni legitima consecratione completa, ab eisdem Pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cochleas ascendebatur,* & *erat inter duas marmoreas mira pulchritudinis columnas constructum, vnde ipse omnes videre,* & *ab omnibus videri posset. Diuina inde laude dicta, sacrificioque solemniter celebrato, descendebat* Rex *ad palatium, & accedens ad mensam marmoream regio ornatam apparatu, resedit cum Pontificibus* & *omni populo, Duces vero ministrabant.* Hæc de sacra Ottonis Regis inauguratione ex Witichindo lubuit recensere copiosius vt lectori antiquitus seruati ritus plane conformes huius æui innotescant.

Sed & anno Christiano DCCCCLX. Ioannes XII. Pont. Max. Ottonem Magnum è Saxonia in Italiam euocauit, vt Ecclesiæ & Italiæ laboranti opem ferret, paret Ottho, & cum lectissimo milite Mediolanum venit, Archiepiscopus Principum & Episcoporum concilio, vt moris erat, vocato, & ex omnium sententia regnum Berengario & Adalberto abrogatum ad eum defert, & ipsum in Æde S. Ambrosij magno apparatu & cæremonia perungit, & consecratum corona ferrea exornat, promisit Ottho solenni sacramento se regnum Italiæ perpetuò defensurum: & deinde ipso Archiepiscopo comitante Ottho Romam accessit, vt coronam Imperij à Summo Pontifice promissam acciperet, venientem lætissimis si quenquam alium animis, & admirabili benigni occursus spectaculo Romani exceperunt, ingressum in vrbem, & ad pedes Pontificis sese submittentem, in Vaticanæ Basilicæ gradibus Ioannes amplexus, in templum deduxit, vbi factis magna ceremonia celebratis, eum inunxit, ac Imperatorio diademate coronauit, vniuerso populo Cleroque certatim faustis vocibus Augusto Imperatorique felicitatem & victoriam acclamante, atque ita Regnum & Imperium Romanorum ad Reges Germaniæ redijt, cum in Italia penes Italicos Reges seu Imperatores quinque vel sex numero fuisset, videlicet penes Berengarium seniorem, Vidonem, Lambertum, Berengarium iuniorem, & Adalbertum; penes Rodulphum Burgundiæ Regem, Hugonem Arelatensem Comitem, & Lotharium filium eius.

alij chronographi coronationem hancin annum gratiæ 958. reponũt. Regi. ann. Colon. Frising. lib. 6. Sigon. lib. 7.

Otthonem primum curasse filium suum Otthonem Secundum dictum postea Rufum Aquis Germanica corona exornari, Regemque Romanorum renũtiari, cum esset septem solum annorum puer, testes sunt Sigebert. & Sigonius, contigit coronatio ann. DCCCCLXI. à Brunone Coloniensi Præsule Otthonis II. patruo, die S. Pentecostes post Wormatiensia Comitia, in quibus electus fuerat, eundem hunc Otthonem Romæ in Basilica Vaticana ann. DCCCCLXVIII. Ioannes XIII. P. M. diademate cinxit.

Frisi. Sigon.

Prædictis suffragatur Schafnaburgensis qui addit an. DCCCCLXXXIV. filium Imperatoris Ottonem Tertium Progenitori suo successorem factum, vnctumque in Regem Aquisgrani à Ioanne Rauennate Episcopo: Imposuit etiam postea ann. DCCCCXCVI. Gregorius V. Papa ex Saxonibus Ducibus oriundus Romæ in æde Diui Petri diadema Imperiale Ottoni III. Hic sapientissimus Cæsar considerans perpetuo æstuare Gallos & Italos transferendæ Imperialis Maiestatis cupiditate à Germanis & inter Germanos dissentiones frequentes ope & auctoritate Rom. Pontificis Gregorij V. cognati sui, qui in re tam necessaria facilè annuit, sanxit, vt Imperatoris eligendi potestas penes primates Germaniæ septemuiros deinceps resideret, è quibus tres essent Archiepiscopi Germaniæ, scilicet, Moguntinus Cancellarius Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ Cancellarius, quatuor alij Principes sæculares forent, Comes Palatinus Dapifer, Marchio Brandeburgensis Camerarius, Dux Saxoniæ ensifer, Rex Bohemiæ pincerna: vnde versus:

Maguntinensis, Treuirensis, Coloniensis
Quilibet Imperij fit Cancellarius horum,
Et Palatinus dapifer, Dux Portitor ensis,
Marchio Præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi statuunt Dominum cunctis per sæcula summum.

Decreto isto in id collimatum est, vt non iure hæreditario successionis; sed suffragijs eligentium Imperator crearetur; vt soli Principes, non populus ius haberent Electionis, vt Proceres inclytæ nationis Germanicæ essent, denique vt iis non omnibus ius esset, sed sex vel septem duntaxat, siquidem Boiemiæ Rex non nisi cum sex Electorum suffragia pari numero diffident, eligit, atque hac ratione omnia contraria studia, dissidii & schismatũ ansæ resecatæ fuere: Magno

Pont-

Pontifex ac Cæsar hercle consilio Principibus tam Ecclesiasticis quam laicis curam hanc electionis demandarunt, ita vt Rheni Palatinus Francorum, Marchio Brandenburgensis Wandelorum & Dux saxoniæ cis Albinorum populorum nomine, Metropolitanus Moguntinensis Germaniæ, Treuerensis Galliæ, & Coloniensis Italiæ nomine sua vota proferrent, quibus non concordantibus Boiemiæ Dux aut Rex suam autoritatem interponeret; cur autem his & non aliis pari potentia pollentibus Germaniæ Primoribus ea potestas collata, ita coniecturari lubet, Bohemiam quæ tum necdum in regnum euecta erat, ob situs conuenientiam, & quod natura munita erat, in ius electionis venisse, Saxonibus Saxonici sanguinis Imperator Ottho eum honorem detulit, quod longe maximus ac opulentissimus esset Ducatus, Brandenburgicum Marchionatum possederunt sub id tempus Saxonici quoque Principes cognati Cæsaris, & ob id haud immeritò impensius fauit istis Regionibus; Palatinis Rheni fors hæc prærogatiua obtigit, quod ex Karoli Magni prosapia descenderint.

Hæc ratio eligendi Imperatorem magnam Germaniæ non solum authoritatem, sed & tranquillitatem tribuit, vnde conspicuum fit, quo genio ducantur, qui illustrissimum hoc septemuirale concilium dissidiis euertere ac in diuersa studia distrahere moliuntur, defectio ab vnione huius collegij, defectio ab Imperio est, defectio à sacro Romano Imperio ad tempora nouissima antechristi collimat, igitur eiusdem spiritu aguntur qui defectionem ab illo patant.

Post editam constitutionem de septem Electoribus in deligendo Cæsare nullus in Regem Germaniæ lectus est, quin & pariter in Regem Romanorum, Otthone igitur Tertio Romæ veneni haustu exhumanis subtracto Francofurti subrogatus est primus per vota Procerum Germaniæ, Henricus Secundus eius nominis Bauarus dictus Claudus iuxta Italorum calculum primus, qui prius in Regem regni Alemannici vnctus est à Willigiso Maguntino Antistite primo inter Electores Imperij, viro eximiè erudito, pio ac humili, tametsi humili loco oriundo, de quo aiunt rotam (siquidem progenitor eius carpentarius erat, bigasque confecerat) in conclaui, cuius ipse solus clauem reseruaret, ad thalamum suum pinxisse ac incidisse, cum hac subscriptione, *Willigis Willigis recolas quis es & vnde veneris*, hancque crebrius contuitum, nempe vt indigentiæ ac conditionis suæ, suorumque iugiter memor esset, neque vento elationis distenderetur,

quæ rota deinceps insigne Archiepiscopatui Magnntino permansit confirmante eodem Henrico Secundo, cuius vertici post duodecimum annum ab indepto Imperio Mediolani corona ferrea, & Romæ à Benedicto VIII. Pont. Max. aurea anno 1014. aptatur: de hoc sancto Henrico in officio typis procuso legere est lectione quarta, quod *iter faciens per Leodium & Treuirim congregationes ibi Deo famulantes plurimis largitionibus & prædiis ditauit*, inter cæteras, Basilicæ Aquensis Analogium seu ambonem, ex quo sub diuinis Euangelicæ legis oracula personant, aureis laminis operiri ac conuestiri iussit.

Nauclerus ..2.gen.34. ..gon lib 8. de Regno ..ltæ. Molanus.

Cunradus Secundus Imperator Franconiæ Dux primum Mediolani ab Archipræsule diadema suscepit, inde veteris consuetudinis obseruans Modoetiæ, extremum à Ioanne XIX. Pontifice Maximo aurea Romæ decoratur inter Eudonem Angliorum & Rudulphum Burgundionem Reges, is ipse anno* 1027. teste Sigeberto*Henricum tertium filium suum dictum Nigrum adhuc puerum in Regnum sublimauit Aquis per Pilegrinum Coloniensem Pontificem, anno vero 1047. Romæ in æde S. Petri à Clemente II. consecratur, filiumque Henricum IV. quinque annos natum ad Imperij consortium adsciuit & Aquisgrani vngi fecit.

Sigon. * 028. * Henricum secundum. Frising. Sigo. Nauel.

Parentem imitatus Henricus IV. (priusquam Italiam cædibus, direptionibusque vastaturus ingredi meditaretur) consimili ratione ad Aquas Graneas corona decorari voluit filium suũ Henricum Quintum eius nominis Imperatorem: qui per vim quoque in Vaticana Basilica à Paschali II. ann. 4. Imperiali diademate insignitus est, per vim dico, etenim Pontifici non modo aduersatus, sed & eundem captiuum abduxerat cum Clericorum ac ingenti laicorum multitudine, exemptus dein ex humanis est absque virili prole.

Goltzius in ..it. Cæs.

Nauel. gen. 38 Sigon. li. 9.

Lotharius Secundus qui & Luitherius Saxoniæ Dux eximia non virtute duntaxat, sed etiam religione præstans comitijs Moguntiæ habitis quibus Legati Pontificij interfuere 11. Kal. Sept. Rex magna animorum consensione declaratur, atque Aquis per Fridericum Coloniensem Archipræsulem iniungitur, eidem Innocentius II. P. M. Romæ in æde Principis Apostolorum aut iuxta alios in Laterano pridie Nonas Iunias anno MCXXXIII. coronam imposuit.

Sigon. Al i Lothariũ Agrippinæ Coloniæ cũ Reg na coronatũ tradunt.

Naucl. Sigo.

Idibus Martij, anno Christiano MCXXXVIII. Conradum Quartum aut Tertium ex supputatione nonnullorum Franconiæ

ac Sueuiæ Ducem Graniaquis in Regem consecrauit Theoduinus Pontificius Legatus.

Anno Christi MCXLVI. magna in Aquis annonæ caritas & quod prius inauditum modius tritici venundatus XXV. solidis, irrecuperabili quoque clade ignis ibidem conflagrauit.

Fridericus cui cognomentum Barbarossa seu Ænobarbus eius nominis Primus, ex inclyta Sueuorum domo progenitus Conradi Cæsaris ex fratre nepos in Franckoneuort vnanimi consensu Procerum Germaniæ electus in Imperatorem à Coloniensi Pontifice *Arnaldo sacratus vnctusque est Aquisgrani palatio ann. *MCLIII. V. Idus Martii, Romæ vero in æde D. Petri ab Adriano IV. anno MCLV. XIV. Kal. Iulii, de alia coronatione Friderici ita Otto Morena eius temporis scriptor: *Imperator voluntati & consilio Domini Guidonis qui dicebatur Papa Paschalis annuens Romamque cum magno gaudio veniens anno* MCLXVII. *die Lunæ* IX. Kal. *Augusti indictione* XV. *in monte prope Romam cum suo exercitu castra metatus est,* &c. & infra, *sequenti igitur proximo die dominico prædictus papa Paschalis cum suis Cardinalibus in ipsa Ecclesia S. Petri Missam honorifice & cum magno gaudio celebrauit ipso die in capite Imperatoris circulum aureum tantum imposuit, sequenti vero die Martis in quo festum fuit S. Petri ad vincula prædictus Dominus Papa Paschalis Dominum Fredericum Imperatorem & serenissimam Augustam Beatricem coniugem suam ex coronis auro purissimis & multis pretiosissimis gemmis decoratis coronauit in Ecclesia* S. *Petri:* aiunt pleriq; Fredericum hoc nomine primum primò Brabantiæ Duces Aduocatos in Aquisgrani constituisse, verum cum tabulas ipsas in hac re haud perlustrare potuerim, neque mihi diiudicare fas est, num id intelligere sit, de prima & alta aduocatia, quæ solum authoritatem & protectionem includit, an etiam de ea, quæ iurisdictionem particularem annexam habet, veluti hodie nonnulli distinguunt.

* Arnoldus.
* MCLII.
Ann. in S. Basilicæ Aq.
Naucl. gen. 39. Sigo. li. 12.

Henricum VI. Frederici filium adhuc quinquennem Patre superstite ac postulante Philippus Comes de Heinsberg vbiorum Antistes Aquis vnxit ipsa assumptionis Deiparæ Virginis festiua memoria an. 1169. dein anno redemptoris 1191, ipsis Paschalibus Romæ coronatus est à Cœlestino Tertio Pontifice, decessit an. salutis 1198 in Sicilia,

Ann. in S. Basilicæ.
Naucl. gen. 40.

& in Ecclesia Spirensi cum maioribus suis est sepultus, sequutum interregnum penè semestre, ac postea anno Christi MCXCIX. mense Martio Philippus Sueuus Henrici frater Germanus Friderici Barbarossæ filius cum prius Præpositus fuisset insignis Basilicæ Aquensis, ex cuius Præpositturæ bonis ædificatum est claustrum & dormitorium, REX ROMANORUM & Imperator renuntiatus est, simulque contra illum eodem mense Otto IV. dissentione perniciosissima, conuenerant frequentes Imperij Proceres Augustæ in Rhetia, ibi à Ludouico Boio, socijs eius Sueuis, Noricis, Vindelicis, pluriumque votis Philippus Cæsar salutatur, at instigante Innocentio III. Pont. Max. Archiepiscoporum Coloniensis & Treuirensis suffragijs Otto Saxo ad Imperii gubernacula extollitur, hunc Anglii pecunia adiuuant, Philippo Occidentalis Francigenarum Rex fautor aderat, sicque Germania ciuilibus armis fœdè attrita est, Argentoratum, Erbfordia, Aquæ granea, Agrippinensis Colonia, item aliæ vrbes obsessæ sunt, cuncta luctu, cæde completa sunt, quæ omnia Abbas Vrspengensis exaggerat testis auritus & oculatis, Aquenses sub id tempus Philippo parebant, qui ad excludendum Ottonem à sede Regia milite præsidiario Imperialem vrbem Aquisgranum firmârat, interea * Adolphus Comes ab Altenae Coloniensis Archipræsul cum Otthone Aquasgranum festinatò pergens eum ibi inunxit coronauitque, secundante autem diuino numine Philippi Cæsaris regimen idem Coloniensis Præsul, vel inuitus Philippo etiam Aquisgrani diadema postmodum imposuit. Ioannes Trithemius Abbas Spanheimensis in Chroni. insig. Mon. Hirsaug. hanc electionem & expugnationem Aquensis vrbis ita refert. *Nam Adolphus Archiepiscopus Coloniensis & Theodoricus Archiepiscopus Treuerensis electionem regis sui iuris firmantes, habito consilio apud Andernacum cum Bernardo Duce, & alijs Episcopis Comitibus atque nobilibus pluribus, curiam omnibus Principibus ad Dominicam Oculi mei, in Colonia generalem indicunt, pro noui Regis electione celebranda. Interea Marchiones Orientales, Conradus Archiepiscopus Moguntinus, Bernardus Dux Saxoniæ, Archiepiscopus Magdeburgensis, & alij principes superiores apud Erphordiam conuenientes Philippum Ducem Sueuiæ in Regem Romanorum elegerunt, fratrem videlicet Henrici Imperatoris defuncti. Statuto igitur die, præfati Principes ad Coloniam conuenientes,*

Auentin.

Annales vrbis Colon.

* Adulphus.

tes, Bertolfum Ducem de Zeringen, quem se promiserant electuros, magno præstolabantur desiderio venturum, qui cum 11000. marcarum argenti cum Ducatu Sueuiæ à Philippo accepisset, electionisque renuntiasset, venire contempsit: quod cum prædictis innotuisset Principibus nimium indignati, Ottonem Pictauiæ Comitem filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ in Regem Romanorum contra Philippum elegerunt, & multiplicata sunt mala in terra, bella, incendia, destructiones Vrbium & pauperum neces. Audiens autem Philippus electionem Ottonis, trecentos milites armatos cum multis aliis scutiferis ad Aquisgranum præmisit, quatenus Ottonem ab ingressu ciuitatis arcerent, & sibi vrbem ac sedem Regni seruarent, sed Otto cum suis adiutoribus ciuitatem ipsam tempore messis obsidione cingens, violenter capiens obtinuit, atque in sede Regni triduo sedens inde recessit, committens eam suis fidelibus custodiendam. Interim Philippus adunato exercitu intrauit Alsatiam, & quia prope messem erat, omne frumentum in agris repertum annihilauit, multa itaque inter ipsum Philippum & Ottonem bella fuerunt per annos ferme octo, quibus Philippus vixit in Regno, donec tandem eo mortuo pax terris aliquantulum reddita fuit, hucusque Trithemius.

Otho confirmatus est, à Prænestino Episcopo nomine Innocentii III. erat enim eius Legatus in Germania, Philippi vero electio haudquaquam à Pontifice Summo rata habita, attamen clauum Imperii aliquot annis fœliciter tenuit Philippus, quem sceleſtus vir Comes de Wittisbach Bambergæ in conclaui suo gladio confodit, atque ita Otto Saxo eius æmulus solus rerum potitus est, qui mox Mediolani ab Huberto Archiepiscopo in Basilica S. Ambrosii ingenti pompa corona ferrea antiquo Regni Italici monumento ornatur, exinde Romæ in æde D. Petri ab Innocentio III. Imperii corona decoratur. Cum Imperii insigniis exutus esset Otto Fridericus huius nominis secundus Henrici VI. filius Neapolitanus Rex Siciliæ, Sueuiæ Dux cui olim adhuc in cunis fidelitatem Alemanniæ Principes iurato addixerant, vt inquit Vrspengensis, Cæsar delectus dictusque est & coronam Imperii anno 1213. Aquisgrani accepit ab Engelberto ex Comitibus de Monte Archipræsule Agrippinatium, confirma-

Sigon.

Nauel' generat. 41.

alij à Sifrido Moguntino.

Naucl. generat. 41.

Cæsarius.

tus ab Innocentio III. P.M. anno 1210. teste Nauclero coronatus est ab Honorio III. Pont. Romæ in S. Cæciliæ, Otto nihilominus sese Imperatorem gessit, vsque ad annum Christi 1218. quem habuit Fatale n: Horum Imperatorum Schisma per signum magnum apparuerat in cœlo anno diuini Natalis 1207. vel iuxta alios 1206. Philippo Rege siquidem celebrante curiam solennem cum Principibus, in tres partes sol diuisus stabat & dein coierunt partes & redintegratum est corpus solare, quo turbulēti motus Imperii in tres partes diuisi vt dictum est præsignificati fuerāt, tres Principes nomē Romani Regis sibi vsurpârant, primus Fridericus, secundus Philippus, tertius Otto eius nominis horum vno trucidato, & altero exaugurato fatoque functo Fridericus imperat, & quasi ad suam plenitudinem sol diuisus rediit.

Sigon. de Reg. Ital. lib. 17.

Fridericus Comitiis Herbipoli habitis anno ab exordio salutis 1212. filium suum Henricum VII. adhuc puerum annorum ferme duodecim vt vult Sigonius, de consensu Electorum Imperii consortem fecit, & Aquisgrani per Engelbertum Comitem de Monte Coloniensem Archiepiscopum consecrari iussit, dominica ante Ascensionis dominicæ solennitatem 8. Idus Maii.

Egid. aureæ vallis religios. iuxta alios 40.

Anno salutis 1224. festa die Petri ad vincula prima vigilia noctis Aquisgrani ignis violentus Ecclesiarum palatia ac totam ciuitatem peruasit, decoxitque omnia, in quo incendio triginta incolæ miserè oppressi, exceptis peregrinis de quibus ignoratum: Fatalis itidem ciuitati Aquensi vilibus cineribus & fumo fuit dies SS. Viti & Modestii, anni 1236. quo infra nonam & tempus vespertinum, flamma circumlabente concremata fuit, vna cum Ecclesiæ tecto & ædificiis Claustri gloriosæ Virginis Mariæ.

Sigon. de reb. Ital. lib. 18.

Dominica quadragesimalis ieiunii quinta anno 1227. Henricus Rex filius Friderici Secundi Imperatoris celeberrimam curiam Aquis Graneis indixerat, in qua per Coloniensem Antistitem Henricum de domo Nobilium Moellenarcken Regina consors filia Ducis Austriæ regali benedictione consecrata est & coronata in sede regia collocatur: inde Fredericus Conradum IV. eius nominis minorē natu filium Regem Germaniæ in locum Heinrici quod hic eductis magnis copiis ipsum suum parentem armis prosequutus fuisset designandum ac Coloniæ coronandum curauit: ann. 1241. tertio Kal. Dec. Ioannes Schultetus, Wilhelmus Aduocatus, Scabini & vniuersitas ciuitatis Aquensis fœdera sanciunt cum Domino Wilhelmo

Comite,

Comite Iuliæ, quod fidem tenebunt Frederico Imperatori eiusque filio Contardo electo in Reg. Rom. & sibi inuicem auxilia ac præsidia subministrabunt contra quemlibet Regis aduersariũ. Destituto postmodũ per Papam Innocentium IV. Friderico II. ab Imperio & dito anathemate percusso in concilio Lugdinensi Henricus Lantgrauius Thuringiæ Ludouici, & Beatæ Elisabeth filius, Cattum vocat Auentinus, instantia eiusdem Summi Pontificis in Regem Alemaniæ sufficitur, qui ipsa memoria Diui Iacobi Summo prælio cum Conrado ad Francfordiam depugnauit eumque à suis in acie desertum superauit, nõ destitit tamen Cunradus, sed Henricum Regem Aquas ad coronã accipiendam pergentem adeptus præ'io magno vicit apud Vlmam, vnde ille ictu sagittæ saucius fugam atripere coactus: haud ita multo post dolore confectus diem clausit. Quod circa Francofordiam sæpenumero dimicatum, causa quod etiam ante editam Bullam, vt cõpellant aureã Caroli IV. Imperatoris præscribentis, vt in Francofort locus sit electionis Regum Romanorum, multoties ibidem electio contigerit, victori etenim si duo pro Imperio decertarent Frankofurtenses pandebantur portæ, recipiebaturq; ab incolis vrbis, sic vt iam recensitum inter Henricum Lantgrauium Thuringiæ & Conradum filium Friderici II. factitatum, nec non inter Ludouicum Bauarum & Fridericum Austrium, insuper inter Guntherum Comitem de Swartzenbourg, & Carolum Quartum: hac de causa si duo Reges Alamaniæ per diuersa suffragia eligerentur, atque ad locum & sedem coronationis properarent, prudenter prospexerunt Aquensibus incolis Imperatores, ob idque in plerisque diplomatis vrbi impartitis ad secludendos contra se electos Reges iunxerunt hanc interpunctionem; *decernimus etiam & sancimus quod ciues Aquenses vniuersi & singuli non teneantur imposterum exire ciuitatem Aquensem armata manu qualitercumque acciderit, sed quod ipsi permaneant in ciuitate Aquensi ad custodiendam ciuitatem* & *nostram regalem sedem ab insultibus æmulorum ad honorem Imperij* & *profectum*, &c: Sigon.

Fridericus vna cũ filio Cunrado iræ impotentes hostili manu adhuc Romanam Ecclesiam prosequebãtur, & ecce Pontifex Summus ad alium Regem deligendum omne studium cõuertit, vnde prudẽter cõsiderans ad propositum posse suum peruenire facilius si circa locũ

ad deligendos Reges antiqua consuetudine deputatum auxilia nimaret Wilhelmum Batauum Hollandiæ Comitem filium Florentii Comitis opibus & viribus florentem atque Henricum fratrem Ottonis Comitis Geldrensis ex duabus Ducis Brabantini sororibus procreatos, istum in Regem Rom. hunc in Leodicensem Antistitem voluit sublimare; igitur Wilhelmo iuuene 20. annorum electo in præsentia Petri Caputii ad velum aureum diaconi Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, salutis nostræ MCCXLVII. aut iuxta alios MCCXLVI. festinatoque pergenti Aquas ad coronam accipiendam Conradus filius Friderici se illi opposuit, monitus amicè ab Octauiano Vbaldino Cardinale Legato, Conrado Coloniense Archiepiscopo & aliis proceribus Alemaniæ, vt incœpto desisteret, nec Patris damnati vestigia sequeretur, respondit se nunquam Parentis sui studio defuturum: atque ita vrbem occupatam contra illos obtinuit ac diuturnam Pontificiorum obsidionem sustinuit: monebantur Aquenses per Papam vt electionem Regis Wilhelmi admitterent, ast ipsi contumaciter rebellabant, quocirca eorum Ecclesias Clerumque cum incolis interdicto subiecit, & demum contra ipsos tanquam fautores Friderici sicut asserebat hæretici & schismatici, atque inimicos fidei in remissionem suorum peccatorum Christi fideles viuificæ crucis insigniri charactere, prædicationibus inuitauit, quib. excitatus Wilhelmus signo crucis assumpto cum Legato ac ducentis ferè millibus ope Henrici Brabantiæ Ducis auunculi sui ex diuersis prouinciis sine morâ collectis sub annum Christi nati MCCXLVIII. mense Maio Aquas Graneas sex mensium spatio potenter obsedit, verum Aquenses animosè sua mœnia defendebant Fridericum in suum adiutorium velut arturum cum Britonibus expectantes, tunc vbi flumen vrbem pertransiens effluit, agger immensus erigitur, quo recalcitrante percussum sensim regurgitare cogitur, loci submersionem incolis minitando: interim ciues hauritoriis rotis in remedium præparatis ad partem aptam eminentia fluminis repentè deriuantes aduersariorum ingenia deludebāt, tandem tamen per semestre inedia fatigati certis Electo pactis portas aperiunt, amplius resistere non valentes: post hanc diutinam obsidionem Innocentius Pontifex mandat Leodiensium Præsuli vt respectum habeat restaurandarū Ecclesiarum Aquensium quæ destructæ erant manu militari: eo ipso anno MCCXLVIII. iuxta alios MCCXLVII. vltima die mensis Octobris regiam ciuitatem

Aquis-

Sigon. de Reg. Ital. li. 18.

Hocsemius Can. Leod.

Idem habet Thomas Cātipratanus scilicet sextā crucem prædicatam contra Aquenses.

Chapiauille ex Hocsemio.

MCCXLIX.

Aquisgranum cum magna procerum multitudine intrauit Withelmus & sequenti die hoc est in festo omnium Sanctorum misso eum in finem Aquas Guiliermo Sanctæ Sabinæ Pontifice Cardinale, per duos Episcopos Mindensem & Monasteriensem, benedicendum regem Archiepiscopo Coloniensi Conrado ab Hoisteden in templo præsentatum; duo alij Episcopi Traiectensis & Leodiensis in modum Diaconi Dalmatica induerunt, quem præfatus Archiepiscopus Conradus cum magna solennitate in regem Rom. vnxit & coronauit. Consecratione autẽ peracta idem Archiepiscopus locauit eum in sedem regni dicens: *Super thronum sedis gloriosæ sedeas, & iudicium & iustitiam in terra facias.* Christianus Archiepiscopus Moguntinus cum oleo sanctificato dexteram eius foris inunxit dicens: *consecrare te dignetur omnipotens Deus, in regem Romanorum, qui Dauid per manum Samuelis Prophetæ inungi iussit super populum Hebræorum.* Arnoldus Archiepiscopus Treuirorum manus super caput eius imposuit dicens: *Descendat super te spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis & consilij repleartque spiritu timoris Domini.* Ludouicus Comes Palatinus Rheni Archidapifer regni globum aureum in manus eius posuit dicens: *Accipe globum sphæricum, vt omnes terræ nationes* Romano *Imperio subijcias, & Augustus gloriosus appellari valeas.* Marchio Brandenburgensis Camerarius regis annulum in manum tradidit dicens *Accipe signaculum Monarchiæ vt* Romanum *Imperium in suo vigore conserues & inuncta virtute ab omni barbarorum incursu defendas.* Dux Saxoniæ Regis ensifer gladium ei dedit dicens: *Accipe Sceptrum regium vt rebelles seuera correptione potenter affligas, omnesque beneuolos in tranquilla pace gubernes.* Rex autẽ Bohemiæ pincerna Imperij de cõsensu Archiepiscopi Coloniensis, coronam argenteam capiti regis imposuit, dicens: *Accipe diadema splendidum, vt sis virtuosis actionibus adeo coruscus in terris, quatenus merearis coronam æternæ fœlicitatis habere in cœlis Amen.* Octauam post hæc ibidem duxit solennem. Omnes autem inferiorum partium Principes & nobiles obedientiam ei præstiterunt, prȩter quosdam castellanos adhuc Friderico fideles, inter quos fuit Castellanus de Keiserswerde,

Io. Trithem. Ab. Spanh in Chro. Mon. Hirsaug.

quem Rex Wilhelmus obsidione circumcingens superare non potuit. Conradus ab Hoisteden Coloniensis Archipræsul expendens frequentes disceptationes inter Triumuiros Electores Ecclesiasticos in consecrationibus Regum (siquidem Maguntinus vti Germaniæ Metropolitanus & Regni Cancellarius id ius sibi vendicabat, quod etiam antiquitus semper vsurpauit, Treuirensis id sui muneris esse contendebat, quod sua Ecclesia cæteris antiquitate præstaret, Coloniensis eo quod consecratio in suis finibus ac diocesi fieret) indultum nouū indeptus est, vt ius primum electos Reges Romanorum Aquisgrani coronandi penes Coloniensem Archipræsulem iuncto Decano Aquensi staret, quod hodieque perseuerat.

Mersæus.

Anno MCCLVI. Guilielmo interfecto à Frisonibus principibusque in factiones diuisis Imperium collabascens vacabat, nec quis erat qui illud affectabat, eapropter anno gratiæ MCCLVII. Richardus Cornubiæ Comes Regis Angliorum Henrici frater quorundam Principum Electorum votis in Romanorum Regem designatur, qui tametsi ab Imperio receptus nō fuerit, nihilosecius anno hoc memorato Aquasgranum contendens de nouo muniuit vniuersas prędecessorum Cæsarum priuilegiorum prærogatiuas vrbi collatas; Anno 1262. Capellæ B. Mariæ ac senatui Ecclesiastico coronam auream intercoruscantib. gemmis splendidam dedit ac concredidit, vt Roman. Reges duntaxat ea deinceps coronarentur, duas insuper vestes Regales, de armis suis pomum & sceptrum aurata, regalia & Augustalia signa Aquis deposuit; omniaque hæc sub sigillo Principis Ecclesiæ, ac sigillo communitatis sanxit vna cum sacra suppellectile & thesauro ipsius Basilicæ asseruanda, neque alienanda aut vllatenus distrahienda, prout recognitionis, scripta reuersalia vocant, sacramento religiosè firmata à Præposito, Decano & Capitulo, Scabinali collegio totaque communitate ciuitatis Aquensis edita diffusius edocent. Ipse Richardus ea corona Aquisgrani inauguratus est, ab alijs sub idem tempus anno Christi natalis MCCLVIII. Alfonsus Hispaniæ Rex aduersus Richardum Imperator renuntiabatur, cæterum Richardo Anglio thesauris exhaustis in Angliam postea sese recipiente, Alfonsus Castellæ Rex regni Germanici honorem vltro abdicauit in Germaniam non veniens.

Anno MCCLXIX. Wilhelmus Iuliæ Comes Aquisgrani ipse tanquā Præfectus & aduocatus præsedit iudicio nuncupato das Bogt-

geding / in quo ex legum norma disceptatum ac enunciatum nulli præterquam soli Regali vrbi Aquensi ius competens in nemus quod dicunt die tryche/ ex qua Iuliacensis Comitis præsidentia coniecturare licet Richardum Rom. Regem titulo patrocinii Imperialem vrbem Aquensem memorato Comiti obligasse.

Cum sic vt iam attigimus ex intestinis bellis aduerso fato ceu laniarum vacasset aliquot annorũ interuallis Imperium Princeps fortissimus ac nunquam satis laudatus Rudolphus primus Alberti Sapientis filius Comes Habinspurgius vel Hauckenburgius Landgrauius Alsatiæ augustissimæ familiæ & potentiæ Habsburgi Austriacæ conditor & amplificator Francofordiæ, 3. Kal. Octob. ipsa D. Michaelis an. 1273. à Septemuiris summo animorum consensu aut iuxta alios ab Imperii Triumuiris (curante potissimum ob quoddam acceptum beneficiũ Wernero Electore Moguntino & Comitibus de Falckenstein) ad Regni Germanici quod Romanum Imperium nuncupatur, fasces eligitur, quod diuisum & multorum annorum bellis, discordiis & motibus ferè collapsum, ac concisum adiit cum milite & comitatu Francofurtum proficiscens, vbi ingenti triumpho ab obuiis omnibus vti pater patriæ comiter excipitur atque salutatur, exinde Aquisgranum tendens feria tertia post D. Lucæ Euangelistæ memoriam, ab Engelberto Secundo de Valckenburg vbiorum protomysta inunctus, imperialibusque insigniis decoratus est in maxima Principum frequentia; stabiliit tum Aquensibus indulta libertatum suarũ, dans iis potestatem nouas cõstitutiones condendi: pleriq; volunt an. 1274. electum & sequenti demum coronatũ esse, tradit Gerardus de Roo, quod cum sub coronatione ipsa Sceptrum non esset ad manum, arrepta Cruce, quæ propè aderat, in hæc verba erupit: *Hoc signum, quo nos & humanum genus redempti sumus, hoc ego sceptro in omnes mihi & Imperio infidos vtar:* & verè affectus eius erga SS. Crucem ex hoc et à posteritati testatur, quod in more habuisse traditur, vt pugnam cõmissurus (si integrum hoc illi relinqueretur) diẽ veneris expectaret, is vbi euenisset, Ædem S. Cruci vouebat, si victoriâ potiri Deus concederet, quã Tulnæ, Ottocaro victo, voti reus posuit. Crantzium in Saxonia vlterius adeamus, audiamusq; de hoc augusto; *cum* (inquit) *breui Rom. Rex post factam de se electionẽ, in Bopardia vrbe Rheni maneret, Lãcea Imperialis Dominica cũ corona illi præsentatur,*

qua non longe post Aquisgrani solenniter coronatur, quod nulli Regum à memoria D. Karoli fertur contigisse, nam argenteam ibi primam ex constituto solet accipere coronam, ferunt testatum esse quam sancte à grauibus viris coronationis tempore, visam auream Crucem supra Ecclesiam sanctissimæ Virginis in qua ministerium implebatur, idque coram Summo Pontifice & Patribus in concilio expositum, hæc ille: Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum, talis generatio, cui benedixit Dominus, firmabitur in illo & non flectetur. Specimen virtutis & magnanimitatis in iuuenta Rudolphus liquido commonstrauit. Natus enim Anno 1218. adolescens in aula Friderici Secundi Imperatoris inter æquales animi dotibus excelluit, & quam primum per ætatem armorum patiens fuit, omnibus, quæ Imperator gessit, exercitus bellis maximam de se existimationem dedit, sed & vir quidam doctus ex sydetum positu futurorum scientiam profitebatur, Rudolphumque præ cæteris in oculis habere cœpit, causam Imperatori sciscitanti, extinctis ipsius posteris illum rerum potiturum respondit: adhæc cum quodam die sub venationem sacerdoti cum SS. Synaxi ad ægrum tendenti honorem detulisset, & SS. Sacramentum pientissimè veneratus fuisset, ob id prænominatus Sacerdos ipsi & posteris certiori vaticinio Imperium prædixit, quod alij ad Sueuicam vatem referunt, alij somnio sequentis noctis edoctum ipsum volunt, vnde prædictio fidem res ab euentis habuit, nam Imperium obliteratam & eo lapsum integritati restituit, &c. Produnt de eodem nonnulli Historici non adijsse Italiam, Æsopicamque fabulam recitare solitum de vulpe, quæ Leoni in specu ægrotanti respondit.

Nascitur Rudolphus I. anno a nato Carolo Magno hebdomatico siue Climacterico 476.

Referam quia me vestigia terrent
Omnia te introrsum spectantia nulla retrorsum.

Itaque corona Romæ non est insignitus, sed confirmatus à Gregorio X. Apostolico in Concil. Lugdu. tametsi ea conditione vt anno proximè insequente ad vrbem maturaret vnctionem, consecrationem & coronam accepturus.

Deplorabo hic funestum casum, qui in Graniaquis accidit sub hanc tempestatem, Incarnationis Christi Anno MCCLXXVII. seu vt alii volunt MCCLXXVI. Aquensis ciuitas cum Sifrido de Westerburch Vbiorum Archimysta viro pacis ac belli artibus æquè gnaro, toga sago æquè insigni fœdus pepigerat aduersus Wilhelmum

quartum eius nominis Comitem de Iuliaco, Sifridus indignè ferebat, quod Comes Vbiopolitanis contra suam personam vti verum Antistitem consilio affuisset, auxiliaresque iam ante tulisset. Aquenses ab eo dissidebant, quod Comes in nemus vrbi cōfine dictum Sapulienbusch potestatem iurisdictionemque exerceret, prætendens eam à Richardo Rom. Rege sibi datam; contrarium sustinentibus indigenis in Aquis ac vindicantibus sibi cæduæ istius sylvæ ius à Rudolpho primo Imperatore hypothecaria septingentarum marcarum obligatione: memoratus igitur Comes Guilielmus cum primogenito filio suo eiusdem nominis & duobus naturalibus filiis, stipatus insuper quadringentis duo de septuaginta equitibus maiori ex parte equestris ordinis ipsa memoria D. Heriberti Episcopi profesto beatæ Gertrudis inclinata iam die sub nonam vespertinam de improuiso Aquensem vrbem subintrat spe ea pro arbitratu suo potiundi, ciues comperto de repentè discrimine conuolant, portas ciuitatis occludunt, disruptis parietibus conciti intra domos mutuo conueniunt, consilia agitantes, dein frementes, spumantesque congrediuntur in fori meditullio cum Comitis equestribus turmis, quas omnes ad internecionem fundunt sternuntque, Comes ipse in fuga extremum præsidium ponens è regione Monasterii, quod albarum virginum nunc vocant, vbi etiamnunc monimentum saxeum rei gestæ præaltum visitur) à lanio vel ex aliorum sententia ferrarii fabri malleo miserè vnà cum filio trucidatur, inde versus.

Enses Granenses senserunt Iuliacenses
Gentes elata Gertrudis nocte Beata
M. cum trecentis quater sex hinc modo demptis.

Chronicon Gemblacense ita concludit.

Anno Milleno C bis, eptaque septuadeno.

In hac expeditione Waleramus de Falcomonte saniore vsus consilio fuit; paternis enim cautus periculis, qui simili casu à Coloniensibus fuerat interfectus, cum cæteris introitum dissuadere non posset, ipsos dimisit, Marcellum cum eis intrare constanter recusans: sub idem tempus * Sifridus Coloniensis Metropolites tum ob illata sibi damna, tum pacto fœderi cum Aquensibus icto factus satis inuadit ditionem Iuliacensem, Duram & Iuliacum expugnat, euerso funditus castro quod ibi erat, vniuersaque propemodum oppida præter * Siphridus.

Neideccam & arcem Hamboch suæ potestatis fecit, eoque magis desæuijt in Iuliacos vt de iniuria facta prædecessori suo Engelberto, quem Comes Iuliæ trium annorum & semestris spacio fœda custodia & vinculis detinuerat, se vindicaret, tandem Martino Papa Quarto vices suas interponente concordia facta est, & Archiepiscopus omnia quæ abstulerat dominia, oppida, castra & villas restituit: sed & humanæ salutis anno MCCLXXX. Diui Matthæi vigilia Schonhouiæ cum Richardi Ducis Lymburgensis filia enecati Wilhelmi Comitis coniuge, eiusdemque tribus filijs Walramo Præposito Aquense, Ottone Traiectensium Præposito, & Gerardo, interuentu Sifridi Coloniensis Antistitis, & Ioannis Lotharingiæ, ac Brabantiæ Ducis itum est in concordiam cum Aquensibus incolis, qui propter bonum pacis & concordiæ quindecim millia marcarum denariorum, qui vulgariter Anglici Brabantini dicebantur, vel valorem eorundem duodecim solidis pro quatuis marca computatis pendere, & annumerare obstringebantur, deinde ad quatuor aras propitiatorias in solatium animæ defuncti Comitis dotandas, vnam in Albarum Cœnobialium, alteram Portzetensis Monasterij templo & duas in Nidecken, quodlibet autem altare ciues suis impensis decem marcarum sterlingorum prouentibus decem solidis pro marca computatis ditare dotareque tenebantur: ait Trithemius tertiam partem oblationum in Ecclesia Beatæ Mariæ semper Virginis ex deuotione peregrinorum vel vndecunque cedentium Comitibus de Iuliaca dare perpetuo tandem Aquenses coactos esse, institutionem quoque Præpositi Aquensis Ecclesiæ Comites Iuliacenses ex illo tempore accepisse vsque in hodiernum diem; mihi verius est huius dignitatis vti & Aduocatiæ dispositionem non cecidisse in senatum, sed eam sibi Cæsares reseruasse vel aliis Principibus communicasse, prout circa hæc ipsa tempora Ioannes Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux gratia Imperatoris Aduocatiæ Aquensis nomen ac munus sibi vendicauit: regressum facio ad Imperatores.

Ioa. Trith. in chro. inst. Mon. Hirsau.

Rudolphus anno Christiano MCCLXXXXI. in fata decessit, surrogatusque omnium suffragiis à septemuiris Electoribus Cæsar Adolphus Comes à Nassaw anno incarnati verbi MCCXCII. Rex & Imperator renuntiatur, qui simulac guberna-

cula

cula Imperii susciperet coronatur Aquis in Regem Romanorum cum Regina conthorali sua à Sifrido de Westerburg Pontifice Vbiorum, Adolphus eodem quo rerum potitus est anno de liberalitate regia dedit potestatem Vualderamo Comiti Iuliæ consanguineo suo officium Sculteratus Vrbis Aquensis ab Illustri Ioanne Duce Brabantiæ redimendi pro pecunia qua primò eidem Duci fuerat obligatum, prout euidens fit ex indulto desuper dato Coloniæ anno Dominicæ incarnationis MCCXCII. Regni eius anno primo idibus Iunii: eodem anno mense Septembri indictione sexta Adolphus Cæsar nobili viro Vualramo Comiti Iuliacensi eiusque hæredibus Præfecturam Aquensem cum omnibus pertinentiis ac iuribus suis gubernandam committit pro nummaria quantitate mille & quinquaginta marcarum, denariorum Aquensium atque ita libera ac Imperialis ciuitas Aquensis deinceps titulo pignoris obligata remansit, cumque prius citra vllum medium sacram Cæsaream Maiestatem attingeret, deinceps tutelæ ac patrocinii nomine Ducibus Iuliæ fuit obstricta; sex annis clauum Imperii tenuit Adolphus, & rursum ab Alamaniæ primoribus imperio exuitur, conuentuque Maguntiæ habito Albertus Austrius vnoculus Rodolphi ab Habspurg filius Cæsar designatur ac deligitur, prosequente autem Adolpho Albertum infestis signis iuxta Vuormatiam acti conflictu decertatur, in quo Adolphus succubuit, perrexit Albertus Aquisgranum ibidemque redimitus est diademate Imperiali anno Virginei partus MCCXCVIII. à Vvichboldo Coloniensi Archipræsule, qui ex Præpositituræ Aquisgranensis dignitate ad Agrippinatem præsulatum euectus fuerat; in huius Cæsaris auspicali coronationis die Saxoniæ Dux Alberti Imperatoris sororius Aquisgrani à multitudine oppressus extinguitur, ob id crediderim ex antiquo obseruatum ac receptum vt quandocunque Rex Romanorum Aquis coronaretur seu septennale Iubilæum SS. Reliquiarum ostensionis celebraretur, Vasallus Basilicæ Aquensis de feudo Bastogniensi inuestitus cum suo satellitio teneretur stipare latera Decani Collegii huius ipsumque ab impetu ac oppressione plebis tutari, eadem ex causa reor morem introductum qui hodieque viget, vt nemini calcaribus accincto chorum ingredi fas sit.

*anno 1247

Petrus Hispal. in Alberto I.

Albertus Rom. Rex anno Regni sui primo, dat potestatem Aquensibus ciuibus colligendi pecuniam publicam, condendi statuta eademque reuocandi, mandat ne Iudex à Maiestate sua constitutus aut à successoribus Cæsarea aut sua authoritate talliam vel precariam in ciues faciat, neque eos compellat ad aliquid dandum Regi vel Imperatori, nisi quantum sua bona voluntate ciues ipsi velint, & amouet consuetudinem per quam Iudices quandoq; solebant à diuendentibus panis ac cereuisiæ indebitum exigere in grauamen totius ciuitatis, insuper indulget idem Imperator vt ciues inter se de bonis suis colligere valeant, vnde se vrbemque Aquensem munire queant ad honorem sacri Imperij ac profectum, &c.

Anno MCCCII. Albertus Rom. Rex semper Augustus concedit vt Gerardus Comes Iuliæ ad duos annos immediatè sequentes Scoltetatus ac villicationis munus in Aquis à Nobili viro Theodorico Domino de Valkenburg pro argenti summa qua quondam Walramo de Valkenburg idem officium obligatum erat, possit ac valeat redimere vti latius & luculentius patet ex rescripto in castris prope Coloniam 13. Kal. Nouemb. signato.

Anno restauratæ salutis MCCCV. Regni sui septimo 3. Idus Iulij Indictione tertia Idem Albertus Romanorum Imperator Nobili viro Theodorico Domino de Valkenburg, quod Mille quadringentas libras hallens. suæ Maiestati Cæsareæ superaddiderat priori æri quo Scoltetatum Aquensem obligârat, hanc summam aggrauans, offitium dictæ aduocatiæ permittit ad quinque annorum spatium.

Sæpefatus Albertus rursum Nobili Viro Reinoldo Domino de Valkenburg pro quadringentis marcis argenti puri Scoltetatum in Aquis obstringit, vi litterarum Cæsarei sigilli robore signatarum, datarumque in Frankenfort VI Kal. Aug. anno MCCCVI. in his ac alijs conatibus æmulationeque aspirandi ad villicationis atque Maioriæ munus in Aquis quid spectarint suum cuique relinquo iudicium.

Trucidato miserè Alberto Henricus Octauus iuxta alios septimus Comes Lutzenburgius princeps ob sapientiam cum summa grauitate coniunctam clarissimus, post septem ferme menses interregni Alberto successor factus est, coronatus corona argentea Aquis in Regem Alemannorum ab Henrico Comite de Virnenberg Archiepiscopo Coloniensi ann. à Christo nato MCCCIX. proximo anno

Ep phaniæ festo Mediolani ferrea, demum anno 1322. mense Iunio Romæ aurea corona redimitus est à tribus Cardinalibus Legatis Clementis V. in æde S. Ioannis Lateranensis, annoque proximè insequente perijt veneni haustu vti fertur. Nauclerus.

Posteaquam ob Maioriam seu Aduocatiam in Aquisgrani cum Gerardo Comite vltimo Iuliæ, & Reinaldo Domino de Valkenburg Aquenses opp dani dissiderent, seseque inuicem lacesserent, in partes ac societatem Principum recensitorum tractus est Abbas Diui Cornelij ad Indam, eapropter ciues ex Aquis prodeunt, anno 1310. ferro ac infestis armis graues, templi & Abbatiæ S. Cornelij gazas diripiũt, igneque immisso septum claustrale incinerant, in qua tamen conflagratione caput Beati Cornelij illæsum remansit, nisi quod flamma vorax exiguam rubedinem ei inussetit, extincti vero sunt plerique Cœnobitæ, tandem ad mandatum Henrici Imperatoris, Henricus Agrippinas Antistes ac Ioannes Lotharing æ B achbantiæque Dux paciscuntur, ijs mediis vt Aquisgranenses Comiti Iuliæ & Duci Falckenburgensi magnæ quantitatis mulctitium æs pendere cogerentur; itemque religiosorum ag atos qui cæsi erant pecuniaria mulcta nempe mille marcis viginti sol. hallen. partiendis inter ipsos pacarent, ablata Monasterio restituerent, destructa redintegrarent, hoc modo quod pro reparatione & restauratione damnorum ciues dabunt quouis anno quingentas marcas, quam pecuniam tradent Decano Aquensi ac Commendatori in Seirsdorp qui eandem non alio quam ad vsus reæd ficationis insument: anno 1317. noua fœdera super instauratione exusti Monasterii cum Abbate Remaro, Wernero Decano totoque conuentu S Cornelii pacta quod Aquenses numeratis semel quatuor millibus marcarum spatio septennii deinceps liberi erunt ac absoluti.

Sublato Henrico memoria D. Lucæ Euangelistæ Ludouicus IV. eius nominis Imperator Comes Palatinus Dux Boiariæ frater Rudolphi Comitis Palatini Rheni in demortui locum surrogatus est, ac Augustus salutatus anno 1314. discrepant bus tamen votis, siquidẽ Moguntinensis & Treuirorum Archiepiscopi, Rex Bohemiæ & Volckmarus Marchio Brandenburgicus Ludouicum, at Coloniensis præsul, Rodulphus Dux Bauariæ Palatinus Rheni, & Rudolphus Dux Saxoniæ Fredericum Ducem Austriæ Ostrogothiæ, cognomento Pulchrum in Regem Alamaniæ delegerant, pro Ludouico plures sta- Nauclerus.

* MCCCXIV. bant, venitque cum numeroso exercitu Aquisgranum* Anno 1315. ibi ingenti pompa festo Epiphaniæ à Balduino Treuirorum Antistite Imperii insignia accepit, indulgens ciuibus in eorum concilio statuendi pagamentum ad honorem Imperij & profectum ciuitatis, resque communes dandi in emphyreutin: Fredericus abijt Bonnam vbi ab Henrico de Virnenberg Coloniensi Archipræsule fuit coronatus.

Imperator Ludouicus anno gratiæ MCCCXV. officium Sculteratus Aquensis Nobili Viro Reynaldo Domino de Valckenburg titulo pignoris obligatum Gerardo Comiti Iuliæ ex speciali fauore permisit redimendum, ac prout vberius declaratur in rescripto signato Spiræ Nemetum XIV. Kal. Apr. anno memorato concedit Gerardo Iuliacensi Comiti eiusque hæredibus tria millia marcarum boni pagamenti tribus hallen. datiuis pro quolibet denario exsoluere, addendo hanc summam prioribus obligationibus, eaque ratione Aduocatia in Aquis magis magisque ære aggrauata remansit.

Io. Trith. in Chron. Mon. Hirsaug.

Ludouicus à Ioanne Papa XXII. anathemate percussus est occasione Cancellarij sui Vdalrici de Augusta Rheticorum oriundi hominis temerarij & superbi cleri & religionis æmuli, Ecclesiasticæque dignitatis & libertatis maximi osoris & aduersarii qui in literis ad Papam nomine Imperatoris eo inscio, quædam indigna posuit, ipsumque Papam tetteram Bestiam de mari ascendentem appellauit, multaque in eum opprobria scripsit, quibus non immerito Pontifex ad indignationem prouocatus Ludouicum Regem excommunicauit, quam maliciam suam iam morti proximus Cancellarius coram multitudine publicè confessus est. Ac tametsi Ludouicus Imperator ea ratione ita excommunicatus exauguratusque esset, & Carolus Quartus Iohannis Bohemiæ Regis filius Marchio Morauiæ opera potissimum Baldonini Treuerorum Archiepiscopi Patrui sui Magni ad Imperii habenas delectus esset, attamen ab Aquensibus quamdiu superstes esset Ludouicus admissus haudquaquam est Carolus, à Leodicensi Antistite recipitur quidem; verum à ciuibus Eburonibus, auxiliaribus Angliorum copiis adiutis profligatur, trucidatis aliquot millibus Boemorum Gallorumque pro Carolo stantium; demum post extrema fata Ludouici Imperii summam adiit Carolus Quartus & anno MCCCXLIX. die Diuo Iacobo sacra coronatus est Aquis, Reginaque consors ibidem coro-

na decorata à Wilhelmo de Gennep Coloniensi Præsule. Contra Carolum delegerant Germaniæ proceres Odoardum Angliæ Regem, sed is repudiauit fictam electionem, designatus etiam est Guntherus Comes Schwartzenburgensis, at præpropere in fata concessit, sic Carolo IV. Imperium relictum, qui & Romæ in æde Principis Apostolorum corona redimitus legitur à Petro Cardinale Hostiensi Legato Innocentii VI. Naucl.gen. 35 & 36.

Impignorationes Schultetatus in Aquis de quibus præmissum sub Carolo IV. vires accepere, quippe qui villas campestres magnas & paruas cum suis pertinentiis sitas extra muros Aquenses circumquaq; infra bannum ad vnum miliare prout eiusmodi villæ ad Imperium pertinere dinoscebantur (& quæ antea vna cum nemoribus, vrbi ac sedi Aquensi finitimis vel in emphiteosin seu quoquomodo confinibus Ducibus ac Comitibus ad limitata temporum interualla à Diuis Imperatoribus concessæ fuerant) pro decem millibus librarum bonorum Hallensi. obligauerit Illustri Wilhelmo Iuliæ Marchioni anno MCCCXLVIII. Indictione prima 14. Kalend. Februar. Regnorum suorum anno secundo. Idem ipse Carolus hoc nomine Quartus, Wilhelmo (quem postremum Comitem, vnicum Marchionem Iuliacæ prosapiæ etiam deinceps salutis nempe MCCCLVI. iam fatus Imperator ex Italia reuersus in ciuitate Metensi Ducatus & Principatus titulo adauxit) eiusque hæredibus indulget ob grata seruitia Imperio præstita, ac ex speciali gratia committit collationem, donationem, præsentationem, seu quamuis aliam prouisionem Præpositurarum Aquensis, Karpensis & Werdensis Ecclesiarum specialiter & expresse, & generaliter omnium personatuum, dignitatum, Parochialium Ecclesiarum, nec non beneficiorum Ecclesiasticorum quocunque nomine vocentur quorum vel quarum collationes, donationes, præsentationes vel dispositiones ad sacrum Imperium pertinere dinoscuntur, nempe ratione oppidi Durensis, castri Werdensis, oppidi de Syntzege, & Schultariæ Aquensis: talem tempestate omnes vasalli fideles &c. in districtibus & territoriis oppidorum memoratorum commorantes seu domicilia habentes ab omni Iuramento, fidelitate, homagio quibus sacro Imperio nomine fœdorum eorundem erant obnoxii soluti ac liberi denuntiati sunt tamdiu quousque, &c.

Horum instrumentis verbatim interserendis supersedemus, solam confirmatoriam tabulam præscriptarum concessionum & oppignorationum p oductam p out edita hoc loco iungemus.

CAROLVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex, Vniuersis sacri Romani Imperij fidelibus, quibus præsentes litteræ exhibitæ fuerint, gratiam suam & omne bonum. Quotiens fidelium nostrorum iusta petentium desiderijs annuimus, totiens lucrum nostrum & bonum Imperij procuramus. Sane Illust. Wilhelmus Marchio Iuliacensis consanguineus & Princeps noster charissimus nos clarius informauit, quod certi Romani Reges & Imperatores diuæ memoriæ prædecessores nostri, suis progenitoribus oppidum Durense, pro quinquaginta milibus florenorum: Castrum Werden, & telonium ibidem pro triginta nouem milibus florenorum: Oppidum Sintzeghe pro quindecim milibus florenorum, & Sculteriam ciuitatis Aquensis pro duodecim milibus florenorum, cũ omnibus & singulis eorum iuribus, honoribus, & præeminentijs, titulo pignoris obligarunt. Alias etiam ostendit litteras, quibus innotuit plene nobis, quod oppidum Bobarden, & telonium ibidem, ac oppidum Vvesale præscripti Marchionis Iuliacensis progenitoribus, pro expensis quas in Ciuitate Coloniensi ac in ciuitate Aquensi eis donauerunt, & super conquisiuerunt, & pro seruitijs ipsis, & Imperio præstitis & impensis remanserunt obligati in septuaginta septem milibus florenorum & quingentis florenis. Petens humiliter & deuote, quatenus sibi de regali nostra clementia, debita prænotata, iuxta continentiam prætactarum litterarum approbare & confirmare, ac pro totali summa debitorum eorundem, quæ se extendit ad ducenta viginti tria milia florenorum, noningentos florenos oppidum Durense, Castrum VVerde, & Thelonium ibidem, oppidum Sintzeghe, & Sculteriam Aquensem obligare gratiosius dignaremur. Nos igitur attendentes grata seruitia, quæ præfatus Marchio Iuliacensis, nobis & sacro sæpius impendit Imperio, & quæ adhuc gratiora facere poterit in futurum, præscriptas obligationes prout factæ sunt, & debita prænominata prout cõtracta sunt, sibi suisque hæredibus, de plenitudine nostræ Regalis

potesta

potestatis, & ex certa scientia præsentis scripti patrocin o confirmamus hæc pignora sup a scripta, videlicet oppidum Durense, Castrum VVerde & theloniuni ibidem, oppidum Sintzeghe & Sculteriam Aquensem, cum omnibus & singulis eorum pertinentiis, pro totali summa præscripta, ipsis titulo pignoris obligamus. Spondentes & firmiter promittentes, pro nobis, nostr isque in regno & Imperio successoribus, quod pr æscripta pignora præfato Marchioni Iuliacensi ac suis hæredibus non auferemus, nec ea cuiquam alteri personæ obligabimus, vel absoluendum vllatenus committemus, imo ea nos vel nostri successores cum poterimus debemus absoluere pro nostra & Imperii propria pecu ia liberare.

Hanc insuper prænominato VVilhelmo Marchioni Iuliacensi ac suis hær dibus gratiam facimus specialem, quod Præposituras, dignitates, Ecclesiæ parochiales, ac alia quæcunque beneficia, suprascriptis Oppidis, castro & Sculteriæ pertin ntia, & specialiter præposituras Ecclesiarum Aquensis, Kerpensis & VVeidensis, cum omnibus eorum pertinentiis, quæ præscriptis pertinent oppidis, castris, vel Sculteriæ, quorum vel quarum collationes vel præsentationes ad nos nostrosque successores r tione Imperij noscuntur pertinere, conferre possint, ac ad ea vel eas personas, quas voluerint cum vacabunt, vice & nomine nostro libera iter præsentare. Quodque feuda omnia & singula sæpedictis Oppidis, Castro, & Sculteriæ spectantia, & specialiter Castrum Rode cum suis attinent is, quæ à nobis & Imperio originaliter descēdere dinoscuntur conferre possunt, & ad ea inuestire ac infeudare hos suorum esse noscuntur, & ab eisdem recipere nostro nostrorumque successorum & Imperii nomine debita fidelitatis ac homagii solitum sacramentum. Ipsi quoque feudatarii seu vasalli feuda eadem tenentes, & recipientes omnia seruitia & iura, quæ nobis, nostris successoribus & Imperio, ratione eorundem feudorum facturi essent & seruituri, sæpedicto VVilhelmo Marchioni Iuliacensi & suis hæredibus facient & seruabunt tam diu, quousq; sæp dicta pignora, prænotata summa florenorum boni & puri auri ac iusti ponderis, vel pro quo-

libet floreno duodecim grossi Turonenses antiqui monetæ Regis Franciæ aut viginti solidi Hallens. antiquorum per nos vel nostros successores pro nostra & Imperii propria pecunia fuerint, vt præmittitur absoluta. In quorum omnium testimonium & *roboris firmitatem præsentes conscribi* & *sigillo nostræ Maiestatis iussimus communiri. Actum* & *datum in* Maguntia *anno Domini 1347. Indictione prima* XIV. *Calend. mensis Febr. regnorum nostrorum anno secundo.*

His & consimilibus pennis deplumauit extenuauitque Aquilam Imperii Karolus adeo vt Ioachimus Camerarius Regibus & Principibus, quorum nomina Imperiis fatalia fuere etiam Magnum Karolum ac Karolum Quartum connumeret, quod primus opere maximo Romanum Imperium inauxerit, hic autem plus æquo inciderit neruos eius.

Inter præallegata iure pignoris obstricta, Düren & Zinsege oppida castrum Werden / Schulteriaque Aquensis cum attinentiis, puta præposituratum & connexarum dignitatum collatione præsentationeque obligata Marchioni Iuliæ remansere; enimuero anno nati Christi MCCCXLIX. VIII. Kalend. Augusti idem Karolus Imperator in die solennitatis coronationis suæ dum renouat & confirmat ciuibus Aquensibus dilectis suis fidelibus de dono gratiæ specialis omnia & singula iura priuilegia, libertates, gratias donationes, consuetudines & possessiones à Diuis Romanorum Imperatoribus, & Regibus prædecessoribus ipsis concessa facta aut factas quibus vtuntur & hactenus vsi fuerunt; insuper donat eisdem regalique sedi villas campestres cum suis iuribus & appertinentiis habitatoribusque earundem infra bannum miliare ciuitatis Regalis Aquensis sitas adiacentes, ad ipsam ab antiquo spectantes, statuens vt ipsis in omnibus & per omnia permaneant vnitæ & annexæ, nec ab iis per se seu aliquem successorum, aut per inhabitatores earundem villarum præsentes & futuros suo proprio motu vllo tempore possint alienari separari vel auelli, & quod inhabitatores prælibati proportionabiliter portent onus ciuitatis Aquensis, custodias & vigilias ad communes munitione

prout

prout ipsi ciues Aquenses faciunt, indulget ad hæc Carolus vt pagos villas communitates & incolentes earum dare queant in emphyteusin:

Et si quis, inquit Imperator, *nostrorum prædecessorum Romanorum Imperator. vel Regum, Nos, aut si quis alter dedit vel concessit, dedimus vel concessimus cuiquam seu aliquibus aliquas litteras vel priuilegia in contrarium & contra tenorem præsentis paginæ quauis specie aut quacumque verborum forma scriptas aut vallata, propter importunitatem petentium has & hæc specialiter* & *penitus infirmamus* & *reuocamus*, & *eas ac ea nullam volumus* & *mandamus habere roboris firmitatem; etiamsi de ipsis litteris* & *priuilegijs sic vt præfertur fortassis in contrarium concessis seu indultu specialiter de verbo ad verbum in huiusmodi reuocatione seu infirmatione oporteret fieri mentionem propter bonum pacis, honorem Imperij, ac profectum ciuium & ciuitatis nostræ regalis sedis Aquensis*, &c.

Ætate ac gubernaculo Karoli hoc nomine Quarti, anno redemptoris M C C C L X V I. Graniaquis conflagratio ignis feruentissima ad tritum compitum populari dictione Schmidtstraß tanta vi surrexit, vt volans victrix flamma tectum Marianæ ædis deusserit cremaritque, in qua superfusis aquis restinguenda fe lices celeritas cuiusdam è familia ac Diui Francisci disciplina cœnobitæ cumprimis enituit, in meritam gratiam à Senatu Ecclesiastico donati florenis decem & quinque non aspernando in hoc æuo honorario munere.

Annis abhinc quinque defluxis primo nempe & septuagesimo in Vigilia Diui Bartholomæi Apostoli inter sæpememoratí Imp. Karoli I V Germanum fratrem Wenceslaum Lutzenburgii ac Brabantiæ Ducem, & Guilielmum Iuliæ Marchionem magnum exarsit belli incendium, querebatur Wenceslaus Brachbantinos suos negotiatores per agros Iuliæ iter facientes haud exiguo sui despectu exutos pecunia spoliatosque; igitur ea re commotus conflat exercitum, erant in eo complures Nobiles Brabantini, Leodini, Namurcenses,

 & im-

& imprimis Lambertus de Vpen magister mil tiæ Leodi ensis patriæ, Robertus & Ludouicus fratres Comitis Naumicensis, Marchionis Iuliacensis castra sequebantur Dux Geldriæ, Comes de Monte & alii, congressæ acies maximo ardore in tractu Iul æ in campestribus iuxta Baßwyler dudum incerto Marte conflictârunt, donec victoria in partes Marchionis inclinaret, cæsa ab vtraque parte plusquā octo millia hominum: initio congressus desideratus est Edouardus Geldriæ princeps telo in facie ictus, qui ex acie deportatus post triduum rebus humanis eximitur, ex alia parte cecidit Wenceslai frater Comes S. Pauli, Dux ipse Brabantiæ multorum telis expositus incolumis captus Iuliacum deinde in Nydecke castrum perductus est, nuntiatur hoc fama vxori quæ incredibili ea ex re mœrore confecta, captus itidem eodem prœlio Petrus de Barro D. de Seranio & alii perplures exercitus Brabantini viri primores; anno qui insequebatur Carolus IV. Imperator fratris sui captiuitatem dolens proponensq; è iuris sententia ditionibus priuare Marchionem nisi Germanum otius redderet, contendit Aquisgranum, ibi Antistite Leodino, Brabantiæ Ducissa, aliisque proceribus (siquidem Episcopi decem & vnus, Duces nouem, Barones octuaginta & quatuor Aquas conuenerant) interuentoribus pax coiit, & Iuliacensis tametsi grauatè Vvenceslaum custodia absque lytro dimisit, retentis captiuis reliquis, qui non nisi ingenti ære relaxati.

Fastigium Imperii indeptus Vvenceslaus Caroli IV. filius Boiemiæ Rex anno MCCCLXXVI. auspitia eiusdem capessit Francoforti, deinde Aquisgrani mense Iulio vna pariter cum Imperatrice Ioanna filia Alberti Boiariæ Ducis ac Comitis Hollandiæ coronatur per Fridericum à Sarwerden Coloniensem Pontificem in qua auspicali coronationis die penè ad amica Marti signa conclamatum fuisset obtendente Vvenceslao Brabantiæ Duce ensem prægestare Cæsareæ Maiestati, ac Duce Saxonum idem ius sibi vendicante, Dux Boius Albertus, Dux Iuliæ & Geldriæ Vvilhelmus, Comes Hollandiæ & Hanoniæ ipsaque vrbs Aquensis in partes Vvenceslai Brachbantiæ Ducis, nouus Roman. rex & Ecclesiastici Electores in Saxonem inclinabant; at vero industria Caroli IV. progenitoris Roman. regis cessatum vtrimque ab hostilibus machinationibus. A partu Virgineo MCCCLXXX. Vvenceslaus Imperator rursus cum Illustrissimo Pilтеro Cardinali Rauennate splendidissimoque Principum Electorum

Comi-

Comitatu Aquisgranum venit, aduenit & illuc Arnoldus de Horn Leodicensis Episcopus magna stipatus nobilium patriæ caterua & feuda regaliaque à Cæsarea Maiestate pro veteri consuetudine sibi clementer concedi, patriamque Leodinam in suam tutelam, defensionem & gratiam recipi rogat, cui Cæsar annuit.

Regente Wencesłao salutis MCCCXCVI. mense Augusto Dux Iuliæ Wilhelmus obsidione cinxit castrum Schonforst/ quod pro-festo D. Remigij obsessi dediderunt, pacti incolumnitatem vitæ & fortunarum, inde digressus arcem Wilhelmstein/ quæ Reinardo de Schonforst Domino de Sychen vna cum Aduocatia Aquensi titulo pignoris obligata erat, occupat, anno insequente idem Dux nouas pactiones conuentaque transigit cum Aquensibus quos dilaudat gratijs peractis quod in anteactis expeditionibus suppetias tulissent, ac adminiculo fuissent.

Cæsarea dignitate potitus Vvenceslaus & pari ferè cum ignominia ob socordiam segnitiemque destitutus anno MCCCC. mense Augusto suffectus ab Electoribus septemuiris Cæsar Robertus Dux Præfectus prætorio Rheni, Aquenses quoniam Vvenceslao Sacramento religiose se deuinxerant, recusarunt introitum ad sedem Regalem Roberto Palatino ideoque corona decoratus ipse cum coniuge Coloniæ Vbiorum ante aram Apostolorum Principis ædis maioris à Frederico è Comitibus à Sarwerden Antistite Coloniense, quandoquidem vero Aquisgranenses freti auxiliaribus Vvilhelmi Ducis Geldriæ & Iuliæ in fide Vvenceslai perstantes recusauerant Roberto coronationis locum, eapropter iram Cæsaris mouerunt proscriptique fuere, reconciliati vero anno gratiæ MCCCCVII. quo sacramenta Imperatori dixerunt Homagiumque præstiterunt, eadem tempestate Robertus Roman. Rex Aquas Graneas primum ingressus ibidem super cathedra Regali consedit à præscripto Friderico Vbiorum Archymista corona redemitus. Ann Agrippin. & alii.

Anno MCCCCX. septemuiri coeunt Francofordiæ rebusque impo nunt Sigismundum fratrem Vvenceslai Regem Vngariæ ac Boiemiæ pacis ac belli artibus perinde insignem Principem, qui cum Regina consorte Aquas Granum contendens ann.* MCCCCXIV. die octaua Nouembris coronatur à Theodoro de Moers Coloniensium Archiepiscopo cum ipse primis ac mysticis operaretur sacris in ara prisca Basilicæ Virginis Matris, in quo primo sacrificio ipse Rom. Rex primus * MCCCCXIII

S à labe-

à labe peccati expiatus participauit reuerenter de hostia salutari; interfuere huic coronationis solenni septem Præsules, octo Principes, decem & centum Comites, sexcenti equestris ordinis viri, reliquus equitatus erat circiter sex milium; postridie à coronatione peracta Imperatori ac venerabundis principibus cunctus excolendarum Reliquiarum thesaurus patefactus est, atque è turri commonstratus: Sigismundus anno Christiano 1417. gratiosè Graniaquensib. indulsit vt si neque successores sui Diui Augusti, nec Iuliaci Duces Aduocatum seu villicum in Aquis designârint, aut iustitiæ precursus præpediatur negeturue, Senatui ius sit in vicem vacantemque sedem surrogare quempiam. hic ipse Cæsar Mediolani ac Romæ apud S. Petrum anno 1430. ab Eugenio Papa IV. coronatus.

Naucl. gen. 49.

Fato functo Sigismundo Albertus II. Austrius gener Sigismundi successit qui cum in rebus humanis haud diu fuerit, nullibi coronatus est, quam ad albam regalem vulgo Stulweissenburg in Vngaria.

Hub. Goltzi. in vit. Cæs. Ritzius de Vng. regibus.

Fridericus III. huius nominis autem IV. iuxta eos qui Fridericum Pulchrum etiam connumerant Ernesti Ducis Austriæ filius mense Ianuario anno 1449. legitimo suffragio Rex appellatus est Francoforti, ac die 17. Iunii anno 1452. iuxta plerosque ipso electionis anno Aquis Graneis Cæsareæ dignitatis insignia capessit à Theodoro seu Theodorico II. Comite de Mœrs Coloniensi Præsule, Romam anno Christi 1452. peruenit, atque ibi corona donatus mense Martio in æde D. Petri à Nicolao V. Pont. Sub hoc Imperatore Vrbs Constantinopolitana in Turcarum Sultani potestatem venit post diutinam oppugnationem, vnde est quod Aquensi Senatoriæ domui hæc verba apicesque incisi aureis characteribus.

Nauel. gen. 45.

A. E. I. O. V.

FRIDERICVS. ROMANORVM. IMPERATOR.
RERVM. IRRECVPERABILIVM.
SVMMA. FELICITAS. EST. OBLIVIO.

Litteræ superpositæ quas etiam Aquis passim in Basilica est conspicere, forsan erunt indices quod,

sicut:

Aquila euolat inter omnes Volucres,

ita:

Aquisgranum emineat inter omnes Vrbes.

In

In ætatem, & Imperium Friderici III. dedirio Vrbis Aquensis & transactio eiusdem cum Carolo condicto Audace Burgundionum Duce refertur, ac licet Sebast. Münsterus Cosm suæ lib 3. in an. 1460. scriptum reliquerit Carolum Leodico mouisse vna cum Francigenarum Rege, atq; contra Imperialem Vrbem Aquensem infesta signa direxisse, siq iidem potiores Eburonum ciuitatenses Aquas velut in Asylum sese receperant, ac nisi confestim vrbis deditionem fecissent, acriter in victos sæuitum fuisset; additque insuper, ingressi Duce ciuitatem primarios ciuicos pedibus eius aduoluros, ad instar eorum qui morte scelus perpetratrum iam iam luituri sunt ad dimidiatam horam à Duce veniam depetijsse, egreque admodum imperrasse; attamen rectius alij Historiographi deditionem hanc Aquensem post excidium ac expugnationem vrbis Leodinæ Anno 1468 Tertio Kalend. Nouemb. factam commemorant. Posteaquam enim Ludouicus Burbonius Leodicensis Præsul Caroli Burgundiæ Ducis nepos semel atque iterum ab officio & vrbe legia pulsus ac dimotus esset à subditis, haud ferens Antistes iniurias sibi inspersas Carolo eas detegit & queritur, rei indignitate exasperatus Carolus vndique magno studio contractis copijs cum Regiis Francorum Ludouici eas iungit, Leodium validè ab incolis defensum vi capit, flamma ac ferro obuia quæque perdit, nulli parcitum ætati vel sexui: Antonius Sabellicus author est Burgundum summo id bellum odio suscepisse atque expeditionis istius Ducibus Præfectisque demandasse, vt vna manu exertum gladium, altera gestarent facem ardentem, iis nimirum rebus exitium miseræ genti minitrarentur; Aquenses quod subsidiariam operam in re frumentaria, annonaque Leodinæ Vrbi subministranda tulerant, metu ac immodico pauore consternati, Carolum quoque vindicem verebantur, quoci ca primores vrbis oratores ad eum Traiectum cum lectissima militum manu subsistentem delegârunt, claues vrbis humiliter offerentes, ac supplici prece culpam deprecantes, quorum submissione motus Carolus indulsit delictum octuaginta florenorum millibus sibi pendendis ciuitatem onerans ob adiutum hostem commeatu, ita dico conuenientius: fuerant præteritis annis inter Brabantiæ Duces & ciuitatem Aquensem fœdera icta anno MCCCLX. cum Wenceslao & Ioanna Brachbantiæ Ducibus, Anno MCCCVI. cum Anthonio, cum eius filio Ioanne anno MCCCCXXV. vi quorum Vrbs Aquensis se

Barlandus de rebus gestis Brab. Duc.

obligabat quinquaginta viros armatos Ducibus,si necessitate postulante requisierint,ad præsidia castrorum ciuitatumque suarum submissuros,Duces reciprocè Aquensibus contra quosuis hostiles impetus subsidium laturos,itemque immunitatem à vectigalium & pedagiorum persolutione spondebant,ann. vero 1469.die vicesima mensis Iunij itum in nouos pacis articulos inter Carolum Burgundiæ Lotharingiæ, Brabantiæ, Lymburgiæ & Luzemburgiæ Ducem, &c. pro se hæredibus ac successoribus suis ac inter Burgimagistros, Scabinos & Oppidanos Vrbis Aquensis , quorum primus videlicet, *quod nos*(Carolus)*Vrbem & ciues omnibus & singulis eorum priuilegijs & libertatibus spiritualibus & temporalibus, statutis, consuetudinibus pacifice vti & gaudere faciemus: secundo loco seruitij quinquaginta sagittariorum ex conuento in castra nostra Lymburgense, Daelhem, Rade, mittendorum solito cōcordatum quod Aquenses exinde in antea ducentos florenos Renenses seu verum valorem eorundem annui & perpetui reditus nostro Redituario Traiectensi realiter soluere tenebuntur, atque hac velut tessera ciues & incolæ in specialem protectionem & saluiguardiam domus Burgundicæ, recipерentur: vlterius conuentum quod nobis in causa belli victualia in ciuitate Aquensi,pro propriis nostris coēmere eaque euehere licebit, in cuius beneuolentiæ conseruationem liberantur ciues Aquenses à Thelonij solutione in terris Brabantiæ, Lymburgiæ, Valckenburg, Dalhem, Raden,&c neque debent ab officiarijs seu Thelonariis merces Aquensium Vrbis signo,citra tamen malitiam & fraudem notatæ arrestari. Quarto communitatibus, nemoribus siluis, paludibus, campis annuimus,vti,gaudere,frui Aquensibus prout consueuerunt: Quinto si Princeps vel dominus vrbem ac incolas debellare conetur, ob causas de quibus Vrbs voluerit coram nobis stare iuri, tunc huiusmodi causas accipere & sedare tenebimur, atque realiter opitulabimur sine fraude: si etiam quis subditus noster vrbem iniuste impetere voluerit ab vrbe & ciuibus Aquensibus omnem iustitiam recipiet, poteruntque eiusmodi damna inferentes in patriis nostris tam corporibus quam bonis per nostros officiarios arresto detineri,atq; defensare*

tene-

tenebimur Aquenses adinstar propriorum subditorum. Item si subditi nostri cum Aquensibus & è contra actionem instituerint pratenderintque ius detur & recipiatur in eis locis, in quibus bona sita, aut contractus factus fuerit: Praeterea neque vrbs neque ciues Aquenses scienter patientur ad ipsorum vrbem quempiam ire, permanere, qui nobis patriis ac subditis nostris damna inferat, neque nos pari modo talem tolerabimus impunem qui nocumentum vrbis cogitet: & si aliquis in patriis nostris de criminibus vrbem & ciues incusauerit in hac re haud procedetur, nisi prius id vrbi significatum; quod si subditorum vrbis quispiam in nos deliquerit penes vrbem stabit correctio, ex opposito si nobis subiectus noxam vrbi intulerit nos in eum animaduertemus, &c. confirmatæ sunt pactiones istæ à successoribus Philippo I. & II. Regibus Hispaniarum.

Quatuor annis act s post has pac's conuentiones scribit, Meyerus Ducem Carolum dispositis in Geldria rebus Traiectum Mosæ reuer sum indeque Aquisgrani petijsse supplicaturum ibi ad memoriam Deiparæ Virginis, susceptumque esse valde honorifi è & comiter ab Aquensibus, offerentibus illi oppidi sui claues, quæ res multo illi erat gratissima, hæsit ibi aliquamdiu cum toto sacello suo hoc est musicorum choro qui quotidie & sacra faciebant & laudes hymnosque varios Deo Virginique canebant celebri ac iucunda admodum ceremonia. Iac. Mey. in Annal. rer. Fland. li. 17

Anno 1481. mortalitas maxima in Aquis adeo vt ad sex millia hominum inter viuos esse desierint.

Salutis annuntiatæ 1486. v. Idus Aprilis diademate cinxit in Aquisgrani Maximilianum Friderici filium primum huius nominis Cæsarem Hermannus Lantgrauius Hassiæ inter Colonienses Archipræsules sexagesimus octauus.

Nouissimi qui ad Aquisgranum Vrbem ab Hermanno V. Comite de VVeda Agrippinatium Protomysta angustiore apparatu corona auspicato exornati, sunt heroes inclyti, pii, fœlices, genus insuperabile bello. Carolus hoc nomine Quintus verè Augustus Imperator, Philippi Hispaniarum Regis filius, Maximiliani nepos: ac Ferdinandus eius frater germanus, iste quidem decimo Kal. Nou. anno 1520. licet per id tempus lues contagiosa Aquis Graneis sæuiret, attamen temerè

vetustissimam legem violare noluit, hic vero ann. 1531 tertio Idus Ianuarij: inaugeratus etiam est Carolus V. an. 1530. ipso Natali suo die nēpe feriis D. Matthæi aurea Imperij corona à Clemente VIII. P.M. Bononiæ, ast Ferdinandus solum Aquis, qui vsque adeo obseruans fuit legum in coronationib. Regum Roman. sancitatum vt ipsa luce aduentus in Aquisgraneas cum sol ad occasum pronus tenderet, pernoctare maluerit in confine Vico Haeren operiens vt Magistratus decretum electionis à se deposceret, quam recto aditu & ingressu priscam antecessorum præscriptionem infringere, domicilium quod tum ius hospitii præbuit Regi in eod. pago remansit publica exactione liberum.

Deposcit præsens æuum nouos Ferdinandos nouosque Karolos, germen pium, germen generosum, quod zelum zelans Magni nostri Karoli indefesso labore pro auita maiorum fide propugnanda iuxta plantanda ac propaganda dimicet. insolentias & luxum tumultuantium refrœnet, fluctus turbulenti Aquilonaris maris pacet: dedit etiam supremus rerum arbiter Imperio quali indigebat desideratum Ferdinandum electum Principum septemuirorum concordibus votis ac suffragiis Francofurti v. Kal Sept. ann. 1619. electione facta constitutum erat S. Maiestati magno animo prædecessorum vestigiis inhærere, atque apud veteres Aquas Grani nunc Karolingas in hac speciali Diuorum Imperatorum capella fœlici omine coronari, verum Bohemici Regni infaustæ ac planè temerariæ perduelliones obicem iniecerunt Regali intentioni, adeo vt eodem electionis loco v. Idus Sept. corona ac augustalibus insigniis decoratus sit: hic est de

1. Mach 5. semine virorum illorum per quos salus fit in Israel qui non modo impendentes Imperii ruinas cohibebit, ne vlterius pessum eat, sed plumas Aquilæ addet, Catholicamque Ecclesiam in pristinam libertatem asseret. Faxit idem Maximus Opt. Deus ne deinceps bellicis tempestatibus præpediti Romanorum Reges vetentur in hac Mariæ Vrbe, Karolum inclyta sede, in hac augusta Basilica ante priscam aram veteri ritu, veteri fide diadema accipere, & primordiis Regni auspicatò initiari, ita voueo.

*

RITVS VTRIQVE VETERrimi neoterici, chori fori in auspicali coronationis Regum Romanorum die vsitati.

Caput octauum.

RATIO designandi & inaugurandi Imperatorem Regemve Romanum & Germanicum à temporibus Magni Karoli talis fuit. Mortuo Rege, Principes Episcopique Germaniæ Aquisgrani conuocati, legitimis suffragijs Regem aliquem ex suo corpore designabant, designatum vero in solio Karoli Magni locabant, quod erat in aula Basilicæ D. Mariæ ab eo constructæ atque singuli apud eum sacramenta dicebant. Ex aula inde in Basilicam descendentem Archiepiscopus Moguntinus cum clero occurrens excipiebat, ac populo qui frequens honesti spectaculi causa circumstabat, Regem à Deo & Principibus lectum ostendebat, populus porrectis manibus ac clamore sublato nouo Regi fausta ac prospera omnia precabatur. Inde Antistes cum Rege progrediebatur ad aram super quam Regia posita insignia erant, atque ei primum gladium cum baltheo, deinde armillas cum chlamyde, tum sceptrũ cum baculo porrigebat, ac demum oleo sacro perfusum corona imposita consecrabat; inde excelso inter duas columnas in solio collocabat, vnde facile ab omnibus videri atque ipse videre omnes posset, ac diuina laude cantata in regiã adducebat. Ibi Rex solemne cum Episcopis ac Principibus epulum celebrabat, atq; singulos pro cuiusque dignitate, donabat. Cæterum coronã Germanicam in omnib. commentarijs argenteã fuisse inuenio. Lui prandus etiã auream fuisse negat; at auream prodit is, qui huius totius ceremoniæ est auctor Vittichindus. Consecrationis autem ius ad Moguntinum Antistitem qui Germaniæ Metropolitanus, & Regni Cancellarius erat, delatum est, quãuis Treuerensis id munus sibi vindicaret quod Ecclesia sua cęteris

Ex Sigon. hist. de Reg. Itali. lib. 7.

antiquitate præstaret. Coloniensis verò quod ea consecratio in suis finibus fieret: Rebus inde Germaniæ per solemnes conuentus compositis ad Regnum Italiæ quod post hæc tempora cum Regno Germaniæ iunctum fuit, suscipiendum veniebat. Quo vero venturus erat, nuntios præmittebat more iam tum à Francis instituto, qui ciuitatibus aduenturum Regem nuntiarent, ac sacramenta repeterent, & fœdera exigerent, aliaque aduenienti Regi debita officia indicerent; Italiam autem ingressus rectà Mediolanum adibat: ibi condicto die in Ambrosianam ædem procedens, Archiep scopo rem diuinam facienti, regiis depositis vestibus, ac Subdiaconi sumptis, ministrabat, qua re ritè perfecta Archiepiscopus sacro ipsum oleo inungebat, atque ad reliqua insignia ferream ei coronam imponebat ipsum solemni adigens sacramento, se Italiæ iura in perpetuum pro viribus tutaturum. Tum vero omnes Magistratus atque omnes dignitates vacabant in ciuitatibus. Rex autem adhibito Coloniensi Archiepiscopo, qui Regni Italiæ Cancellarius erat, ex legum scitis, & Iurisconsultorum iudicio de rebus omnibus cognoscebat. Itaque ad Padum descendens in campo, quodam, qui Roncaliæ dicebatur, non longè à placentia considebat, ibique castra in hunc modum faciebat; loco aut natura plano, aut si inæqualis esset manu atque operæ complanato, vallum in orbem, aut in quadrum ducebatur. Fabrorum opificum ac mercatorum turba ad vsus necessarios sequens: exercitum cum suis tentoriis, & tabernis si quad ata erant castra, suburbiorum, si rotunda muri exterioris speciem afferebat. Intra castra vicis aptè distinctis vias dirimebant, plateasque & portas effingebant, vt quasi vrbs quædam repentina existeret. In medio Regis tabernaculum locabatur templo simillimum, circaque Principes, vt quisque dignitate præstabat tentoria sua figebant. His castris locatis Rex ad stipitem præaltum scutum suspendebat, eoque omnes feuda habentes ad excubias Regi ex instituto agendas per præconem publicum euocabat, eademque ratione qui in comitatu eius Principes erant singuli singulos sibi addictos Valuasores citabant: postridie qui non affuisset feudo mulctabatur. Inde conuentu instituto ciuitatum legatos vel gratulantes excipiebat, vel excusantes aut expostulantes audiebat, atque eorum controuersias Iurisconsultis adhibitis cognoscebat, ac leges si erat opus ferebat. Erat autem moris, vt primos dies in iure dicundo consumeret, alteros paci inter ciuitates constituendæ

dicaret, extremis sua feudorum cognosceret ac nouis legibus stabiliret. Conuentu peracto Romam ad tertiam Imperij Romani coronam accipiendam ipso Archiepiscopo deducente pergebat; singulæ in itinere ciuitates cum faculis & faustis clamoribus occurrentes debita obsequiorum officia exhibebant, sin minus aut pecunia, aut priuilegiis mulctabantur, aut armis ad officium redigebantur. Vbi Romam accesserat, relicto in pratis Neronianis, exercitu ipse cum honesto procerum comitatu leoninam vrbem ingrediebatur, atque ad Pontificem, qui ipsum ex composito in gradibus Basilicæ Vaticanæ opperiebatur, adorandum veniebat, atque ad Confessionem S. Petri deductus supplicem ad Deum orationem habebat. Pontifex sacris operatus ipsum ab Episcopo Mediolanensi oblatum, ac diaconi vice functum sacro oleo perungebat, digito annulum inserebat, ensem nudum tradebat, & capiti corona aurea imposita sceptrum Imperatorium porrigebat, ille tactis sacris Euangeliis perpetuum ac constantem se fore Romanæ Ecclesiæ, ac totius Reipublicæ Christianæ defensorem nouo sacramento se obligabat. Deinde ab vtroque ad Basilicam Lateranensem adibatur atque ibi reliquum ceremoniarum absoluebatur. Itaque ab hoc tempore qui Rex Germaniæ fuit, idem etiam Regnum Italiæ & Occidentale Imperium tenuit, ac propterea tres coronas accepit vnam Germaniæ argenteam Aquisgrani ab Archiepiscopo Moguntino, alteram Italiæ ferream Mediolani à Mediolanensi, tertiam Imperii auream Romæ à Pontifice, neque ante Pontificis consecrationem Augusti aut Imperatoris nomen vsurpauit sed Rex Germaniæ atque Italiæ siue Rex Romanorum & Imperator designatus appellatus est; annos autem regnorum atque Imperii à diebus numerauit quibus coronas Aquisgrani Mediolani & Romæ acceperat, quod ex diplomatis eorum apparet.

Hæc de consuetis olim ritibus.

Nostra tempestate cum Imperator ex hoc mortalitatis diuersorio excessit, in electione noui Romanorum Regis præscripto legis auream dictitant Bullam Caroli IV. Imperatoris Nuribergæ in curia Regali anno M.CCCCLVI. latæ cuncta diriguntur, in ea sancitum qualis esse debeat conductus Principum Electorum & à quibus; videlicet quatenus ante electionem Regis Romani alter alteri per suos fines comitatum ac tutum iter præstare debeat; vt victualia in communi pretio

& cursu Electoribus in Franckenfort locum sedemque electionis profecturis vel eorum Nuntijs diuendantur: cauetur ne hostiles custodiæ insidiæque parentur à quouis Septemuiris Electoribus ipsius S. R. Imperij columnis & lateribus: decernitur qui Principes, Duces, Comites singulos Ecclesiasticos & sæculares Electores deducent: insuper statuitur vt cum de decessu Imperatoris in diœcesi Maguntina rescitum fuerit Antistes Maguntiacus ab eo tempore infra vnum mensem litteris patentibus ad Coelectores directis idipsum denuntiet, vt ipsi trium mensium mediante interuallo à die notitiæ obitus præsto sint in Franckenford per se, vel legales suos Nuncios cum plenis mandatis & omnimoda potestate eligendi Regem Romanorum in Cæsarem promouendum mittant: quod si Moguntinus in intimatione negligens ac remissus, cæteri collegæ Principes motu proprio nihilosecius intra tempus illud conueniant & comitatum habeant singuli non excedentem ducentos equites & in his armatos ad quinquaginta dumtaxat: qui ex septemuiris nec ipse comparuerit, neque functionem suam in legatum träsftulerit, aut citra iustam causam è loco destinato recesserit iure suffragij, ea vice careat: Franckofurtensis Vrbs ac Magistratus sub periurii reatu incorruptam fidem præstet collegium Procerum Electorum in genere & quemlibet eorum ab inuasione alterius protegere ac defendere, præter quos quoad perseuerauerit Comitium & ipsorum familiam intromittat neminem cuiuscumque dignitatis, conditionis vel status extiterit. Vbi iam omnes septemuiri seu eorum Nuntij conuenerint proximè insequenti die diluculo trabeati pro afflatu Diuini numinis sacrificio de spiritu sancto in æde sacra Diui Bartholomæi Apostoli intererunt, deinde cantato B. Ioannis Euangelio præeunte Moguntino Pontifice ac iusiurandum recipiente religiosa sponsione in se recipiant cuncti, electuros sese temporale caput populo Christiano, Regem Romanorum quem idoneum magis iudicauerint, pacto, stipendio pretio, pollicitatione remotis: decernitur insuper vt postea quam ad actionem ventum fuerit nemo ex vrbe abitum paret nisi electo prius Cæsare; quod si vltra tricesimum à die sacramenti præstiti electio dilata sit, vniuersis detractis cibarijs pane tantum & aqua Principes Electores vescantur, donec ad suffragia processerint; in quem consensio maioris partis inclinauerit, hic eodem loco, esto ac si communibus omnium votis concorditer nullo reluctante creatus

esset:

:fiet : adhunc modum renunciatus Romanorum Rex imprimis confirmabit vniuersis & singulis septemuiris Electoribus Ecclesiasticis & sæcularibus omnia ipsorum priuilegia, litteras, iura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, quicquid ad ipsorum ditionumque spectat dignitatem decus atque immunitatem : præterea statuitur quis cuilibet locus in Confessionibus competens, per quem & quo ordine exquirenda suffragia, quæ vnicuique obeunda functio quum Sacra Maiestas publicè quid peragit, procedit aut mensæ accumbit : Adhæc vt interregni tempore penes Palatinum sit summa rerum, per sueuiam, oram Rhenanam & in iure Franckonico; penes Saxonem vero in eo tractu qui iure vtitur Saxonico: vt Electori rebus humanis exempto succedat primogenitus filius legitimus, aut ætate maturior si laicus fuerit, vel frater consanguineus, vt Electoris munus & vicem, qui est infra decimum & octauum annum, expleat proximus agnatus, donec is adoleuerit: vt Electores conuentum indicant in annos singulos, deque republica maturè deliberent: vt Electorum filij à primo ætatis tyrocinio latinam, Italicam, Schlauicam, cæterasque linguas scitu pernecessarias combibant ac condiscant: vt electionis futuri Romanorum Regis locus, sedesque sit Franckfordia apud Moganum; Aquæ Granenses verò iuxta Magni Karoli prisca placita sedes prima inaugurationis, vnctionis, ac sacrationis; Prima Regalis curia comitiaque apud Nurembergenses habeantur.

Nominata igitur constitutaque inaugurationis Regis Roman. in Aquis die præueniunt eo Electorali culmine spectati Principes, quo Regiam Maiestatem potiis propinquã omni qua par honorificẽtia ac reuerentia excipiãt, exceptam coniunctis agminib. in vrbẽ deducant quod qua pompa in celeberrima illa Caroli V. Imperatoris coronatione factum, ex Hartmanno Mauro hic recolo: memorati septemuiri appropinquanti Roman. Regi cum flore Burgundicæ ac Belgicæ Nobilitatis, comperta die horaque aduentus, armatis copiis obuiam effundebantur, quando conspectui eminus se obtulit Regia Maiestas substitêre. Substitit pariter Rex; vtrimque instructi explicatique ordines militum quâ peditum, quâ equitum cõpositione facta, cum Regia Maiestas sese loco mouere cœpit, singuli Principes assumptis duodecim Comitibus, cæterisque conquiescere iussis, festinatò ad Regem

properant, ac desilientes de equis, singuli cum quatuor à consiliis Regiam Maiestatem reuerentissimè excepere, verba faciente Moguntino & respódente Rege per Antistitem Salisburgensem. Primus ordo introeundi vrbem datus fuit Marchioni Brandenburgico cum suo agmine, sequebantur tria millia delectissimorum peditum postea Senatores & qui in Magisteriis municipalibus in Aquis intrârunt cum sua comitiua, hi ex vsurpato more Regiam Maiestatem, vbi ad fines eorum appulit cum debita obseruantia deuotè salutârunt, ipse Rex Romanorum electus, decretum electionis prius Magistratui ostendit, quam in solium Regale sublimandus immitteretur, qui mos ab æuo Wentzelai Imperatoris viguit, eo siquidem ob socordiam Imperio destituto in viuentis locum Rupertus Comes Palatinus Rheni suffectus fuerat, quem cum Aquisgranenses in sedem Regiam collocari haud quaquam sustinuissent, prætexentes quod Wentzelao fidelitatis sacramento obstricti essent, postmodum graui ære mulctari, pœnam acrem contumaciæ luerunt, abinde ergo cautius suæ vrbi prospicere didicêre, postulantes decretum electionis.

Sequebatur Dux Iuliæ cum suis armatorum signis (erat autem disceptatio ac concertatio inter Duces, Saxonicum & Iuliacum ob præcedendi prærogatiuam) dein Saxonum Electoris equites, post exiguam intercapedinem fulgentes aduenêre copiæ Palatini, post quas Archipræsules Maguntiacus, Treuericus, Coloniensis, eorumq; equitatus incessêre; inde purpura alioque pretioso cultu spectabiles Regii aulici, hoc est Satrapæ, cubicularii, præsides, rectoresque Prouinciarum, ductores Turmarum, & illi qui aurei velleris dignatione honorati; tum turmæ regiorum equitum sub suis præfectis sua vexilla ciuitatem inferunt, sequuntur nobiles adolescentes Regiis equis gradariis insidentes, & in medio phalangum tubicines: proxima his familia Religiosorum, quibus à tergo maiores purpurati Regis, genere famaque longè clarissimi; alij rursum æneatores processêre ac insonuêre, post quos tres viri Regia Aquila & triumphalibus insignibus conspicui, qui ex equis missilia variorum numismatum in plebem circumfusam, quo Clero Principibusque pateret facilior transitus, interruptim sparsêre, his vicini ibant Canonici Marianæ Ædis, ante quos arte fabricata Karoli Magni magna effigies, portabanturque à Sacrato Cleri Collegio præter alia Diuorum Lipsana, monimenta Augusti Imperatoris Karoli tutelaris Aquisgranensium perpetui;

compimilque capu , circum caput discurrebant vig les ciuitatis æreis cornibus rauco sonitu ac clangore stridentes: obseruatum antiquitus quod vbi Regia Maiestas peruenerit ad exteriorem portam de equo desiliat, atque S. Crucem à Canonicis Regem opperientibus eo delatam religiosè exosculetur, præstitaque reuerentia vertici, nempe Diui Karoli capiti, dimisso iumento priore, quod vni vigilum cedit, in aliud transcendat, ciuitatemque ingrediatur.

Tam cœtum Canonicorum & Ecclesiasticorum procedentem, quam Principes atque Regem cingebant , vndique satellites atque stiparores turbam submouentes præter quos duodecim Hispani expedi issi ni cursores Regiæ Maiestati præsto erant; Diuorum reliquias Herholdi cum insignibus Imperij Regnorumque Hispaniæ sequebantur, exinde Principes Germaniæ ac Galliæ Duces Marchionesque Electores in ipsa vrbe hoc ordine Regem præcessêre, Palatinus ad dexteram Legatus Marchionis Brandenburgici ad læuam, medium Treuirorum Protomystam accepêre, loco Ducis Saxonici, qui aduersam valetudinem obtendens hæserat apud Vbios Vdalricus Pappenheim viceMarescalcus Romani Imperij, exertum gladium ante Regiam Maiestatem vibrabat; tandem terrarum gloria Carolus Quintus verè Augustus omnibus illucebat, haud longo interuallo & quasi iuxta Regem ad equitatum latere dextro Metropolita Agrippinatium, sinistro Maguntinorum, subsequuti Regem Legatus Regis Bohœmiæ, Cardinalis Sedunensis, Cardinalis Salisburgensis & Cardinalis de Croy, Archiepiscopus Toletanus: deinde qui Legationis nomine Regum, Ducum Marchionum, communitatum Regiam maiestatem comitabantur, item tam qui fato functo Maximiliano, quam qui Regiæ Maiestati à consilijs erant: Claudebatur exercitus satellitibus ac stipendiarijs equitibus Regis. Iam se intendebant tenebræ & tamē piissimus Rex Carolus V. ipsa fausta luce aduentus sui in Aquas veteri instituto laudabilique more recta Basilicam ac Diuinam petiit, atque ad porticum principis diuæ Virginis Ædis Rex equo, quo vrbem introiuit, desiliit, quem Comes Riffe. scheit, tanquam Archimarescalcus Coloniensis Archiepiscopatus sui iuris sibi vendicauit; enitentibus incassum Domino de Schwartzenburgk, aliisq; Regijs tabulariis: Regiam Maiestatem descendentem equo Coloniensis ac Maguntinus Archipræsules per templi adyta ad ipsum penetrale introduxêre, in media templi area sub corona pensili perampla, stra-

gulæ vestes cum puluinaribus sericis repositæ erant, super quibus Regia Maiestas prostrata procubuit, & aliquamdiu precata est donec per Coloniensem Antistitem preces aliquæ funderentur, dein stabat erecta, quoad cantici, Te Deum laudamus, finis adesset: post ad priscam aram Diuæ Virginis toto orbe celeberrimam deducta est, ante quam genu vtroque nixa humili prece Deo supplicauit, nuncupatis votis, & oblato in aram dono, secessit in sacrarium, remotisque arbitris cum septemuiris semihoræ spacio sermonem miscuit; desiderio Principum expleto; Rex post diuinam venerationem in Palatium ac domicilium suum diuertit: Hæc ferè ex Mauro strictim. Discrepant scriptores, priscorum Regum plerosque Aquis in Palatio consecratos edisserentes; hoc tamen eo sensu accipiendum reor, quod Aquensis Basilica vice capellæ amplissimo Karoli palatio adstructa fuerit, vnde sub huius vocabulo templum quoque complectuntur, interim haudquaquam abnuo ceremonias tam chori, quam fori crebrò immutatas.

Ipsa iam coronationi præstituta luce Electores Principes Ecclesiastici ordinis cum administris suis Episcopis suffragantibus; quorum vnus Diuina peracturus est, & coronationis munus obiturus, reliqui duo assistent ac præsentabunt requisita, adiumentoque erunt consecratori, (aut si eorum alter non comparuerit quidam Episcopus vel in confiniis Abbas Imperialis Cœnobij Indensis ad D. Cornelium in absentis locum surrogabitur, prout factum cum Sigismundus Imp. corona Regni Aquis insigniretur) induti Electorali habitu ad Basilicam diluculò stipantibus vtrimque viam ciuicis turmis inequitant, ibi in vestiario, posito priori indumento Pontificali cultu amiciuntur præstolantes aduentum Regis; interea Senatus Ecclesiasticus iubet campanum æs maius reboare, insuper insignia Augustalia ad coronationis actum necessaria Aquensi & Nurembergensi vrbibus concredita, puta liber Euangelicus aurato operimento fulgidus, sanguis B. Stephani prothomartyris, corona, pomum, orbis, sceptrum, annulus duo magni Karoli gladii, &c. ad sacrarum deferentur, quorum pleraque decenti situ in aram consecrationis collocabuntur: adhæc in ipsa Basilica tabulata seu duplicia interstitia ex asseribus distincta iam prius erecta esse oportebit, aulæis vestita, quo cuique primario viro iuxta conditionem suam spectandi locus destinetur: edici pariter consueuit ex instituto peran iquo

et Principes Comitesque absque discrimine & aliorum Electorum quatuor dumtaxat primores consiliarii, cæterorum vero Principum suo solummodo ad chori interiora septa intromittantur reliqua nobilium caterua exterius, atque de templi testudine prospectet: prouidetur insuper et vt singuli Principes suorum Nobilium nomina Regio Marescallo tradant, magistrorumque equitum, quo facilius armatæ cohortes positæ ante Valuas ad custodiam aditus templi Nobilium nomina obseruent, ne ob exclusionem alicui seditionis ansa præbeatur.

Regiam Maiestatem ad Diuæ Virginis augustam ædem equo procedentem comitantur Electores Politici Electorali cultu equites, ac cæteri Principes, Heroes, Magnates Dynastæ Regum Ducumque oratores hoc ordine; agmen ducunt per stationes ciuium armatas vtrumque viæ latus firmantium aliquot Saxonici satellites: hos subsequuntur Imperii submarescalli ambo simul vel separatim ita vt de Pappenheim præeat, duo alii eius tramiti inhæreant, deinde Electorales Nobiles & Consiliarii, tum Comites, Barones, Principes, post Heroldi Regionum Regnorumque: inde fæciales sacri Imperii quouis suum caduceum & insigne gestante, denique coniuncti Palatinus Pomo Imperiali & Brandenburgicus Sceptro augustalibus signis spectabiles: Saxo autem incomitatus euaginatum ensem præfert Regi sub vmbella consequenti, satellitium agmen claudit: simulatque ad Basilicam ventum, Triumuiri Metropolitæ Electores comitantibus duobus aliis qui assistunt, ac duobus leuitarum loco ministrantibus, qui consecratoris infulam pedumque obseruent, cum libro Euangeliorum prisco, thuribulo, præeunte crucis signaculo, clero & Regalibus sigillis, ordinatæ processionis forma in limine templi seu ad cellam Diui Nicolai venerabundi obuiam Regi pergunt, eundemque submissione excipiunt, tum consecrator Infula ac Pontificali cultu coruscus coram Rege nonnihil subsistente exorditur, ad modestiam composita voce, cantans, *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, &c. Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus qui famulum tuum*, &c. Prece fusa consecrator cum antelatis cruce, sigillo famigatione thuribuli ad altare Gloriosæ Virginis subtus testudinem progrediuntur, Moguntinus & Treuerensis eo quoque Regem inter se medium deducunt. Interea à musicis psallitur antiphona, *Ecce ego mitto Angelum* &c. Ante aram prona pro-

cumbit Maiest. Regia super stragulo & aureo peristromate, sæculares electores cum Augustalibus signis ibidem aliquantisper subsistunt, Coloniensi supplicante à Deo quatenus Rex Diuina suffultus ope rectè possit præesse & prodesse, quibus peractis duo Archiepiscopi alleuatum Regem in sellam soliumque regale ex opposito aræ sessum conducunt, electores vero porrectis Imperii insignibus suis marescallis sessiones sibi destinatas capiunt; completa antiphona, Rex ante altare genu flectit Consecratore stante & pronuntiante, *Domine saluum fac Regem*, &c. Oremus, *Deus qui scis genus humanum nulla virtute*, &c. Item, *Omnipotens sempiterne Deus Cælestium, Terrestrium*, &c. Inde Rex & Præsules assistentes sedilia repetunt, consecrator Metropolita Coloniensis (si in Aquis Granensis inauguratio fiat vtpote in cuius Prouincia res geritur, ita etsi quondam, id muneris Maguntinus etiam Aquis exercuerit, nec non Treuericus, quod Aquisgranum fuerit ab antiquo Archicancellatus Gallici, idem ius aliquando prætenderit) orditur actionem Lyturgicam; colligere est è libro rituum huius Principis ædis sacræ, primitus bis enim diuinam peractam atque Rom. Regem cum Regina collateral. si affuisset primo sacro in ara Diui Petri collocatum; hoc æuo, vt plurimum semel dumtaxat cœlestis hostia apparatissima pompa immolatur Introitus idem qui in trium Magorum festa luce; *Ecce aduenit dominator Dominus*, &c. *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. Oratio, *Deus qui hodierna die vnigenitum tuum gentibus stella duce reuelasti*, &c. Lectio Isaiæ Prophetæ *Surge illuminare Hierusalem*, &c. Graduale, *omnes de Saba venient*, &c. Sequentia, *Festa Christi omnis Christianitas celebret*, &c. finito hoc Ecclesiastico hymno priusquã Euangelicæ tubæ præconium inchoetur, Maiestas Regalem habitum ponit, cum duobus Archipræsulibus ad altare graditur, ibi prouolutus ad genua flectit in sede accommoda; procumbunt pariter consecrator & vniuersus Clerus Diues Diuasque alterna precatione apud Deum obsecrantes; simul ac peruentum ad versum, *vt nos exaudire digneris*, Protomysta consecrator surgens, arrepto pedo orat.

Vt hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris. cui respondent circumstantes. *Te rogamus*, &c. Iterum sacrorum Antistes:

Vt eum benedicere sublimare, & consecrare digneris. Te rogamus, &c. tert ò celebrans, *vt eum ad* Regni *& Imperij fastigium fœliciter perducere digneris.* Chorus: *Te rogamus,* &c.

Litanijs ad finem perductis, assurgunt omnes, consecranti Archiepiscopo infula imponitur, ac pedum in manus datur, percontatur Regem latinis verbis:

Vis sanctam fidem Catholicam iustis operibus seruare?

Rex, *volo.*

Vis sanctas Dei Ecclesias Rectoresque earum tutari?

Rex, *volo.*

Vis Regnum tibi commissum efficaciter secundum iustitiam administrare, nec non & populum tibi subiectum iuste ac religiosè Regali prouidentia iuxta morem prædecessorum tuorum defendere ac regere? Rex, *volo.*

Vis iura Regni dispersa congregare? Rex, *volo.*

Vis pauperum, viduarum, pupillorum, & miserabilium personarum pius defensor & iudex esse? Rex, *volo.*

Vis sanctissimo in Christo Patri Rom. Pontifici debitum honorem & subiectionem exhibere? Rege, per omnia fideliter se acturum annuente propius ad aram accedit, positisque super dextrum cornu duobus digitis, conceptis verbis Sacramentum, dicit:

In nomine Christi, Iuro, promitto, & spondeo, in quantum Diuino fultus fuero adiutorio, & precibus fidelium Christianorum adiutus valuero, omnia præmissa fideliter adimplebo, sic me Deus adiuuet, & Sancta Dei Euangelia. Romæ consimile iureiurandum præstat, si ibi diadema suscipiat, cuius formula Clement. I. de Iureiurando continetur: Ottho I. Imp. alijs verbis coram Pont. Max. fidelitatis Sacramento se obligauit, quæ videre est in Capitulo. Tibi Domino, distinct. 63. Neque disparem sponsionem emittebant antiquitus Imperatores Constantinopolitani Patriarchæ suo, videlicet in nullo commoturos se Ecclesiam Orientis ab Apostolicis ritibus.

Sic vt præfatum respondente Rege consecrator conuersus ad circumfusos Principes, Comites, populum, &c. Latinè perquirit. *Vultis tali Principi ac Rectori vos subijcere, ipsiusque Regnum firmare,*

ad Rom. 13. *si se stabilire, atque iussionibus eius obtemperare iuxta Apostoli praeceptum, Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.* Ad quae Principes, corona cleri & adiuncta turba respondent, *fiat, fiat, fiat*; subinde, si necessum, lingua Alemanica interrogatur populus & regia Maiestas si latinae ignara sit eodem id omate iureiurando se obstringi; quibus transactis Agrippinatium Antistes coram Rege iterato in genua se submittente benedictiones pronuntiat, *Benedic Domine hunc regem nostrum*, &c. Item, *Deus ineffabilis author mundi.* Maiestatem Regiam tum vngit oleo catechumenorum primò caput, dicens, *Pax tibi*, secundo Scapulas & armos, brachiorum compagines flexusque & ad quaevnis vnctionem proferuntur haec verba *vngo te in regem de oleo sanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, formatis tribus crucibus, Chorus interim concinit. *Vnxerunt Salomonem Sadoch Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Geon, & procidentes laeti dixerunt: viuat rex in aeternum*; ad extremum palmas manus oleo imbuit subiungens, *vngantur manus istae de oleo sanctificato, vnde vncti fuerunt reges, & Prophetae*, musicis per id tempus psallentibus. *Vnxit te Deus*, &c. Cur autem his partibus sacra Maiestas vngatur, existimo quod hisce partibus designetur maximè Principatus, iuxta id Isaiae 9. *& factus est Principatus super humerum eius*; Vngitur verò Imperator in brachio & palmis, quia his fortitudo: vngiturque signo S. Crucis impresso, quoniam per Crucem est victoria nostra: plerique tamen opinantur Regem seu Imperatorem non vngi oportere in capite, sed summo Pontifici competere in capite vnctione sacrari.

Vnctum Regem Maguntinus & Treuericus in sacrarum abducunt ibi deterso lana oleo, depositoque aureo amiculo, quod, vti deinceps vberius dicetur, in vsus ornamentorum templi cedit, conuestitum albâ, desuper stola ad pectus instar crucis applicata, exinde antiquo Imperiali habitu Diaconi penè more chlamyde Dalmatica aurea corpus, socculis etiam vel Sandalijs, tybialibus ceu ocreis pedes, nempe omnibus ipsius Magni Karoli Regalibus vestimentis indutum, rursus sacrario educunt, & in sedium soliumque collocant; Dubium hic alicui suboriri posset, an eo quod Imperator vngatur,

sacre-

facteturque sacro ordini initietur: aio minimè, verum militari potius charactere insignitur 1. q. 1. cap. quod quidem si forte, fungitur attamen officio Subdiaconi, & Diaconi, dum Præsuli sacris operanti ministrat, & quia Karolus Magnus Imperator inter Canonicos Diaconos Aquis subsellium in choro viuens sibi delegerat psalmosque vna cum sacerdotibus voce sub missa modulatus fuerat, inde forsan vsque in æuum præsens cuncti Imperatores amiciuntur Diaconalibus indumentis atque vnam præbendam portionemq; Canonicam Grani Aquis ipsis sibi reseruant, ac ordini Collegij associantur, dumque sub iuramenti solemniter acti religione adstringuntur Sacro Imperio, eadem fide Ecclesiæ Aquensi: insignis profectò & alta humilitatis virtus, à Magno Karolo edita, qui tali honore sacerdotalem gradum dignatus est, quod ij cesserit, & stallum inter Leuiticum ordinem seligere maluerit; haud absimili exemplo eluxit Sigismundus Imperator, qui Carolino tramiti firmus fixus adhæsit, ac diuinis præclatè cooperatus est, etenim Anno salutis 1414. inchoato Concilio Constantiensi Sigismundus Rex ad tollenda schismata in vigilia Natalis Christi, Vberlingam veniens cum coniuge sua per lacum Constantiensem nauigio properauit, inde ad ciuitatem vt interesset Missarum solemniis; sub mediam igitur noctem Constantiam ingressus; primam Missam celebrante Papa ipse Diaconi habitu indutus palam legit Euangelium alta voce: *Exiit edictum à Cæsare Augusto:* seu vti alii volunt septimam lectionē Diaconalem sub Euangelio. *Exiit*, &c. cecinit: distat hæc ætas à moribus istius: in actione Lyturgica vniuersa mysteria, verba, ritus, habitus, vitam & passionem Saluatoris commemorant, hæc hoc æuo aliis scandalum, aliis stultitia, pauci sunt, qui virtutem de infirmitate, gloriam de opprobrio, vitā de amara morte fugiunt. Prosequar institutas ceremonias, procumbente Rege tali vt præhabitum cultu ante altare, cōsecrator ante traditionem gladii hac terna precatione vtitur: *Prospice omnipotens sempiterne Deus*, &c. itē, *Spiritus sancti gratia*, &c. item, *Deus qui es iustorum gloria*, &c. *Per omnia secul.* &c. *Gratias agamus*, &c. Iterum interiicitur comprecatio pro Rege ac repetitur benedictio: *Deus Dei filius Iesus Christus*, &c.

Cochlæus hist. Hussit. lib. 2.

Sacrorum Antistes associatis Collegis Maguntino & Treuirensi strictum ensem Karoli Magni incuruum turcico Sagulo haud multum absimilem ab ara desumptum Regi simul tradunt, additis verbis:

Accipe gladium per manus Episcoporum, licet indignas, vice tamen & authoritate Sanctorum Apostolorum consecratas, tibi Regaliter impositum nostraque benedictionis officio in defensionem Sanctæ Ecclesiæ diuinitus ordinatum: & esto memor illius de quo ille prophetauit, dicens: Accingere gladium tuum super femur tuum potentissime; vt in hoc, & per eundem vim æquitatis exerceas iniquitatis molem potenter destruas, & S. Dei Ecclesiam, eiusque fideles propugnes ac protegas. Nec minus sub fide falsos, qui Christiani nominis hostes execreris ac destruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas desolata restaures restaurata conserues, vlciscaris iniusta, conferues bene disposita, quatenus hoc agendo virtutis triumpho gloriosus, iustitiæ cultu egregrius cum mundi huius Saluatore cuius typum geris sine fine merearis regnare, qui cum Patre, &c.

Gladio in vaginam recondito ab Electoribus sæcularibus Lateri Regio accingitur, aptaturque, dein annulum idem metropolitanus digito Regis inserit. *Accipe* (inquit) *Regiæ dignitatis annulum & per hunc Catholicæ fidei cognosce signaculum: & vt hodie ordinaris Caput Princepsq́ Regni & populi, ita perseuerabis auctor ac stabilitor Christianitatis & Christianæ fidei vt felix in opere cum Rege Regum glorieris per æuum:* Regale Sceptrum ac pomum Imperiale, quod orbis terrarum figuram repræsentat, consecrator tradens, illud in dextra, hoc in sinistra fœlicia Regi ominatur dicens: *Accipe virgam virtutis atq; æquitatis, qua intelligas mulcere pios & terrere reprobos,* &c. Regia Maiestas Sceptro atque pomo Palatino & Brandenburgico consignatis, aurato pallio Karoli Magni induitur, abinde tres Archiepiscopi simul reuerenter coniunctis operis Imperiale Diadema vertici Regio superimponunt pronuntiantes: *Accipe Coronam Regiam Regni quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti imponitur,* &c. Vulgo creditum est; Romanorum Imperatores hac tempestate tribus Coronis coronari oportere, ferrea Aquisgrani, argentea in villa Modœtiensi Diœcesis Mediolanensis, aurea Romæ in æde Sancti Petri ad altare D. Mauritii, iuxta glossam in Clem. I. de iureiur. in verbo vestigiis, ast erroneè, notatque rectè auctor libri de S. Ceremoniis cap. 4. sect. 5. lib. 1. sub rubrica de triplici Imperato-

ris

ris corona, vulgarem hanc esse opinionem, præsertim quæ nititur allegoricæ interpretationi metallorum, à iurisconsultis petitæ: exploratum quidem est ex præallegato Sigon. lib. 7. de Reg. Italiæ, qui olim Rex Germaniæ erat eundem etiam Regnum Italiæ & occidentis Imperium tenuisse ac propterea tres coronas accepisse qui mos diu viguit; vnam Germaniæ argenteam Aquisgrani alteram in Italia ferream Mediolani ab Archiepiscopo, tertiam Imperii auream Romæ à Pont. Max. verum id amplius non est in vsu: In more quoque veterum Imperatorum & Regum nonnunquam fuit, vt diuersis Coronis insignirentur pro Regnorum varietate quibus præerant. Vnde Otho Frisingensis Episcopus & Friderici primi patruus vir doctus & eloquens prodidit Fredericum ipsum coronis quinque decoratum fuisse, prima de rege Francorum Aquisgrani, secunda de Regno Germaniæ Ratisbonæ, tertia de Regno Longobardico Papiæ, quarta pro Imperio Romano Romæ, quinta pro Regno Italiæ Modœciæ, aureæ tamen omnes fuere; at appellatio coronæ ferreæ, quæ à Theodelinda Langobardorum Regina in Basilica Sancti Ioannis Baptistæ Modœciæ XII. passuum millibus à Mediolano distante primum constituta, vt ea Reges coronarentur & postea Mediolanum translata, inde manare potuit, quod circulus ferreus introrsum intextus sit, seu quod laminam quandã ferream habeat in summitate, hac etiam Karolum Magnum coronatum anno fere DCCLXXIII. testis est idem Sigon. de Reg. Ital. lib. 4. *Victo* (inquit) *Captoque Rege desiderio & Longobardis omnibus in fidem ac deditionem acceptis Karolus regnum Italicum sibi iure victoriæ vindicauit quod vt nonopraterea iure sanciret vetus, vt putabatur Pontificis Gregorij decretum adhibuit quippe Modœciæ se per Archiepiscopum Mediolanensem Corona redimiri ferrea voluit atque vt ita apud posteros obseruaretur instituit, ea res maxima fieri ceremonia consueuit, quæ in Rituali antiquissimo continetur, qui ordo Romanus vocatur, perducto scilicet per Episcopos ex cubiculo in templum atque ante aram maximam constituto rege, Archiepiscopus post solemnes aliquot precationes effusas populum alloquutus interrogabat, num se tali regi subijcere, atque illius mandatis & iussionibus constanti fide vellet obtemperare? vbi vero populus se velle ostenderat, regis caput pectus scapulas atque ipsas brachiorum*

Sigon. li. 1. de reg. Ital.

Sim. Maiolus p. 1. coll. . .

compages oleo sancto ungebat Deum orans ut & in bello gerendo & in sobole propaganda votis eius annueret, ornato inde ense, armillis, pallio, annulo & sceptro coronam imponebat & per chorum ductum in solio collocabat, atque osculo pacis oblato diuinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Mediolanensis Archiepiscopus egit. Præsenti æuo ex puro puto auro fabricata corona insigniuntur Romanorum Reges, tam in Matrice Vrbium Roma, quam Aquis, veruntamen in hac priscorum laudabilis parsimonia satis elucescit, vt recte obseruauit Hart. Maurus in cor. Caroli V. Hæc ipsa corona est quam Nurembergensis Magistratus fida custodia ab aliquot sæculis iam asseruauit, atque Aquas ad locum coronationi destinatum asportare consueuit, quæ equidē in edicto Caroli IV. Imp. nuncupatur Aquensis Corona, vel quod Graniaquis primum ablata, seu quod Aquisgranum coronationis prima sedes: ea quā vertici Regio incōparabilis Magni Karoli in Aquensis Basilica superpositā contuemur prorsus consimilis est ex quæ Nurembergensib. cōcredita, argētea est, ac fors Germanica deq; Regno Germaniæ qua antiquitus redimiti: quoad formam à frōte ad occiput vnicū semicirculum dūtaxat continet, in cuius anteriori parte crux refulget: porro Romana eademq; Romani Imperii corona differens est ab hac qua Rom. Reges initiantur, quod ista in modum penè Episcopalis mitræ humilior tamen magisq; aperta & minus acuminis habens confecta sit, atq; eius apertura à fronte est non ab aure, semicirculum deducit per ipsam aperturam aureū, in cuius summitate crux parua eminet. qua tiara cæteræ coronæ carent. Neq; solum diadema Regium penes Nurembergenses est, sed etiam alia augustalia decora Magni Karoli exuuiæ eorundem fidei commissæ nempe Dalmatica pretiosis margaritis distincta, cappa seu paludamētum regale cui aureæ intextæ aquilæ illa è candicante, hæc ex purpureo holosericol: aurea stola gemmis collustris, amiculum rubei coloris: sed & pomum à Comite Palatino Rheni, & Sceptrum à Brandenburgico Marchione, & ensis Karoli Magni à Duce Saxoniæ Cæsaribus Regibusq, Rom. præferri solita apud eos asseruantur: admodū grauis hic est gladius, latus lōgusq; Ingelheimi ab Angelo cōtra Saracenos pugnaturū accepisse Karolum cœlitus, incolarum fide creditur, Ecclesiæ vero Aquensis exiguus & incuruus, nūc vno nunc alio pro beneplacito Reg. Mai. viros benè meritos equestri dignitati cooptat: alterutrū itidem

ra. Trith. Abbas Spanh. Chro. insf. on Hirsau.

pro

pro libito Dux Saxoniæ antefert Cæsari, qui in & Chirothecæ vnionibus adornatę, Sandalia seu socculi duo aurei, tibialia, Zona coriacea, retinaculum eius aureum, quæ omnia pretiosis lapidibus affabrè p-cturata redimitaq; sunt ipsorum tradita custodiæ: & vero haud mi.ū si vniuersa co: onationis insig ia in loco sedeq; coronationi præstita ta, nō etineantur cum idipsum lutetiæ Parisiorum & alibi quoq; obtineat: etenim Abbat a D.Dionysij ibidem ornamenta Regalia conseruat, ast R-morum vrbs pro coronandis Francigenarum Regibus ab antiquo designata fuit. Coronatione Regis Romani expleta Regia Ma. aram accedit ac more maiorum sacramentum super altare tacto antiquissimo & correctissimo Codice quatuor Euangeliorum in cœrulea membrana conscrip orum penes Magnum Imperatorem in sepulchro r-pertoru n ex scripto in hæc fere sententiam pronuntiat: *profiteor & promitto coram Deo, & Angelis eius leges seruare iustitiā facere, iura regni conseruare debitumq; honorem Romano & alijs Pontificibus atq; vasallis exhibere donata Ecclesiis conseruare, Christo mihi præstante auxilium fortitudinem & decorem.*

Mox tuo Metropolitæ Mog nt. & Treuericus præcedentibus sæcularib. Electoribus cum Augustalibus signis Regem per deux ū deducunt super testudinem tem p i, aliū vt indigetant Monasterium, in sequitur consecra , onē cū assistentib &c. dumq; eò conscenditur decātat chorus: *Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine & voluntate labiorum eius non fraudasti eum,* &c. *posuisti super caput eius Coronā de lapide pretioso,* &c. existens Rex in testudine Basilicæ per aliquot gradus marmoreos scandit & collocatur ab Electorib. in saxea ex eodem marmore confecta sede perampla, ante aram duorum Simonis & Iudæ Apostolorū posita inter duas columnas loco eminenti, vnde ab omnib. videri & ipse conspicere possit vniuersos in eaq; in thronisatur, ac pronfatur consecrator imprecationem: *Sta & retine amodo locum regium quem non iure hæreditario nec paterna successione, sed Principum electione in Regno Alamanniæ tibi noueris delegatum:* olim Coronandi Reges Rhenum à Franckofordia deuehebantur & super saxeam sedem Regiam sub Diuo inter crebras nuces in amœnissimo Rheni littore prope oppidulum Reense situatam collocabantur: nam Regi in solio Maiestatis atque in excelso gloriæ fastigio ita consede ri. Archipræsul Moguntinus nomine & vice

collegarum suorum adgratulatur se, & Imperij ordines sub tutela Regiæ mansuetudinis obsequentissimè commendans, cęteri quoque Principes, Oratores, Canonici ipsius sacræ ædis, ouantes & applaudentes fausta acclamant beneque apprecantur tam nouo Cæsari quam Imperio: inde Symphoniaci ac cœtus clericorum, organa, & æneatores alternatis vicibus tali Rectori congratulabundi sonora alacrique voce, concinunt canticum: *Te Deum Laudamus*. Sub quo laudis carmine consecrator cum suis regreditur ad aram, ad functionem lyturgicam peragendam, cæteri Electores circa Regem sedentem manent, interim Maiestas Regia cooptatur Collegio Ecclesiastici Senatus Basilicæ in Aquis, editque religiosè Sacramentum fidelitatis & obedientiæ coram sanguine Diui prothomartyris Stephani, super Libro Euangelico prisco, antiquitus ab Imperatoribus præstari consuetum, cuius formulam verborumque conceptum his subijcimus.

Nos N. diuina fauente Clementia Romanorum Rex huius nostræ Ecclesiæ B. Mariæ Aquensis Canonicus, promittimus & ad hæc Sancta Dei Euangelia iuramus eidem Ecclesiæ fidelitatem, & quod ipsam, iura, bona, & personas eiusdem ab iniurijs & violentijs defensabimus & faciemus defensari, eiusque priuilegia omnia & singula, & consuetudines ratificamus, approbamus & de nouo confirmamus.

Sub eodem SS. Ambrosij & Augustini hymno Maiestas stricto gladio humeros eorum qui ordinem equestrem affectant leniter ferit, hic honos antiquitus virtutis & fortitudinis erat premium, communicabaturque nobilibus solummodo & ijs qui vel hostium strage id promeriti fuissent, vel acres se & strenuo in bello probassent, hac vero tempestate sæpenumerò humillimi qui que id dignitatis insigne consequuntur, qui aut ardore & sui gloriæ ducuntur, seu promiscue aliorum impulsu ad pedes Regiæ Maiestatis deferuntur, altero è duobus Karoli Magni ensibus talium (prout præfatum) armi feriantur: Plerique historiographi literarum monumentis consignatum reliquerunt, Karolum Magnum haud infrequenter in castris donationes terrarum, possessionum, facultatum, earundemque diplomata pomo manubrii ensis sui veluti sigillo muniisse è quibus hodieque aiunt extare: tradunt alii gladium Caroli conspicuum aliquando fuisse his literis D. P. C. C. A. D. C. hoc est, decem præce-

ptorum

ptorum custos Carolus à Deo Coronatus, rectè igitur Karolino gladio quo Marte iusto, Regna Prouincias, auri vim accumulârat, parta iustitiæ distributiuæ libramento excelso planè animo elargitus fuerat firmârat ue, aut quem pro lege diuina propugnanda plantandaque toties stinxerat, succedanei Cæsares milites tangunt, vt Karolinæ virtutis memoria in eis exurgat.

Posteaquam Rex gladium Marescallo Imperij tradidit & vniuersi indicem globum Rheni Palatino, descenditur è testitudine ad assistendum complemento rei diuinæ, Diacono in ambone mox exordiente Euangelicæ legis oraculum præcinere. *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ*, &c. Symbolum Apostolorum ac continuatim exinde oblationis preces funduntur, tum Regia Maiestas Sceptro dextra comprehenso aliquot auri numismata offert in aram Marianam quæ in eiusdem templique vsus deinceps insumuntur. Post Regem Electores pariter donaria sua deferunt, consecratore, ac sacrorum antistite singulis ad exosculandum sacrum præbente; proceditur vlterius in mysteriorum cælestium libamine, cumque pax pronuntiata Regis quoque ori Pacis signum, credentia, vti aiunt, mundo peplo prius facta, per Maguntinum Præsulem deosculandum decenter reuerenterque admouetur, aliquanto post Maiestas Regia ad sacram synaxin accedit pane diuino Christi corpore reficitur manu perlitantis Metropolitæ antistitis: Obseruatu hoc loco non indignum subinde inthronizari Regem, ac canticum laudis, Te Deum Laudamus, &c. missarum Liturgiis ad finem ritè perductis decantari; quandoque veluti dum Carolus V. inauguraretur vsu venit, post iusiurandi sacramentum à Rege religiosè præstitum, & tum inthronizatione peracta prosequitur sacrificium consecrator quo oblato cunctisque solemni ritu expletis iteratò Maiestas Cæsarea equestri dignitati cooptandis in cathedra considens moram trahit, quoad tres protomystæ in vestiario factis vestibus exuti Electoralem habitum reassumpserint, vt tali cultu Regem ad Palatii epulum comitentur: antiquitus Serenissimus Rex vna cum Augusta si præsto fuisset deducebatur per viros principes ad Capellam Basilicæ Diuo Mauritio sacram quæ nunc Capella Magni Karoli nuncupatur & ibidem paludamentum vestesque ponebat Regales, in eadem sacra ædicula pernoctasse primitus Roman. Reges reperio.

Aulæa tam in pauimento strata quam super sede regia, vna cum trabeis sericis & aureis quibus amictus fuerat Rex in coronationis solemnijs in ornatum Ecclesiæ relinquuntur applicanda: idipsum etiā de stragulis & exteriore pallio Reginæ, si aut cum Rege diademate cincta vel sola inaugurationis causa aduenisset, horum Regalium indumentorum summæ Ædi toties donatorum, quin & SS. Reliquiarum thesauri sacræque supellectilis merito mos iam pridem inoleuit vt per totum anni curriculum interdiu noctuque custodiatur templum compositis ad nocturnas excubias in eminentiori loco sub testudine lectisternijs: lubet hic adponere publicas tabulas ac documentum Iurium à Karolo V. eius nominis Imp. Augusto in auspicali coronationis suæ die Basilicæ & Collegio Aquensi exsolutorum.

Carolus Diuina fauente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hispaniæ, vtriusque Siciliæ & Hierusalem, &c. Rex Archidux Austriæ, &c. Debitum censemus & congruum reputamus, vt prædecessorum nostrorum Imperatorum & *Regum Diuorum in eorum primordijs laudabiles obseruationes prosequamur,* & *de illis pactis successoribus vera testimonia relinquamus. Hodie siquidem in Ecclesia nostra Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ Aquisgrani coronationis nostræ completis solennijs per honorabiles, deuotos, nobis dilectos Decanum* & *Capitulum ipsius Ecclesiæ in Canonicum recepti fuimus, ac Regali more* & *laudabili obseruata consuetudine solito præstito iuramento portionem canonicalis præbendæ quotidiana recepimus ministratione, relictis ibidem in vsum Sacrarij, ac rei Diuinæ panno cum puluinarijs supra quæ dictam Ecclesiam ingressi primum nostras Deo preculas fudimus* & *postridie panno strato supra scamnum in quo ante coronationem nostram orauimus, deinde trabea, seu clamide Regia veste, item in qua consecrati sumus, nec non duabus pallijs, seu tapetis aureis vno strato super sedem in qua sedebamus ante altare B. M. Virginis, altero quo solium nostrum Regale in alto Monasterio nuncupato existens, opertum atque ornatum fuit.*

Solutis etiam iuribus, more prælatorum eiusdem Ecclesiæ atque

propi-

ropinatis tribus carratis vini optimi quarum dua Ecclesia nostra radicta, tertia Collegio D. Adalberti eiusdem vrbis cessere & distributa fuerunt, cateraque omnia & singula effecimus qua dicti pradecessores nostri in suis primordiis apud eandem Ecclesiam facere consueuerunt harum testimonio litterarum sigilli nostri minoris à tergo impressi munimine roborataruum. Datum in ciuitate nostra Imperiali Aquisgrani die vigesima tertia mensis Octobris, Anno natiuitatis Christi millesimo quingentesimo vicesimo Regnorum nostrorum Romani secundo aliorum vero omnium quinto.

Carolus

Ad mandatum Casarea & Catholica Maiestatis proprium Bannart.

Soluit Rex iura receptionis duplicia nempe 40. solidos grossorum Turonen. siu antiquorum. Idem patet ex declaratione Episcopi Metensis & Spirensis.

Huic consimilem testificationem reliquit Ecclesiæ Fridericus Tertius Imperator anno & die fœlicis suæ coronationis; nouissimi verò Cæsares & Augusti qui Graniaquis corona redimiti non sunt nempe Maximilianus, Rudolphus, Matthias vestes Regales & iura Basilicæ debita pecunia redemêre, Maximilianus quadringentis Ioachimis daleris, vigilibus autem vrbis centum florenos Rhenenses soluit, alij plus aut minus. E quibus dilucidum fit, Reges Canonico ordini adscribi data religionis fide, quæ aut sub Ambrosiano cantico, aut post expleta sacra præstari consueuit, ex eo tempore Regia Maiestas tanquam aduocatus, protector, propugnatorque Ecclesiæ obstringitur, Canonici porro de Imperatoris censentur consilio, & quoties prægnans causa Senatum Ecclesiasticum presserit, atque euidens necessitas requisierit accersiri & inuitari poterit Imperatoria Maiestas, quando Graniaquis fuerit, ad exedram Capitulareque conclaue ad opitulandum adflictis rebus, & quia grauibus eisdemque recursantibus indies Rex exercetur curis, substituit duos presbyteros vices suas ingiter in Ecclesia subeuntes: pro Imperatoribus itidem vti Collegij memoris obsecrationes fiunt in horis Canonicis diurnis hoc modo, commemoratio Ottonis, Conrardi, Henrici Friderici; Henrici, Karoli quarti & Wenceslai filii eius Imperatorum, commemoratio Regum & Reginarum Franciæ & fratrum nostrorum ac omnium fidelium defunctorum, &c. eadem recepta consuetudo in vrbium arce Roma, quando Cæsares ibi Imperij Corona donantur vestibus Canonicis

induuntur superpelliceo & almucia recipiunturque vti fratres à Canonicis Diui Petri in Vaticano; Coronatione vero ad exitum perducta à Collegio Sancti Ioannis Lateranensis.

Quod si in Aquis Granensibus Romanorum Reges Imperii auspicia contingat non capessere, consueuere proceres Electorali culmine eminentes stylo intimare collegio Aquensi, aliunde diem Coronationi fixum cum insinuatione, vt eò è gremio sui corporis designatos ablegent, qui codicem Euangelicum cum primitiis Martyrum D. Stephani sanguine, & ense magni Principis Karoli traducant, qui item Sacramentum à Rege exigant, iura excipiant, recognitionis reuersale scriptum vocant haud vllum præiudicium Basilicæ & sedi Aquensi intendendi per coronationem alicubi constitutam sollicitè promoueant, his in templo locoque coronationis statio iuxta aram deputatur. Nunc succ se, ad ritus fori.

E templo proceditur pedestri pompa ad curiam magnificè adparatam pro festiuo epulo ad quod Cæsarea Mai. præter Principes Germanos septemuiros statusque Roman. Imperii solet admittere neminem, progressus vero fit per pontem lig eum à præ odio ad Ecclesiam protractum festa fronde vestitum & pannis qui comitatu Imperiali curiam ingresso à plebe auidè secantur ac deripiuntur.

Primo ordine promiscuè aulici se ostentant, 2. qui à Consiliis & Nobiliores, 3. æneatores ac tubicines, 4. Comites, Duces, 5. Heroidi, exinde inter Electoratus præeminentiæ proceres, primus absque Comite Treuirorum Antistes. postquem Palatinus Rheni Dux ac Marchio Brandenburgensis ille Imperiale pomum, hic sceptrum fert, ac rursum solus Elector Saxoniæ nudato gladio, subsequitur Regia Maiestas Regali prisco prætiosoque Diui Karoli Magni paludamento amicta, ac præfulgida caput cincta corona, caducum seu vmbellam subiens à primariis hominibus honori & labori sibi succedentibus portatam, inhærent Cæsaris vestigiis Archiepiscopi Moguntinus & Agrippinensium, post quos equestres alæ, Ecclesiastici varii, ac glomerato agmine equestris cuneus, è quo vnus missilia Cæsaris coronati effigie signata congiariaque auri & argenti à templo vsque ad aream curiæ dextrorsum sinistrorsum in rapidum populum spargit: porro ex iure & obseruantia inueterata Senatui seu consuli Aquensi prærogatiua competit, inserta manu prima missilia pro se suisque educendi, priusquam in promiscuum vulgus ia-

cantus; processu publico sic terminato ascenditur ad regalem curiam, in qua iam ante pictis tapetibus aureisque stragulis mensæ & sedentiæ regio fastu instratæ. Electoribus singulis discriminatim dispositæ aulæ ad vtrumque latus Cæsarianæ cum suo quæque abaco, Electorum mensæ ad pedalis altitudinis fastigium assurgunt, aulæa etiam aurea supra & à tergo passim propendent, nec minus symphoniacis aptæ stationes adsignatæ.

A capite & in medituilio areæ mensa sex gradibus eleuata pro Cæsarea Maiestate collocatur; si præsens fuerit Augusta eius, à dextris accubitus adparabitur tribus cæteris sublimior pedibus, Treuerious Pontifex Archicancellarius per Gallias à fronte Cæsaris locum obtinet: Vbiorum pro omystæ, si Graniaquis vel in prouincia sua coronatus Rex sit, dabetur consessus versus dextrum latus Imperatoris, Moguntino ad sinistrum, è contra si in cancellariatu Germanico res gesta, primæ Moguntiaco dabuntur.

Rursus dextrorsum post Archipræsulem Regi Bohemorum adornatur mensa.

Tertio loco eodem latere Comes Palatinus Rheni inséssione consequitur; 4. Oratores & Legati Magnatum, 5. Episcopi, 6. Ciuitas Aquensis, 7. Colonicnsis.

Ad læuam Imperatoriam Præsuli Moguntinorum destinatur mensa, 2. Duci Saxonico, 3. Marchioni de Brandenburg, 4. Ducibus, 5. Consulibus vrbis Franckfortensis, 6. Nurembergensis.

Hæc series sessum in coronatione Maximiliani Augusti Archiducis Austriæ celebrata in Aquisgrano anno reparatæ Salutis 1486. 5. Calend. Apr. in præsentia Frederici III. Imp. progenitoris Maximiliani.

Sanxit præterea Lex Carolina aureæ Bullæ vt si quispiam Principum Electorum personaliter non comparuerit, mensa quidem ei sternatur, at sine dapibus ac edulio, neminique vices absentis per consessum in mensa supplere fas, quantauis dignitate præfulgens Legatum absentis egerit, sed neq; vlli mensæ accumbere licitum quamdiu fuerit aliquid à Collegis Principibus peragendum.

Omnibus compositis tali ut prætactum ordine Elector, Saxoniæ hæreditarius in Imperio Marchallus habitu electorali vigore bullæ sæpe citatæ stipatus aulicis ac consiliariis suis palatium descendit, æneatoribus tibiis & tubis cuncta personantibus, equum

velox conſcendit & in ſubiectum aceruum auenæ in area fori ante ædificium ſeſſionis Imperialis vel Regiæ effuſæ citato curſu incurrit vſque ad pectus aut antilenam equi, adimplenſque menſuram argenteam auenâ, ac cylindro eiuſdem Materiæ (vtriſque ſimul duodecim argenti marcis æſtimatis) ſuperexcreſcentem demetens, miniſtrat famulo primum venienti eandem, quo facto figendo baculum in auenam ad curiam feſtinato Dux regreditur, tam menſuram quam teretem baculum Imperii Vicemarchallus Senior de Pappenheim aufert, eidem iumentum debetur, auena cedit communitati; Conſimili modo & cultu Elector Brandenburgicus hæreditarius Sacri Roman. Imp. Camerarius adlaturus aquam abluendis Regis Rom. manibus in gutturnio malluuioque argenteo duodecim itidem marcharum argenti deſcendit cum ſuo vicegerente equovectus, manutergium aliqui è Comitibus de ſiccandis manibus Regis porrigere conſueuere: poſt hunc Palatinus Rheni Archidapifer prima fercula apportans in quatuor diſcis quouis valoris trium argenti marcarum, illius tolutarium & malluuias comes de Falckenſtein Subcamerarius, huius equum & quatuor ſcutellas Vicedapifer de Nortenburg ſuis vſibus poſtea tollent: demum Rex Bohemiæ ſi adfuerit & voluerit, gradatio volans Schyphum aureum ſeu argenteum ponderis duodecim argenti marcarum vino propinando adferet, deſcendenſque iumentum, ad curiam cum patera procedet, hanc vti & equum excipiet deinde Vicepincerna liber Baro de Limburg / quæ tamen tunc ſolum vicegerentibus hiſce impertienda erunt, ſi ipſimet præſto fuerint & functiones ſuas gnauiter obiuerint.

Ad ſeſſionem & accubitum omnibus iam nunc paratis Electorum Eccleſiaſticorum aliquis iuxta normam aureæ bullæ benedictionem menſæ legit: Accubante Rege ad menſam procedent tres Archiepiſcopi, quorum medius præfert præſentatque baculum argenti duodecim marcarum, in quo Regalia, Imperialiaque ſigilla & typaria appenſa quæ cum offerenti Præſuli retradentur ab Imperatore, ea collo aptat, totoque die inde dependentia geſtat, Æneatores ac tubicines ad medium atrii ſubintrantes buccinis concrepant, quouſque Palatinus primas dapes coopertas reuerentiſſimè appoſuerit, & poſteaquam ſeptemuiri Principes muneribus ſibi incumbentibus ſolerter ac induſtriè perfuncti fuerint, accumbunt & ipſi menſæ cuiuis deſignatæ, Cæſarem circumſtant Principes Comites &c. ad miniſterium

ntenti, similiter Electoribus de familia propria Comites Barones Nobiles ministrant.

Veteri consuetudine bos integer in machina versatili eodem die torretur farctus varijs animalibus veruecibus, altilibusq; ex eo quid modicum Cæsareæ mensæ adponitur, reliquum datur promiscuæ multitudini certatim rapiendum ac tumultuariè discindendum: sub initium etiam Regalis conuiuij vina alba ac rubra intra Claustri septa vel duabus subterraneis fistulis ad eam rem comparatis, vel ex eminentiori loco publicè profunduntur eo die, panes ex alto sparguntur, Maguntinus Protomysta exinde vt electi nomen vsurpet Cæsar nomine Summi Pontificis pronuntiat: Prandio expleto gratiisque actis cuncta iterato tubis, tympanisque personant, stricto Magni Karoli gladio rursum equestri ordini cooptantur plerique à Regia Maiestate, quæ ab his dapibus redit Regia comitante caterua ad palatium suum, Regalia sigilla cum baculo argenteo de quo ante fatum regi redduntur: Postridie Regiæ Cæsareæque Maiestates epulas vespertinas opiparè instruunt Electoribus: ad extremum feuda & Regalia Principibus Imperii de integro conferuntur; inquilini & oppidani electo Cæsari fidelitatis sacramenta sanctè dicunt: solent & in dies hisce ludis & equestribus decursibus genialiter transigi, machinarum bellicarum fragore, ignibus missilibus, igniuomis pyramidibus, communis lætitia panditur: deligit quoque Cæsar opportunum tempus visendis vel è turri, vel in templi penetrali pro arbitratu suo ac venerandis SS. Diuorum Lipsanis, quæ Regia munificentia famosissimi Imperatoris Karoli Magni, Magni Occidentis syderis in Aquis habentur.

*

SACRA LIPSANA DIVIparæ domus, ad euolutum septennium, annum huic telluri iubilæum peregrinationes, æuum iactorum exteriorum vrbis mœnium.

Caput nonum.

DELEGIT hunc locum Magnus ille & sanctitate & rebus gestis Karolus Primus Germanorum Imperator, vt Regno Romanorum Reges fidelitatis Sacramento h c se obstringerent, delegit eundem vt Religio ac pietas ad omnia vtilis hic excitaretur foueretturque, hinc vti rarissima sic nobilissima atque amplissima Christianæ religionis monumenta Christi Saluatoris eiusque intemeratæ Matris ac Diuorum reuerendas Reliquias ex Oriente & vndecumque potuit conquisitas in sinum Regalis templi Capellæ huius Regiæ suæ profusissima liberalitate transfudit imbique recondidit, quin & eas statis temporibus religionis causa frequentari voluit, tam ab incolis quam peregrinis; frequentantibus modò confessionis sacramento ritè perpurgassent animum flagitauit & obtinuit Christianissimus Imperator à Leone eius nominis Tertio Rom. Pont. Max. vt spiritualium munerum gratias hoc est pœnatum temporalium pro admissis peccatis Diuinæ iustitiæ debitarum condonationem & perfectam remissionem adinstar Iubilæi concederet. E reliquiis porro quas deuotus Ecclesiæ Romanæ defensor humilisque adiutor Karolus in hanc Basilicam intulit, præcipue quatuor sunt quæ publicè è fastigio turris in septennali Iubilæo spectandæ ac venerandæ populo proponuntur.

I. Beatissimæ Mariæ Virginis vestis candida, qua induta erat quando concinentibus Angelis speciosum præ filiis hominum mundo protulit Saluatorem.

II. Fasciæ siue panni omni veneratione digni, quibus Dei filius recens homo natus à benedicta Matre sua obuolutus est de quibus Angelus ad Pastores hoc vobis signum inuenietis infantem pannis inuolutum & positum in præsepio. *Luc. 2.*

III. Lineus pannus qui Diuo Ioanni Baptistæ omnium hominum vel Christo Iudice sanctissimo cum caput à ceruicibus Herodis Antipæ Tetrarchæ Galileæ imperio ob exprobratum adulterium resec aretur, substratus est, seu ex mente aliorum, pannus cui exangue corpus B. Ioannis Bap. discipuli eius obuoluerunt.

IV. Venerabile linteum quo Sacratissimum Christi corpus ad lumbos obtectum; quando in ara crucis salutem operabatur in medio terræ, quod & salutifero ipsius cruore respersum est.

Ex hisce tria sunt tegentia in vtero, in præsepio & in cruce; in vtero camisia seu indusium; quod ex gossipio contextum ea ratione prout hodieque in Palestina visus, intuenti conspicuum fit; sunt qui censent extimam hanc ipsam verbi Matris vestem fuisse, cum ob manifestam acu prisca arte in marginibus scitissimè elaboratarum breuitatem, tum quod Epiphanius Nicephorus alijque prodiderint, vestimenta sacratissimæ Virginis simplicia & plebeia fuisse non tincti sed natiui coloris ex lino vel lana qui color omnium vilissimus, qualis est is hæc; ego in re tanta nihil certi definiam, præallegatus Nicephorus ex vetere scriptore Epiphanio scriptum reliquit intemeratam Virginem quoad staturam mediocrem longitudinem nonnihil excessisse quod ex hoc vestimento facile est colligere quinque enim pedum & dimidij est: *Niceph. li. 2. cap. 13. Ari de imit. B.M.V. ca. 3.*

In præsepio fasciæ; admirabili quadam diuina dispensatione factum vt sanctissimæ illæ fasciæ ad tantæ rei memoriam futuris temporibus asseruarentur, in earumque honorem olim nobilissima erigeretur basilica & anniuersaria dies festa à Christiano populo agerentur, prout significant Patrum encomia ea die in Ecclesia dici solita; in nostro æuo eheu videmus longe à maiorum pietate recedi atque in vilibus operimentis Christi nostri causa sumptis complures scandalizari, adeo vt id D. Bernardi in medium proferre necesse sit; *in signum positi sunt panni tui Domine Iesu sed in signum cui à multis vsque hodie contradicitur.* *Germanus S. Euthym. oratione de fasciis Do apud Lip. tom. 6. die 3. Augusti.*

In cruce lineus pannus; non sum equidem nescius alios nudum alios tectum Christum versus partes abditas dum in crucem suffixus

 alle-

asserere, verius tamen mihi cum Ecclesia Græca quæ passim veste obtectum pingere consueuit, sentiendum. S. Brigitta inducit Virginem Mariam sic loquentem; *stante filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, vnus tunc accurrens apportauit sibi velamen, quo ipse exultans intime velabat verenda sua, eadem Brigitta.* Lib. 4. reuela. cap. 70. ait, *mox iussus vestes ponit paruumque linteum verendis prætexit*: posito autem quod à Iudæis ad maiorem subsannationem denudatus omnino Christus priusquam in crucem ageretur, attamen pium est credere obsequio alicuius adstantis porrectum deinde velamen, tum quod post perditam in Adamo innocentiam natura dictet vt istas partes occultemus etiam in alijs, multo magis in nobis ipsis, tum quod Christum (in cuius voluntate erat vt pateretur) coram castissima Matre cæterisque sanctis mulieribus non sit probabile permisisse vt inuelatus in ara crucis appareret, accedit alia coniectura quod Christus in cruce erat Pontifex summus pariter & hostia.

Lib. 1 Reuela. c. 10.

Extat perelegans epigramma quatuor partibus iam memoratis inscriptum aduenis sanctissimarum Reliquiarum cultoribus dictum, quod aiunt in Capella turris, è qua in septennali Iubilæo hi thesauri commonstrantur appensum primitus fuisse, includens legem nihil quicquam de SS. Reliquijs tollendi.

Indulta terris pretia cælorum hic vides
Hic Sceptrum, & orbis tota Maiestas mei
Collecta in vnum, hæc russa sanguine est Dei
Hæc tincta syndon eade Baptistæ: Deum
Hominem illa texit: illa Matrem Virginem.
Tot sacra mente & oculo obeas licet,
Violare olympi iura mortali manu, &
Efferre sancto sancta non est fas loco.
Diuina cultorem volunt: nolunt herum,
Tegunt colentem sacra: tollentem premunt,
Nil posse: possidere Deus & ius vetat.

Sunt qui volunt Magni Karoli & Diui Imperatoris hanc Regalem legem fuisse, alij in eius nomine & persona deinceps latam: vt vt est aurea & sancta est, atque eapropter exlex reputabitur & immemor Sacerdotalis integritatis (qualis Religiosus iste quondam clandestinè

imprudente dicam, an improbo zelo, discindens fimbriam manicæ Camisiæ Deiparæ Virginis) qui inuolauerit temerario ausu in sancta.

Præter iam nunc recensita, & totidem alia quatuor pignora in Mausolæo Diui tutelaris Karoli reperta de quibus actum, hæc adhuc sacrarium Basilicæ aduentanti populo veneranda exponit Lipsana sacra.

1. Cingulum Christi Saluatoris quo vestem præcinxit è corio exsectum, ad quod faciem signumque Constantini Magni Imp. in terra candicante lemnia fortè aut sigillata prout vocant, impressum videre est.

2. Partem funis, quo sacræ Christi manus colligatæ fuêre, cum veluti innocuus agnus ad diuersos nocentissimos iudices indignis modis raptaretur, atq; ad columnā reuinctus nostri causa flagris cæderetur.

3. Extremitatem claui quo redemptor humani generis cruci affixus fuit.

4. Aliud modicum quid de viuifico crucis ligno.

5. Spongiæ portionem quam cum aceto Christo, porrectam alij ad sitim explendam alij ad sanguinis profluuium sistendum arbitrantur.

6. Cannæ siue arundinis partem quam vice sceptri Domino nostro illudens in manum dabat ingrata Iudæorum generatio.

7. Exiguam partem sudarij quo contectus vultus solis iustitiæ iam sepulturæ commissi quod diuina virtute ab incendio remansisse illæsum translatumq; ad posteros à Beda de locis sanctis c. 5. proditum.

8. Cincturam Virginis Deiparæ è lino contextam eandemque albam cuius margines extremitatesque subrubeæ.

9. Membrum seu annulum cathenæ qua princeps Apostolorum in custodia carceris strictus, eam ab Eudocia Augusta Constantinopolim perlatam, ex historicis in confessum venit.

10. S. Simeonis senis iusti & timorati exspectantis consolationem Israel Brachium quo puerulum Iesum quadraginta dies natum in emplo gratulabundus excepit, dum id canticum ouans personabat, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, &c. *Luc. 2.*

11. Diui prothomartyris Stephani sanguinem & purpuratam commixto eius sanguine glebam eiusdemque ossi.

12. Caput S. Anastasii.

13. Beatæ Catharinæ Virginis ac Martyris Alexandrinæ dentem,

oleumque quod defluxit ex eius corpore in sina Arabiæ montem ministerio Angelorum delato.

14. D. Thomæ vnius è duodecim Apostolis dentem.

15. Manna cœleste.

16. Florem seu frondem Virgæ Aaronicæ.

17. Prodomi Domini, S Ioannis, Diuique Bartholomæi capillos.

18. Sacerdotis Zachariæ patris Ioannis Baptistæ os.

19. SS. Fœlicis Episcopi ac Martyris, Marinæ ac Christinæ Virginum itemque SS. Marcellini, Victorini, Gertrudis, Luciæ, Cyriaci aliorumque cœlitum officula.

Conquiescit itidem in Basilica Aquensi corpus Diui Leopardi, de quo Molanus xxx. sept. ex lectionibus Ecclesiæ Aquensis ita habet: *Aquisgrani festiuitas Sancti Leopardi Martyris, hic vnicus patris sui filius magnæ inter* Romanos *nobilitatis, à Iuliano desertore in palatium est vocatus, cuius cum esset cubicularius multum dilectus potuit etiam studijs sese impendere, vnde iuxta pontem Miluium Scolasticus fuit Valentini, qui cum summi Sacerdotij honore fungeretur, plus laborauit discipulum imbuere diuina sapientia, quam humana, admonens eum vt baptismatis vnda & sacra vnctione recrearetur, baptizatus est autem à Magistro in Palatino fonte intra thermas Diocletiani, nec multo post cum ipsi Iuliano diuinos honores poscenti thymiama offerre recusaret, carnificibus est traditus, vt eum verberibus à crudelitate reuocarent, sed cum verbera constanti animo perferret, Iuliani decreto extra ciuitatis muros est decollatus; Valentinus autem athletam Christi pridie Calendas Octobris cæsum vltra triginta milliaria vtricolam deportauit, non enim cum* Roma *sepelire audebat, postea vero translatus est Aquisgranum vbi vsque hodie pia eius intercessio quæritur & miraculis tam gloriosi martyris per fidelium voces laus Christo recitatur.* Valentinum æstimat Molanus esse, Intemeramnensem Episcopum cuius temporis in gestis suis non exprimitur sed ex iis constat Romæ eum habuisse multitudinem Scholasticorum.

14. Febr. apud Surium.

Ad hæc quieuit Aquisgrani S. Speus quem confessorem ab Henrico Rege ex Aquisgrano acceptum & in Hartesburg translatum esse scribit in Hirsfeldensi Chronico Lābertus Schafnab rgēsis an. 1062.

Molan. ex chron. Hirsfeldensi.

sed

Sed addit idem anno ſeptuageſimoquarto cum præſidiarii in Caſtello Hartesburg circumiacentis regionis opulentiſſimas villas direptione, & aliis ſceleribus vehementer offenderent, vulgum Saxoniæ facto grege, in Hartesburg irruiſſe, ipſumque funditus deleuiſſe. Reliquias vero ſanctorum Abbatem ex vicino cœnobio opportune ſuperuenientem vulgo eripuiſſe, & ad ſuum Monaſterium cum honore tranſuexiſſe: Cyriacus Spangenbergius ita refert, anno Chriſti M. L X X I I. *Henricus I V. traiecto Aquas Graneas inde Treuerim profectus vtrobique ſanctorum Reliquias collegit, quas in Saxoniam Hercynoburgum tranſtulit.*

Ex quibus propalam fit non omnia ſacra munera, quæ inclytus Imperator Karolus Hieroſolyma Conſtantinopoli aliiſque è regnis habuit ac in Aquis depoſuit inibi remanſiſſe, ſiquidem pleraque eorum per ſuccedaneos Reges ſeu Imperatores aliis Eccleſiis diſpartita; portione ſpineæ Chriſti coronæ gauiſa hæc baſilica, vti ad pedem lipſanothecæ argenteæ peramplæ, quam turriculam vulgo vocant, opere priſco per encauſticen aduſtum ac expreſſum legimus, verum eam ad vrbis Parrhiſiacæ Eccleſiam diuo Dionyſio ſacram per Carolum Secundum translatam multorum eſt opinio, inſuper Auguſtæ memoriæ M. Carolus Imperialem Abbatiam ſub Regula D. Benedicti pro honore D. O. M. & in tutelam B. Cornelij mille paſſibus Graniaquis diſſitam verſus meridiem conſtruere auſpicatus eſt, quam Ludouicus Pius pij Imperatoris Karoli filius conſummauit, ac Lipſana Sacra, quibus monaſterium potitur Aquiſgrano iſthuc traduxit: potitur autem Chriſti Saluatoris linteo, de quo *Ioh. 13. Cœna facta, hoc eſt, agni, ſurgit, ponit veſtimenta ſua & cum accepiſſet linteum præcinxit ſe, deinde mittit aquam in peluim & cœpit lauare pedes diſcipulorum.*

2. Syndone munda, Sacro inuolucro cui Ioſeph inuoluit corpus Domini.

3. Sudario ſeu eius parte quod fuerat ſuper caput Chriſti mediatoris in ſepulchro, non cum linteaminibus poſito, ſed ſeparato: gaudet itidem prænominatum cœnobium S. Cornelij capite, capitis D. Cypriani craneo, atque ab iſto hodie viſitatius Cornelianum, quod olim Monaſterium ad Indam compellatum ob riuulum eius nominis transfluentem. Olim Endam.

Sed ex quibus partibus tot tamque præclara Diuorum Lipſana pius Imperator acceperit, lubet paulo altius expendere, atque im-

primus à limine & aditu huius indagationis mihi arcendus vanus cē-textor somniorum & fabularum Turpinus, qui se Remorum Episcopum venditat, vel quisquis est sub ementito Præsulis Remensis nomine euulgatus author. Illaqueatur enim turpis nugator verbis ori; sui, prout prẹter alios accurate obseruauit Leonardus Priccardus Canonicus quondam huius Basilicæ, cuius lucubrationes in hanc rem dolendum non integras extare, sed fragmēta duntaxat. E tribus potissimū aiunt verioris notæ historici locis deuenisse ea ad manus Karoli, à Patriarcha Ierosolymorum Ioanne; Ab Aaron rege Persarum & Constantinopoli ab Imperatoribus Græcorum; erat in Karolo pacis & otij summa omnisq; tutela gētium sita, atq; eam sibi famam per vniuersum orbem comparauerat, vt vndiq; ad eum legationes conuenirent, amicitiamq; publice ac priuatim peterent, quocirca nil mirum si vndequaque omnis generis donaria ad ipsum peruenerint, eius præsertim generis, quo ipsum præcipue affici scitum erat: De Patriarcha in anno DCCXCIX. in hæc verba annales Francorum: *Sed & Monachus quidam de Hierosolymis veniens benedictionem & Reliquias de loco resurrectionis Dominica, qua Patriarcha Regi miserat, detulit, & Rex natalem Domini in eodem palatio (: Aquisgrani:) residens celebrauit, & Monachum reuerti volentem, absoluens: Zachariam quendam presbyterum de Palatio suo cum eodem ire iussit, cui & donaria sua ad illa veneranda loca deferenda commisit.* Hæc ibi: Ado Viennensis benedictionem Reliquiarum Karolum suscepisse testatur. Blondus tradit Karolum Aquisgrani audisse legatos exterarum nationum ac primum omnium magna comitate excepisse Monachum, qui Hierosolymis parua Patriarchæ munera attulerat, quæ quidem non speciatim adponit, in benedictionem tamen missa innuit. Per donaria de quibus Einardus Archicapellanus quōdam Karoli, intelligendę sunt eleemosynæ potissimum; cū etenim istis perditissimis temporibus sub iugo Sarracenorum gemerent Christiani Hierosolymis, in Karolum velut vnicum Christianæ religionis decus omnium oculi erant cōuersi, vnde ipse pro restauratione Ecclesiarum Hierosolymorum, collectam more maiorū indixerat, de qua titulus in eius capitularibus, his verbis inscribitur, *de eleemosyna mittenda in Hierusalem propter Ecclesias Dei restaurandas proximo natali Domini.* Porro insequenti anno DCCC. eodem die quo Leo Papa Tertius in pręsentia Karoli Magni coram populo ambone con-

Philippus de Bergomate. Iacobus de Voragine, & alii.

Ado Viennensis de 6. mundi ætatibus. Blondus decadis 2. lib. 1.

Capitul li. 4. in append. c. 31.

scen-

ſcenſo de obiectis ſibi criminibus iureiurando ſuper ſanctum Euangeliũ in eccleſia B.Petri Apoſtoli inuocato ſanctæ Trinitatis nomine ſe purgauerat, Zacharias domeſticus ſacerdos Karoli, quem ipſe Rex ſuperiori anno Hieroſolymas miſerat cũ eleemoſynis bene pfuncto legationis munere cum duob. Monachis, vno de mõte olìueti, altero de Sabæ Monaſterio de oriente reuerſus, Romam venit, quos Ioannes Patriarcha cũ eo ad regem Karolũ miſit, qui benedictionis gratia claues ſepulchri Dominici ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis & montis olìueti, cum vexillis vrbis detulerunt, quos Rex benigne ſuſceptos per aliquot dies ſecum detinuit & Aprili menſe ſequentis anni redire volentes remuneratos abſoluit; claues ſepulchri Dominici, caluarij montiſq; olìueti, munera religioſa magis ac pia quam magnifica fuiſſe, & religionis gratia miſſa, hoc eſt, reliquias vel earum thecas Recte Paulus Æmilius in geſtis Francorum, li. 3. notauit: per tranſmiſſas claues vrbis & eiuſdem vexilla crediderim ſignificatum recognoſcere Patriarcham Karolum eccleſiæ Hieroſolymitanæ defenſorem: conſimilibus muneribus Leo Papa Tertius Karolum honorauit, ad quem ann. ſalutis DCC XCVI. claues aureas ex S.Petri confeſſione acceptas, nec nõ vexillum Romanæ vrbis per legatos miſit.

Quod Aaron rex Perſarum dono dederit Karolo locum venerandi ſepulchri Chriſti Domini, ſimulque alia dona ſcriptum reliquit ſæpe citatus Eginhardus; *Cum Aaron*, inquit, *rege Perſarum, talem habuit, Karolus in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium, qui in toto terrarum orbe erant Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ac proinde cum Legati eius quos cum donariis ad Sacratiſſimum Domini ac Saluatoris noſtri ſepulchrum locumque reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & ei Domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolum, quæ petebantur fieri permiſit, ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem locum, vt illius poteſtati aſſcriberetur conceſſit & reuertentibus Legatis ſuos adiungens inter veſtes & aromata, & cæteras orientalium terrarum opes ingentia illi dona tranſmiſit, cum ei paucos ante annos eum quem tunc ſolum habebat mitteret elephantem.* Ex quibus patet errare eos, qui dicunt Carolum armis recuperaſſe Hieruſalem, ſepulchrum Chriſti, ac claues eius accepiſſe, cum non niſi donatione Regis Sarracenorum id eueniſſe conſtet: Rurſus cum magnifica illa legatione Regis Perſarum facta, anno DCCC VI. ad Karolum in Aquenſi palatio morantem, de qua c. 3. cumulatius me- Card Baron.

minimus, cum horologio nempe miri operis, papilione, tentoriis, &c. transmissas pariter Sanctorum Reliquias testatur Ado, Antoninus, & alij videlicet corpora Diuorum Cypriani Martyris Episcopi Carthaginensis, Beatorum Scillitanorum Martyrum, Sperati sociorumque & caput S. Pantaleonis Martyris.

Ado Vien. de 6. mundi ætatib. Item Ado in Martyrolog. 14. Sept. Sigibertus an. DCCCII.

Quòd Constantinopoli Reliquias Diuus Karolus Imp. habuerit, confitetur ipsemet in pragmatica sua sanctione. *Pignora*, inquit, *Apostolorum, Martyrum & confessorum, virginum à diuersis terris & regnis, & præcipue Græcorum collegi, quæ huic sancto intuli loco*: conspicuum quoq; ac exploratum fit ex côditorio argenteo in quadrangulum formato, in quo caput Diui Anastasij repositum, in eodem per singulas quadraturas legere est has epigraphes priscis græcanicis apicib. cœlatas, indices haud dubias venerandum caput vna cum eodem repositorio ex transmarinis partibus Aquas delata:

Κύριε βοήθε τῷ σύνδȣλῳ δȣ́λῳ εὐσεβεστάτῳ αὐθυπάτῳ
Ναίρὴν καὶ στρατηγῷ Αντιοχίας, καὶ Λικαιδȣ̃.
Domine auxiliare conseruo vel tuo seruo constanti,
Proconsuli N. & præfecto militiæ Antiochiæ, & Licadi.
Δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σȣ̃ ἡ πόλις τȣ̃ θεȣ̃ ἡμῶν,
Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei (nostri)
Ανάστηθι κύριε εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σȣ σὺ
καὶ ἡ κιβωτὸς ἁγιάσματός σȣ.
Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ,
Εξελέξατο κύριος τὴν Σιών,
ᾑρετίσατο αὐτὴν εἰς κατοικίαν ἑαυτῷ:
Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.

Psalm. 86

Psal. 131.

Psal. 131.

Vlterius anxium hærentem qualiter excolendæ Reliquiæ Diuorum Constantinopolim deuenerint? instruet Nicephorus & Glycas, qui literarum monumentis consignatum reliquerunt, Pulcheriam Augustam filiam Arcadij Imp. vxorem Marciani, sororem boni Theodosij virtuosam heroinam, conquisitis vndequaque Reliquijs, quæ ad Matrem Dei pertinerent, tria ei templa Constantinopoli erexisse. Primum in chalcoprateio siue fabrorum foro, in quo veluti thesaurum Dei genitricis deposuit zonam seu cingulum, cuius depositionis festum celebre fuit ciuibus Constantinopolitanis, secundum τῶν ὁδηγῶν, hoc est, viæ ducum dictum,

Niceph. li. 5. c. 14. & 24. & lib. 7. c. 28. Glycas 3. parte annalium. Vsuardus Metaphrastes Molanus, &c.

vbi Antiochia missam verbi Matris imaginem dedicauit, quam Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, in quo itidem templo Seruatoris ipsius fascias, perinde atque thesaurum quem Eudocia Augusta cum Hierosolyma profecta est miserat, seruandas curauit; in tertium incomparabili pulchritudine & miro splendore lapillis aureis vtroque pariete, arte summa exornatum, in quibus Christi natiuitas eiusque miracula picta erant, cui templo Blachernæ cognomen erat, venerandum Dei Genitricis tabernaculum, sacrosanctum eiusdem intulit tumulum, & fascias sepulchrales seu sudarium funebre, quo Deifera virgo moriens inuoluta fuit, habitum à Iuuenale Hierosolymorum Archipræsule; idem Nicephorus lib. 15. c. 24. memorat venerandam & incorruptam immaculatæ Matris vestem quam moriens mulieri Hebreæ Virgini reliquerat, à Candido & Galbio fratribus Hierosolyma Constantinopolim perlatam, atque Leonem eam in suburbana regione cui Blachernæ nomen erat in templo rotundo collocasse, veluti inuictum perpetuumque vrbis præsidium, quæ varios repellit morbos & miraculis, quæ in ea fiunt naturam & vim téporis superat, qua veste hic Imperator Ecclesiæ incolis & vrbi Constantinopolitanæ occasionem dedit festo depositionis vestium Virginis Mariæ Blachernis in suburbijs Constantinopolitanis, de quo Zonaras tom. 3. p. 43. & Vsuardus in Mart.

Admirandam Dei prouidentiam, qua opulentia est Christianorum hoc loco vnicuique considerandam relinquimus, ex qua factum vt cum deinceps in Orthodoxam fidem Imperatores Constantinopolitani furere inciperent, quorum plerique Iconoclastæ & sacrilegi, alij Theomachi & hagiomachi, adeo vt sacras reliquias dispergerent marinisque fluctibus absorbendas iactarent, atque ita prauideret mens illa Diuina Turcarum in Græciam irruptionem ac pernitiosam tyrannidem, ne sanctum daretur canibus & Margarita spargerentur ante porcos, sacresancta pignora hæc aliaque SS. Apostolorum & Ecclesiæ Doctorum corpora & thesauri inæstimabiles reliquiarum ex oriente ad occidentis Imperium deferrentur; non in manus eorum qui nesciunt Sacramenta Dei, neque mercedem sperant iustitiæ, nec iudicant honorem animarum sanctarum, aut illorum qui nullo gradu sanguinis fratris sororisue contingunt Germanam Matrem Ecclesiam, Nota, hæc sunt verba Auctoris Matt. 7. 6. Sap. 2. Matth. 12.

in illus siquidem nullus affectus est erga paternam fraternamue vestem aut annulum: verba sunt Augustini: sed ad manus Diuini Karoli F ancorum Regis inclyti, vnici afflictæ Ecclesiæ ea tempestate præsidij, iubilantis in sacris illis exuuijs; cum qua translatione sacrorum munerum omnis penè benedictio ab oriente ad occiduum Imperium dimanauit digressaque est. Ex eadem prouidentia Dei procedit (licet à sectarijs diffidentibus forsan de omnipotentia Dei) non credatur, quod per tot ætates integra & incorrupta eiuscemod Lipsana seruata fuerint ac seruentur, nunquid conseruauit Deus vestes & calceos filiorum Israel per quadraginta annos in deserto? nunquid conseruatum est manna in memoriam tam admirandi cibi, & non putrescebat? quando Moysi mandatum vt gomor ex eo impleret, ad custodiendum in futuras retro generationes, vt nossent filij Israel panem quo Deus eos aluit in solitudine, cum educti sunt de terra Ægypti: an non Diuina ope cõseruata carmina Sybillarum gentilium post tot Capitolij clades & incendia, pœnasq; etiam mortis in legentes eorum libros, quod de Christo Vaticinarentur constitutas? Titus & Vespasianus deuictis Hierosolymis in triumphum duxêre romæ arcam fęderis aliaq; templi spolia, aureum candelâbrum, septem habens ramos in quibus erant septem lucernæ, duas tabellas legis Mosaiçæ, vasa templi, mensem auream, &c. si igitur diuinum numen eà custodiuit illæsa cum tamẽ persæpe Hierosolyma depopulata fuerit, quãto magis instrumenta ac memorias passionis & gloriosi sepulchri filij sui, qui est splendor gloriæ & figura substantiæ suæ, integra posteritati consecrare placuit, tamquam quædam trophæa victoriæ? & ob Christum ossa ac exuuias Sanctorum? hoc magis demirãdum Deum per Persas & Turcas, & infideles magna diligentia aliqua sacra pignora asseruasse, quoad ad veram Ecclesiam deuenirent, adeo vt inimici nostri hac in re sint custodes & iudices; vere igitur Psaltes Regius applaudendo cecinit: *custodiuit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur;* verissimè idem de reprobis, *vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum,* & in Ps. 52. *quoniam dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Dominus spreuit eos.*

Exod. 16.

Psal. 33.

Dixi, benedictionem per sacras reliquias ex oriente ad has oras defluxisse, quod luce meridiana clarius perspexit retroacta ætas quam

nostra, siquidem prisci tam chronographi quam Patres persæpe dum sacrorum munerum aut translationis Reliquiarum meminerunt hac verborum phrasi vsi sunt, benedictio & Reliquiæ vel benedictio Reliquiarum delata est; ita ann. Franc. Ado Vienn. S. Gregor. in epist 23. lib. 6. ad Theotistum & Andream & alij: nempe experientia didicerant veteres in sanctorum virorum benedictione, quorum sacræ exuuiæ in aliqua vrbe reconditæ, plus momenti positum quam in turrib. & propugnaculis ciuitatum, quod etiamnum obtinet, tametsi malitia aut hæresis crebro obnubilet intellectũ, neq; tribuamus Deo quæ sunt Dei ac Diuis quæ Diuorum sunt; Sigibertus refert Fulradum Abbatem S. Dionysii Parisiensis corpus Diui Viti Martyris à Roma Parisios transtulisse & anno gratiæ 835. asseuerat eiusdem Martyris corpus Parisiis ad Corbeiam Saxoniæ translatum, proinde ipsos Francos testatos, quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones transierit: Gennadius litterarum monumentis consignatum reliquit, quamdiu Nisibi apud Tigrim S. Iacobi eius ciuitatis Episcopi venerandũ corpus requiesceret ab omni Persarum aggressione tanquam firmissimo roborata munimẽto perseuerauit vrbs incolumis, hoc autem amoto præsidio per Iulianum apostatam in manus hostium incidit: Magnus ille Constantinus acceptam sanctissimæ crucis ab Helena matre inuentæ partem statuæ suæ inclusit super porphyretica columna collocatæ in foro Constantinopolitano, fide secum reputans vrbem eam saluam & incolumem seruatum iri in qua tam sacrum conseruaretur donarium; quinimmo de ligno S. Crucis aliquid saltem festucę simile habere benedictio est; ipse Theologus sentit, corpora sanctorum idẽ posse quod animas in cęlo beatas siue manibus cõtrectentur siue honorentur; quorum (inquit) vel solæ sanguinis guttæ atq; exigua passionis signa idem possunt quod integra corpora, adeo vt idem Martyr in quolibet corporis sui puluere integer perseueret, consentiunt Greg. Nyssen. & Ioannes Damascenus quorum ille scribit pro munere puluerem accipi; hic attactu sanctificationem hauriri, ex qua sanctificatione & benedictione sæpe vsu venit vt pietas fidelium fiteaur, se integra SS. corpora possidere cum partem dumtaxat possideant, quoniam in operatione virtutum integra perfectaque possident; hæc est gemina causa cur celeberrimæ quæque Vrbes regna ac principatus operam sedulam dederint vt Diui alicuius corpus aut minutias eius certè consequerentur, quo tali adiumento

Sigib. in chro an. 755.

Gennad. de Script. Eccle. c. 1. in Iacobo.

Nicephl. li. 8. c. 28. Socrates.

S. Paulinus Epist. 11. Grego. Nazianz. inuectiua oratione in Iulianũ. Intellige, q assumantur diuina manu tanquam instrumenta ad miracula. Grego. Nyss. oratione in Theod. martyr. Ioa. Damasc. in hist. de Barlaem.

rempublicam suam confirmarent ac stabilirent: æquissimo igitur iure de Graniaquis verificate ac pronunciare licebit, illud 4 Reg. 20. *Protegam vrbem istam propter me & propter Dauid seruum meum*, hoc est propter Diuos & tutelarium Reliquias, quæ inibi conquiescunt, vallorum præsidio destitutæ sunt Aquæ, ipsi turres erunt & propugnacula, fremant hostes earum, moliantur excidium vastitatem aut desolationem, defodiant cuniculos errorum, incasso labore conficiuntur, benedictio diuini numinis ob sacra pignora manebit in æternum, petræ istæ super quibus Basilica & Vrbs Aquensis fundata conquassationem ac fluctus admittit, subuersionem non reformidat.

Posteaquam præpotentissimus Imperator Karolus memotata Diuorum Lipsana hinc inde conquisita in Regalem Capellam Aquensem transfudisset, atque ita locum hunc præ cæteris honorasset, legem edixit statuens vt quouis relabente anno quarta feria ieiunii quatuor temporum mense Iunio post almi spiritus festam lucem populo fideli ea spectanda ac veneranda proponerentur, quo per SS. interuentiones remissam peccaminum suorum consequeretur, hinc forsan ruricolæ è vicis Brünßfeldt/ & aliis confinibus sub tractu Prumiensi, in hoc vsque æuum obseruantes, priscæ peregrinandi consuetudinis ab antecessoribus eis traditæ, quotannis altera Pentecostes versus Graniaquas se conferunt cum crucum insigniis vexillisque sacris, in hymnis & iubilo Basilicam supplicatum insequente die intrant, quibus se iungere consueuerant accolæ Aquensis vrbis, Monasterii D. Cornelii ad Indam municipales, harenses, ratenses cæterique collimitanei populares, in quibus non multos ante annos is feruor demum obtorpuit, perseuerauit antiquatus iste mos quotannis commonstrandi Sacras Reliquias vsque ad tempus, quo panditum ab Aquilone omne malum nempe, quo Nortmannis ex oris suis egressis in Frisia Germania ac Gallia cuncta depopulati sunt, quâ sacra quâ prophana, tum etiam Aquisgranum cladem passum, quin & palatium Regale, quod Mag. Karolus exstruxerat, picturis septem liberales artes diuersasque bellicas congressiones referentibus, flammis absumptum est, integra remanente Capella Regiæ adsita, tale igitur tantumque excidium vt sustinuere Aquæ Graneæ, cessauit plurimis annis excolendarum Reliquiarum, ostensio, quæ abditis locis clerus ingesserat, loquetur hac de re Sigibertus clarius.

ex M.S Basil. insinuat idipsum Molanus.

Anno

Anno Domini, inquit, *882. God-fridus & Sigefridius, Reges Nortmannorum cum inæstimabili multitudine iuxta Mosam in loco* Haslon *consedentes Leodium*, Traiectum, Tungros, *Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adiacentibus castellis comburunt, Aquis in Palatio equos *stabulantes, oppidum & palatium incendunt*, *præterea Monasterium stabulaus Malmundarium, Indam * Prumiam. Sacri ordines in vtroque sexu ministri vbi poterant oportunius latebant; sanctorum corpora & pignora locis tutioribus abscondebant:* consentit Crantzius, *Aquisgrani*, ait, *palatium Magni Karoli iumentis suis stabulum sternunt Nortmanni & in ea vastitate locus permansit vsque ad ætatem Magni Ottonis:*

* stabulātur.

* Pruniam.

Regino & alij addunt vsū Tulpiacum Iul-acum, Nouesium. Crantz. in Metrop. li. 2. c. 10.

Imperio deinde Romano translato ad Allemannos Principes & quidem primum ad Ottones Saxonum Duces, expendentes ipsi altius ruinam loci inunctionis ac coronationis Regum Rom. iussioni etiam primi fundatoris Karoli obsequi volentes, quo desiderat, vt caput omnium ciuitatum & prouinciarum Galliæ pro murali præsidio contra omnes turbines, Episcopi, Duces, Marchiones, &c. tueantur, semper hunc locum venerantes & honorantes, Regalem Sedem & Vrbem Aquensem pristino flori ac nitori magno studio restituere sunt aggressi, partim eam restaurando ac ampliando, partim Ecclesias nouas excitando & veteres prouentionibus ditando; & vero Ottonis eius nominis primi animum & affectum erga Aquisgranum tum maximè incaluisse crediderim, quando Anno Imperii sui XXVIII. Pentecosten Aquisgrani celebrauit, concurrentibus eò è Francia sororibus eius Regina videlicet Francorum Gerberga matre Lotharii Regis & Caroli Ducis, & Hauuide Vxore Hugonis Parisiorum Comitis, quorum filius fuit Hugo, qui postea regnauit in Francia, vbi omnis illa Regalis prosapia tanto adinuicem congratulationis iubilo est affecta, vt in omni vita eorum vix aliquid gaudii huic potuerit æquiparari: donauit Otto Magnus anno 941. indictione XIV. fratribus in Aquisgrani Palatio Deo dignè famulantibus iure perhenni in proprium Ecclesiam vnam quæ est in villa Diura vel thuira cum omnibus ad eam pertinentibus. Idem Imperator an. Dominicæ incarnationis 996. Indictione IX. pro statu Regni sui, pro incolumitate sua, dilectæque coniugis Imperatricis Augustæ dilectique filii sui Ottonis

In Diplomate priuilegiario.

Sigibertus. Antoninus. Frodoardus & alii.

nunc Dura seu Marcodurum.

Regis ad Capellam quam Diuæ memoriæ Karolus Imperator Aug. ob culmen & fastigium sui Imperij in honorem Saluatoris Domini nostri Iesu Christi eiusque Genitricis Sanctæ Mariæ in palatio Aquisgrani construxerat, dat curtem Galmina quæ Rudolphi fuerat & ob eius infidelitatem quam in Imperium exercuerat, Imperio diiudicatam, sitam in pago Haspengewe, &c. quam postmodum fideli Comiti Immoni iure concambij possidendam condonauit, è contra vero Comes eidem capellæ & vsui fratrum ex sua proprietate contulit quicquid in pagis & locis subtus nominatis aliquo iure possideret, in pago Luihgonni, in comitatu Richarij, furon, curcella, in pago Mulchkewe/ in comitatu Eremfredi/ Herklenze/ Hostig/ Berge/ Ricolferot/ Wazzerlar/ in pago Anulgow/ in comitatu Eberhardi, Elberge/ Rameres/ Dole/ Dullendorf/ Breitenbach/ Zeizendorf/ &c. porrò oppidum Erklentia iam dictum cum omni iurisdictione tamquam purum allodium, ad Basilicam Aquensem abinde spectauit, quamquam nostro æuo ob vim ac tempestatem bellicam Dux Brabantiæ id iure tutelæ & patrocinii possideat.

Otto II. Imperator Gregorio filio Nicephori, Bizantini Imperatoris affini suo obtulit construendum cœnobium Monachorum extra Aquisgranum Porzeti in honorem Diui Nicolai atque ita Gregorius factus eius loci primus abbas, vitæ sanctitate clarus. Otto III. anno Millesimo indictione tertia decima elargitur Cardinalibus Canonicis & cunctis fratribus Sacrosanctæ Ecclesiæ Aquisgranensis quasdam iuris sui curtes Tiele/ & Herenstein/ item locum proprietatis suæ nuncupatum Trotmannun in pago Westphalon/ inauxit etiam numerum præbendarum principis ædis, insuper vrbem Regalem Aquensem in Metropolim euexit; etenim post constitutionem latam vt penes Germanos septemuiros eligendi Imperatorem deinceps potestas foret, summaque Maiestas perseueraret, quo solidius Imperium Germanicum firmaretur per quaternas columnas diuersorum statuum præeminentiæ ac dignitatum idipsum ei fulcire placuit, quatuor Ducum quatuor Marchionum, totidem Landtgrauiorum, Burgrauiorum, Comitum, Baronum, equitū, &c. quaternis pariter columnis, vrbium, vicorum, &c. latera Imperii munire voluit, abinde Augusta Vindelicorum, Metis, Aquisgranum, Lubeca Imperiales vrbes in Metropolitanas, cæterorū capita ac veluti Matres sublimatæ remansêre, vt essent totius Imperii firmi cardines; quam sa-

cram

eram Prudentissimi Imperatoris sanctionem, si quispiam conuellere adnitatur ac depressis hisce vrbibus alias magis exaltare totum Imperii statum labefactare, sursum deorsum cuncta immutare, vniuersa discrimina, gradus S.R. Imperii vti nunc est pessundare is satagit, omnis quippe eiusce modi varietas & decor prius quidem sub Henrico Aucupe exordium sumpsit, sub Ottonibus vero lege firmata; quin immo symbola quæ signa & insignia dicimus nobilitatis, militaris, virtutis & bellicæ fortitudinis indicia, vt nunc vsus incessit circumscribendi, ita vt areæ clypeorum imagine aliqua conspicuæ sint, scuto incumbat auro picturata cassis aut galeo aperto hiatu fenestrata vtrimque vel ex vno latere, par erga expandantur, plumeæ scilicet cristæ aquilinarum alarum pennarumque decora, hisque rursus cicuratum aut vt plurimum rapax aliquod animal inhæreat, &c. hæc inquam circumscripta ornamenta æuum Ottonum haud præuertunt, tametsi apud priscos adumbrata fuerint; cæteroqui causa mouens Germanicum Ottonem vt honoris prærogatiua prælibatas quatuor vrbes insigniret non alia fuisse videtur, quam vt Imperii hostes Augusta Pannonici, Meti Galli, Aquisgrano inferiores belgæ, Lubeca Gotti & Vandali eo facilius arcerentur, muniendo etenim quatuor Imperii latera toti Imperio quam rectissimè consuluit: memoratus Otto è tenebris eruit ossa Magni Karoli, fundamenta etiam iecit Ecclesiæ Diui Adalberti in Aquis, quam euectus ad Imperium Henricus Secundus Dux Boiariæ perfecit collegiumque Canonicæ institutionis, inibi fundauit; idem Diuæ memoriæ Imperator Ecclesiam in colle * Sancti Saluatoris iuxta Aquisgranum versus Aquilonem exædificauit constitutis Sacratis Deo Virginibus, quibus sub annum Deiferæ Virginis M C C X X. (quando Monachi Porzetani instituti Diui Benedicti haud satis laudabiliter vitam traducebant) coram Engelbert Coloniensi præsule, cuius diœcesi subsunt, per id tempus Frederici Secundi Imperatoris in Imperio Vicario deplorantibus quod ob hybernas algoris ventorum cœlique iniurias rem diuinam isto in monte difficulter operari possent, Antistes annuit vt cœnobium Porzetani municipii incolerent, dispersis ac relegatis eius loci monachis ad claustrum Vallis Dei, roborante sede Apostolica ac Frederico Secundo Imperatore mense Martio anni memorati eam translationem cunctasque prædecessorum regum

Ex oratione ad Germani Proceres & liberas ciui Imperii scripta an 1553.

* S. Sylueſt.

Cæsarumque largitiones; delapsis aliquot annis Henricus IV. Imperator Ecclesiam S. Saluatoris cum omnibus appertinentijs Basilicæ Aquensi gratiosè concessit: rursum post interuallum temporis Fredericus primus Dux Sueuiæ cognomento Barbarossa, ad apicem Imperii sublimatur qui gloriosum regimen bellicasque virtutes Diui Karoli antecessoris sui excelso animo zelans eiusque vestigia per omnia insectari satagens ardentissimo etiam affectu in regiam Karoli sedem auitamque Metropolim Aquisgranum tractus, accitis hoc in loco compluribus prælatis principibusque viris circa natalitia Domini Anno gratiæ MCLXVI. 4. Cal. Ian. de consensione Romani Pontificis extulit è terris corpus Magni Karoli ac inter Diuos referri, festumque faustum ac celebre in memoriam diei natalis, qui & decessus ac eleuationis agi flagitauit, deinde idem hic gloriosus Imperator crescente frequentia populi in suburbanis Aquensibus præsertim textorum & iis suborna torum, hoc est qui lanam carminarent vel fullonicam aliasue operas exercerent, exteriorem murorum loricam cum portis atque turribus Anno MCLXXII construi præcepit, firmaruntque iureiurando Graniaquenses Imperatori se quatuor annorum decursu corona murorum vrbem circumdaturos, munitus insuper mons Berinstein/primum quoque ius cudendæ monetæ attributum vrbi Aquensi à Primo Frederico; qui tantus fuit Senatus Ecclesiastici in Aquis propugnator, vt anno à parta salute humani generis MCLXIII. domicilia eorum militum Aquisgrani funditus demoliri ac euerti mandârit, qui Canonicos Sanctæ Mariæ Amelium & Lambertum Curtum læsissent.

ex M.S. Ecclesiæ Aquensis.

ex eod. M S.

Ex quibus omnibus liquidò innotescit quam insigniter ac nobiliter post Ottones succedanei Imperatores restaurârint denuo atque ditârint sedem Regalem Aquisgranensem Basilicam ac vrbem, & quidem iam tum sub Ottonibus opitulante Deo Augustissimaque cœli Regina requisitus ac repertus fuit incomparabilis recolendarum Reliquiarum thesaurus, & verò salubri consilio restitutus eo tempore fuit ad honorem Optimi Maximi Dei & religionis Catholicæ augmentum adparatus sacra Lipsana fidelibus commonstrandi, statumque tempus numeri septenarii perfectionis vniuersitatisque plenitudinem in se continentis ad exemplum Moysis Primi Legislatoris Hebræorum qui ex Dei oraculo non sine mysticis rationibus ordinauit annum Iubilæum ex septem hebdomadibus annorum perfectionis.

sic hoc loco, puta vt de septennio in septennium reuolutis septem annis in septimo mense Iulio, decima die mensis, die septem Fratrum natali inchoando per bis septem dies, dies profectò candido signandos lapillo è fastigio turris Basilicæ populo & peregrinis aduentantibus cum magna religione exponenda spectanda ac veneranda proponerentur, extra hoc autem septennii tempus nulli nisi aut Diuis Imperatoribus aut Principibus Vrbis Regalis Aquensis conseruatoribus vel certè proceribus in eminenti culmine honorum constitutis: Ac potiori quidem iure Ecclesia Aquensis Sabbathum requietionis in quo peculiari modo vacarent fideles diuinis instituit, siquidem Iudæis corporum assertio curæ erat, serui in libertatem vindicabantur, debitores à creditoribus laxabantur, ob idque annum Iubilæi septennalem celebrem faciebant, quanto magis nobis Summi iubili loco erit hic annus, quo animorum libertas per opera pœnitentiæ quæritur, enimuerò verè liberi sunt qui à peccatorum noxa expiantur, hinc annus expiationis & propitiationis, non immeritò dicetur: Leuit. 25.

Ritus commonstrandi sacra pignora tales sunt, post euolutum septennii tempus seræ conditorii & feretri sacri thesauri ferro vinctæ reserantur; olim sacer clerus nullo præscio id factitabat, nunc autem anno 1425. posteaquam eo tempore Magistratus politicus de incuria ac negligentia apud Ducem Iuliæ Adolphum Senatum Ecclesiasticum incusasset ipsius Ducis decisione alius vsus incessit, nempe vt Consules vrbis veluti in testimonium fidæ custodiæ tanti depositi simul accipiantur, quibus tam in reseratione quam obseratione sanctuarii ac repositorii sigillum & signatura ostendi consueuêre; hac tacita contestatione præuia conscenditur ad editam turrim, ibi religiosè proclamatio sacri thesauri inchoatur, dumque circa turrim circumitus fit more præconum excelsa voce denuntiatur ante singulas SS. pignorum partes quæ earum primò & deinceps veneranda exponetur, cum prece ac voto vt laus honor gratiarumque actio supremi numinis inexhausti istius omnium bonorum fontis hinc propagetur, nosque mortales æternum ab eo non diuellamur, & vt passio Christi mediatoris acerba nimis morsque pro humano genere obita efficacia nobis hîc sint ad gratiam, atque apud superas beatarum mentium sedes ad coronam & gloriam, per eundem præconem continuatim oratur & ad supplicandum populus fidelis inuitatur,

pro omnibus omnino rebus ac necessitatibus totius Christianæ reipublicæ, pro auita Catholica germana orthodoxaque fide, pro communi pace ac incolumitate prouinciarum, iunctimque mox ad simul obtestandum commonetur populus, pro patre spirituali Pontifice Romano, pro Cardinalium, purpuratorumque patrum vniuerso Collegio, pro Regia S.R. I. & Cæsarea Maiestatibus, pro Rege Christianissimo Francorum, pro Archiepiscopis Coloniense, Maguntino, & Treuirorum pro Antistite Leodino, pro Archiducibus Brabantiæ, pro Duce Iuliæ Cliuorum ac Montium, pro omni suprema potestate quâ Ecclesiastica quâ politica vt tuentur ac defensent patriam & ditiones, iteratò ad precum oblationes inflammantur circumspectantes pro Præposito, pro Sacra ac Principe æde, vrbe tota, sinatuque Graniaquensi; vlterius Diuinum imploratur auxilium pro peregrinis & aduenis tam præsentibus quam aduenturis, vt vniuersi Rector Deus eos ad patrium solum sospites saluosque reducat, ad extremum suppliciter obsecratur pro animarum fidelium ex hac peregrinationis valle sublatarum salute, funditurque oratio Dominica iuncta salutatione Angelica: interea vero dum à sacerdote conspicanda sacra pignora è turri præbentur inflatis cornibus seu tubis coctilibus & lateritijs à promiscua plebe olim tantus fragor ac strepitus edebatur vt aera sonitu complerentur, hoc æuo idem factitatur sed à pueris potissimum, neque tanta crepiraculorum frequentia vti priscis temporibus: qui mos apparet dimanasse ab Hebræis ad Ecclesiam, vel quod cum ijs denuntiemus dies festos, solemniumque dierum sacra classica cantemus, ad annuntiandam nempe mane misericordiam Dei & veritatem eius per noctem, aut in exemplum tubarum iussu Domini factarum in iubilæo, ad quarum virtutem & crepitum corruat Hiericho hoc est instabilitas defectioque lunæ ac quicquid eius odoris est; vel in signum pandendæ communis lætitiæ vt concinamus & subsiliamus cum Dauide septem tubarum clangore personante coram arca fœderis Domini; huic ipsi Regio Psalti cum reuerteretur percusso Philisthæo egressæ mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes chorosque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis lætitiæ & in sistris præcinebant ludentes atque dicentes; percussit Saul mille, Dauid decem millia; cur non pari modo in tympanis & systris per dies solemnitatis ac lætitiæ glorioso Martyrum Sanctorumque certamini applaudant Christiani acclamentque

Ioseph. de bello Iudai. lib.5.c 9.

Psal 91. Leuit.23.25.

1.Paral 15.

1. Reg. 18.

ouan-

uantes quod de hoste triumphum egerint, atque in trophæum Victricia arma sacrasque exuuias deducant? gladius quo David in Valle Terebinthi percussit Goliath Philistæum, inuolutus pallio post ephod repositus fuit in tabernaculo temploque vt memor esset beneficij accepti populus, cur minus Martyrum & Confessorum victoriosa signa quibus illis pugna fuit cum gigante infernali in templis & aris suspendemus? si despexerit hoc loco in corde suo quasi vna de stultis mulieribus filia Saul Michol hoc est aquea ac lubrica hæresis ita despumans prospiciens per fenestram, David subsilientem & ludentem coram arca Domini & in Dauide fortem manu atque vultu desiderabilem Ecclesiam Catholicam in humilitate sua, si sciolus aliquis nouator SS. Reliquiarum osor scurrilitatibus mendaciorumque præstigijs oppugnauerit vel ipsas Reliquias vel venerationem earundem atque conuellere ausus fuerit venerandam Patrum canitiem, non nisi operam lusit, vagam infantiam turpem ac insolentem suam prodit insipientiam, non ideo desinet sacrosancta Ecclesia Reliquias Diuorum honore prosequi & cum Dauide exiliet, vilior, inquit, fiam ante Dominum, & ero humilis in oculis meis: Exemplo ac imitationi septennalis huius peregrinationis Monasterium ad Indam se conformauit, ita tamen vt vno die tardius ordiatur quam Aquenses vnoque posterius desinat, Metropolitana etiam Treuirensis ordinante ita Richardo à Gryffenclaw Treuirorum Archymista hunc morem sequuta. *1. Reg. 21.* *1. Paral. 15.* *2. Reg 6.*

Cæterum confluxêre semper ad solemne Aquensis Iubilæi magna voluntate ac studio Christi fidelium ac populorum ingentia examina præsertim ante hos bellicos motus itinerumque infestationes ex tota pene Alemania Gallia & Belgio maxime vero pannones, Bohemi, Slauini, Saxones, Frisones cæterique quos armis Karolus subegerat & à paganismi perfidis erroribus retractos Christianæ fidei subdiderat, Apostolus eorum propterea meritissimo vocitatus, inter quos Vngari, Schlauones & Boemi in Principe hac æde sacra aras annuo censu dotatas erexerunt, eo fine vt qui eorum bene ficiorum rectores essent (quos ex sua natione del gere solebant) in septennali iubilæo vernaculo idiomate peregrinantium suæ quisque gentis maculas per exomologesios ministerium expiarent, adsignabanturque his omnibus nationibus diuersæ stationes ad SS. reliquias spectandas, Vngaris forum pecuarium,

Slauis minus cœmiterium, Frisonibus forum gallinaceum, Erklensis oppidi incolis tectum plumbeum quod testudinem Basilicæ circumgirat, aliis alia loca tributa, promiscuus populus maius cœmiterium occupabat: animaduersus est longo retroactorum annorum decursu antiquus peregrinorum ritus quorum complures post fusas Deo preces in Mariana æde aut genuflexi aut incurui subtus sedem Augusti Karoli in superiori templi ambitu collocatam assoliti transire, quo actu videntur innuere voluntariè sese subdere iugo (siquidem locus is non absimilis multum veterum iugo est) Sacri Rom. Imperii, ac cupidè ceruices suas submittere successoribus Magni Karoli vtpote qui ipsos ipsorumque maiores Christi suaui iugo aggregauere. Ex vna & altera narratione Zelus atque frequentia populi testatissimus redditur; Meyerus *in anno* MCCCCXL. *mense*, inquit, *Iulio ingens concursus hominum Aquisgrani pro indulgentijs, ascendit populus tecta domorum pompæ supplicationis reliquijsque SS. spectandis, quædam domus nimis onerata concidit, exanimati eo casu homines* XIX. *& ad* LXXX. *grauiter luxati mutilati vulneratique*, si vnica domus eiusdemque recti receptaculum tantam multitudinem receperit ad conspicandum, haud difficilis coniectura erit quantum numerum reliquæ admiserint, quot per compita platearum peregrini, quot bis septem dierum spatio aduenerint & recesserint; anno humanæ salutis à Christo liberatore instauratæ MCCCCLIII. tam densi aduenarum cunei Graniaquas properarunt vt intromissis plerisque, portas vrbis repagulis obfirmare necessum fuerit, quousque iis digressis, aliis aditus commodus daretur: cerei oblati 150. & tamen in tam sedula adui gilantia Senatus, nonnulli peregrinantium compressione extincti fuêre: neque ambigo S. P. Q. Aquensem tam hac quam Iubilæi festiuitate circumspectum fuisse, puta ne aduenantes exactionem sustinere cogantur, ne annona vel victualia cariore foro diuendantur sed omnium vendibilium iusta taxa regulaque indicta sit indicaturque. Natalis Diuini anno MCCCCXCVI. numerata sunt peregrinorum milia centum ac quadraginta duo, & tamen constanti fama sub idem tempus vulgabatur longè plures solemni dedicationis Basilicæ interfuisse: solorum Wandalorum ac Hunnorum quinque millia Aquas aliquoties ventitarant qui omnes collectitia stipe secundum ramos ordinatæ charitatis tridui spatio educa-

Meyerus in annal. rer. fland.

ban-

bantur: nostra hac tempestate è certis prouentibus Slauis, qui peregrinationem etiamnum continuant, prospectum vt per triduum sustententur, quibus in area Diui Matthiæ humi discumbentibus Senatores prouisores deseruire consueuerunt, ex quibus videre est, concertasse quasi Christiana pietate inter se olim ciues Aquenses ac aduenas pro honorando Dei Diuorumque Sacro thesauro in terris recondito, pro religioso vetustissimoque more à maioribus introducto, moreque a o per tot annorum chiliades & tantas fidelium populorum ac principum myriades continuato posteritati consecrato ac veluti per manus tradito, hos nulla ingrauescentis senij vel viarum tædio præpeditos magna constantia longinquarum peregrinationum molestias perferendo, illos officia hospitalitatis liberalissimè iisdem exercendo; qua in re ciues ostenderunt se parentis Magni Karoli veram esse Germanamque sobolem teste Eginharto dicente: *Amabat peregrinos & eorum suscipiendorum magnam habebat curam, adeo vt eorum multitudo non solum palatio verum etiam regno non immerito videretur onerosa, ipse tamen pro magnitudine animi huiusmodi pondere minime grauabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compensaret*, prout vero amans erat peregrinorum Karolus sic etiam abutentes peregrinatione causa quæstus compescuit, sine omni lege palantibus ac mendicis sanis validisque homines sub obtentu pietatis circumuenientibus quicquam tribui vetuit, labore victum quæritare ac suos quamque regionem inopes alere constituit: ad hunc affectum indigenarum pertinet quod causa Reliquiarum citra obicem conspiciendarum quondam è Senatu imperatum habitacula ædesque circa Basilicam pressiori ac vniformi altitudine extruere, ne aliis ab Ecclesia magis dissitis ad conspectandas DD. Reliquias obstaculo forent, iussum itidem vt domicilia in circuitu Basilicæ ad instar naualium receptaculorum quæ complurium hominum capacia essent contignarentur, veluti hodieque in pecuario foro & adsito Vrbano vico negotiationi ac mercatui destinato, itemque piscario foro contueri est, secus si factitatum atque in altiora culmina excitatæ ædes pannones, Slauini aliique peregrini querelas iaciebant, demolitionemque sollicitè acquisito veluti iure vrgebant: quæ quidem omnia si heterodoxus aliquis per hæresin deceptus gelidam suffundens piæ flammæ in Dei Auentia.

Diuorumque externum cultum attento corde consideret mirum, nisi planè cor amiserit, si non redeat ad se & conuertatur aut certè non erubescat ac confundatur.

Et quoniam ea est temporum nostrorum ratio vt ea quæ à maioribus nostris piè inducta sunt ac continuata, sannis ac conuitijs proscindi soleant, minimè præter scopum meæ historiæ facturus videbor si paulo diductius exequar tria, nempe translationem Sanctorum Corporum ac Reliquiarum, cultum venerationemque earundem, ad easdem peregrinationem, hæc inquit, tria in Diuinarum litterarum monumentis fundata, ac ob id in Ecclesia orthodoxa rectè conseruata fuisse; ita germanus Zelus Magni nostri Karoli fundatoris primi & optimi perspectior dilaudatiorque fiet. Circa primum palam est Moysem discessurum cum populo ex Ægypto in Palæstinam noluisse ibi relinquere ossa Iosephi Patriarchæ iamdudum demortui, sed ea honorificè secum asportasse & transtulisse in terram promissionis iuxta præceptum ipsius Ioseph, quod deprædicat D. Paulus his verbis, *fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est & de ossibus suis mandauit*; sub lege Euangelij quando primæ eademque inuictæ Ecclesiæ petræ, Petrus & Paulus pro Christi confessione gloriosum sæuiente Nerone Martyrium pertulêre, scribit Gregorius eo tempore aduenisse fideles ex oriente qui eorum veluti suorum ciuium reliquias deposcerent, verum cum eas ad secundum ab vrbe lapidem detulissent, Diuina vi impeditos non valuisse vlterius easdem asportare, tum autem à Romanis apud catacumbas reconditas fuisse; Rursus cum Martyrium in theatro Romæ consummasset Ignatius mox eo quo licuit solemni ritu fidelium humeris Antiochiam vsque venerandum corpus eius delatum est, quod non modo antiqua martyrologia & Græcorum Menologia sed Chrysostomus & ipse Antiochenus cui hæc certiora esse poterant, testatur multis ac præsertim his verbis: *Roma stillantem eius sanguinem excepit, vos Reliquias eius suscepistis, vos Episcopatu eius gauisi estis, illi Martyrio sunt lætati, certantem illi vincentem ac coronatum conspexerunt, vos perpetuo illum possidetis, exiguum ad tēpus eum vobis ademit Deus, sed maiori cum gratia restituit*: & paulo infra, *Sanctum illum omnes ex ordine ciuitates ab vrbe relatum suscipientes, humerisque gestantes*

Exod 13.

Gen. 50. v. 24.

ad Hebr. 11.

Greg. lib. 3. epist. 30.

Chrys. in laudem Ignatij tomo 5. col. 529. edit. Paris.

Antiochiam vsque sunt comitatæ, Martyrem coronatum concelebrantes, collaudantes Victorem, Diabolum deridentes, idem complura post hæc de miraculis à sepulchro eius scaturire consuetis enarrat.

Post Martyrium Polycarpi Christianis cupientibus reliquias Martyris ac Iudæis pertinacissimè resistentibus, voluit Iudex ethnicus corpus in medio positum cremari vsq; ad cineres & tamen Christiani incredibili auiditate collegêre ex cineribus selectas Reliquias ac si essent lapidibus pretiosissimis potiores & auro probatissimo puriores, eoque loco reposuerunt qui illis esset decorus ac consentaneus. Euseb. hist. li. 4. c. 14. & 15.

D. Ioannis Baptistæ Reliquiæ ex Palæstina Alexandriam, Sanctorum Andreæ, Lucæ, Timothei à Constantino Imperatore Constantinopolim translatæ sunt summo honore. Ruffin. lib. 2. ca. 28.

Corpus S. Babylæ ex Antiochia primum deportatum est ad suburbium Daphnos, & idem circa an. redemptoris CCCLXV. inde rursum Antiochiam iussu Iuliani apostatæ ingenti celebritate relatum, quia oraculum Apollinis ob Viciniam sepulchri S. Babylæ obmutuêrat vt testantur Ruffinus, Chrys. Socr. Sozom. Theodoretus qui addunt vix arcam Martyris inde abductam; cum descendit ignis de cœlo & idolum vnde Diabolus fundebat oracula totum consumpsit. S. Hiero. lib. contra Vigilant. Chryso. Ruffin lib 1. ca. 36. Chrys. lib. contra gent. Socr. li. 3. c. 18. Sozom. lib. 5. ca. 19. Theodor. lib. 3. c. 10.

Tempestate Arcadij translatæ ex Iudæa in Thraciam Reliquiæ Samuelis Prophetæ in vase aureo ab Episcopis, comitante tanta populorum frequentia vt à Palæstina vsque ad Chalcedonem varia iungerentur populi examina: Quas quidem & alias translationes quis sanæ mentis infitiabitur factas esse ad cultum SS. Reliquiarum? cultum tamen ac venerationem earundem luculentius docet ac quasi digito nobis ipse demonstrat præpotens Deus, cuius actio & demonstratio nostra instructio est, cuius factum dictum & institutio censeri debet, nam quia ipse Christus verbum Dei est etiam factum verbi verbum nobis est; docet inquam dum eas vti templa ac habitacula Spiritus sancti honorat atque honorari velle testatum facit supra naturæ vim signis & miraculis in vtraque lege ac per omnes ætates in eis perpetratis; varijs beneficijs quâ corporalibus quâ spiritualibus quæ mortalibus per eas elargitus est, vindicta insequuta eos qui excolendas Reliquias despectim incesto ore lacerarunt aut aliter contumeliosè habuêre ac erosêre, quibus omnibus fidei Catholicæ doctrina ac obseruatio ita illustratur vt qui in multitudine Aug. tract. 24. in Ioannẽ super Euang. *Ioan. 6.*

Psal. 65. virtutis tuæ Christe Iesu Saluator mentiuntur tibi inimici tui, vt qui omnipotentiæ tuæ increduli & more pharisaico tabescentes inuidia, destituti ipsi omni gratia gratis data, opera tua calumniantur ac Dæmonum illusionibus adscribunt, aut fidei oculis planè careant, aut eos obstinatè claudant contra veritatis solem; necessum sit; nemo sacras litteras vel extremis digitis attigit, & nescius est corpus dilecti
Eccl. 45. Deo & hominibus Moysis, cuius memoria in benedictione est, quem similem fecit in gloria sanctorum & magnificauit in gloria inimicorum quique in verbis suis monstra placauit, Deum ac Dominum singulari honore prosequutum, dum illud propriis vti Hieronymus cōtra vigilantium loquitur, manibus sepeliuit; nonne contactu suo ossa
Deut. 34. Helisæi Prophetæ mortuum in vitam reuocarunt? an non probus
4. Reg. 13. Iosias dum delubra idolorum subuerteret effossis aliorum mortuo-
Eccl. 48. 14. rum ossibus & incineratis, ossa Prophetæ ibidem reperta honorifice
4 Reg. 23. asseruari iussit? collaudauit humani generis redemptor hæmorrhoissæ fidem quod ipsius, vel solius fimbriæ vestimenti attactu se sanita-
Hom. 8. ad pop. Antioch & 36. de virt. & vit. tem assequuturam crediderit; neque enim, vt ait B. Chrysostomus sanctorum verba tantum aut corpora sed etiam ipsa corporis tegmina omni sunt possessione augustiora, heliæ leonina pellis Iordanem
4. Reg. 2. discindere fecit, trium puerorum calcei per ignes ambularunt, Heli-
Dan. 3. sæi lignum potuit vndarum mutare naturam quas quidem superfi-
4 Reg. 6. cie sua quasi tergo ferrum sustinere coegit, Moyses virga mare ru-
Exod. 14. brum dehiscere iussit, petram disrumpere valuit, Pauli vestes mor-
Num. 20. bos fuderunt, Petri vmbræ mortem fugarunt, Sanctorum Martyrum
Act. 19. & 5. cinis improbos dæmones expulit. Hæc aureum illud os immo diuina monimenta contestantur: quid vmbra Petri inanius? & tamen
Act. 5. ea liberati ægri, quid sudariis vel semicinctiis Pauli in speciem abie-
Act. 19. ctius? & tamen super languidos delata à corpore eius recedebant ab iis languores & spiritus nequam egrediebantur; non est modo abbreuiata dextra potestatis Dei; neque benefica voluntas ei deest, at nec fides eadem quæ in hæmorrhoissa fuit desideratur, quorsum igitur venerabundus ex fide contactus vestis Christi & Diuorum minus quam olim virtutis ad nos deriuet? Quid dicam de sepulchro Domini? cui tametsi anima Christi non interfuerit, vti nec nunc
Isa. 11. corpus, ita tamen de eod. Isaias, In eum, Messiam, gentes sperabunt,
Hier in epist. ad Marcel. & erit sepulchrum eius gloriosum: quæ prædictio non præcisè dumtaxat pro eo tempore quo Saluator in sepulchro iacebat sumenda,

sed & pro futuro, vnde ob gloriam resurrectionis in sepulchro Dominico cuncta Martyrum sepulchra gloriosa redduntur. in Christo capite ac Duce Militiæ vicêre Martyres, consepulti Confessores, in eodem resurgunt ac coronantur, quorum natalis dies obitus est, atque mors ianua vitæ; refertur gloria sepulchri Martyrum in primum sepulchrum, referetur & gloria honosque ossium in prototypum, *Honoramus* Reliquias, inquit B. Hieronymus, *Martyrum, vt eum cuius sunt Martyres adoremus, honoramus seruos vt honor seruorum redundet ad dominum:* D. Ambrosius, *quod si dicas mihi,* ait, *quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere; cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? honoro itaq; corpus quod Christum honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.* Ac tametsi in prisca lege vetitus mortuorum contactus, Christus tamen legifer noster gloriosa corporis sui resurrectione eam inhibitionem sustulit, & ideo teste Basilio quando quis Iudaicè moriebatur abominabilia erant morticinia, cum pro Christo mors contigit pretiosæ sunt Reliquiæ Sanctorum eius, antea dicebatur Sacerdotibus & Deo dicatis, non contaminabitur ex aliquo mortuo, nunc autem qui contingit ossa Martyris quandam sanctificationis societatem assumit ex gratia corpori insidente, quod si plerisque adhuc immundus ex lege Iudaica censeatur mortuus, ij fors erunt quibus Christi resurrectio non prodest ad vitam & gloriam: verè Sanctorum & huic mundo emortuorum ossa ac corpora non solummodo resuscitabit Deus emenso totius mundi cursu sed etiam clarificabit euehetque ad gloriam substantiæ spiritualis configurando ea corpori claritatis suæ hoc est impassibilitate, subtilitate, agilitate & claritate quæ sunt proprietates naturæ angelicæ & spiritualis donando: hæc corpora humilitatis nostræ quæ modo iam dicto quandoque viuificabit numen Diuinum, vt eorum animas modo cum beatis illis mentibus man ferè

contra Vigilan epist. ad Ripar.

Ser. 93. de SS. Nazario & Celso.

Basil. in Psal. 115.

Relatiuè in relligè vti & templa dicũtur sancta. 1. ad Cor. 3.

ad Phil. 3.

testetur secum conuiuere viuifica: ossa ac corpora quadamtenus etiam in huius labentis mundi incolatu tamquam palæstra virtutis eorum, ac loco meriti dum coruscare miraculis concedit, ac exercere operationem vitæ supernaturalis, quis igitur horror, quæ immunditіes amplius ex istiusmodi ossium contactu? quæ superstitio aut idololatria in cultu, si eius quod Deus operatur, nos desiderium nostrum communicandi nempe gratiæ & gloriæ sanctorum veluti fratrum nostrorum cum quibus æternum victuros speramus, exprimamus, dum quorum animæ æuiterna Dei visione ac laude gaudent, immortali quantum in nobis est honore veneremur & corpora, eleuando ea è terræ corruptione, aureis & argenteis vasis & thecis includendo, ac dilaudando? *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus*, clamant diuina eloquia, *si quis mihi ministrauerit honorificabit eum pater meus, quicumque glorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles*, dedignemur nos honore membra & milites quos Christus tali honore prosequitur? nec membra solum sunt Christi Diuorum corpora, sed domicilia inhabitantis gratiæ, organa quibus anima vsa ad omnem virtutem, pignora patronorum, exuuiæ carissimorum, trophæa triumphantium, instrumenta Dei ad miracula perpetranda, templa Spiritus sancti; *qui ea destruxerit, destruet eum Deus*: permittit Deus haud rarò corpus impij eo quod organum fuerit cooperans ad malum, non autem principale agens æternis torqueri cruciatibus & etiam hoc in mundo infami morte perire, ossaque flagitiosorum sæpe post fata erui & vltrice flamma absumi, permittunt idem Dii in terris iudices ob delicta enormia veluti in læsæ maiestatis reis corpora iam strangulata & mortua aut vstulari aut feris discerpenda tradi, etsi tum sensus doloris absit, iubent domicilia talium demoliri, atque per omnia etiam illis extrinseca sæuire pœnam, cum autem misericordia Dei superexaltet iudicium cur Diuinum numen sua templa, organa & instrumenta, vestes & exuuias sanctorum gloria & honore non exaltabit? Cæterum venerationis affectus & amoris fidelium ac Ecclesiæ orthodoxæ erga Diuos Diuorumque sacra Lipsana non obscurè Maria Magdalena typum expressisse ducatumque præbuisse videtur, cuius fortis fuit æquè post mortem Christi ac in viuis dilectio, proinde absque vllo præcepto, solo diuini Spiritus instinctu

Psa. 138. 17.
Ioan. 12
1 Reg. 2. v. 30.
1. Cor. 3 & 6.
Ioan. 12.

abun-

abundantiaque dilectionis accepit libiam vnguenti nardi pistici pretiosi & vnxit pedes Iesu extersitque pedes eius capillis suis, tametsi Christus non egeret vnctione ista; postquam tumulo illatum corpus Dominicum venit eadem mane ac tali desiderio quærit vt aperrè enuntiet; *Domine si tu sustulisti dicito mihi vbi posuisti eum & ego eum tollam*, sciebat Christum quem vtiProphetam & sanctum virum colebat nec adhuc verum Messiam aut resurrecturum credebat, defunctum; corpus omnis sensus expers, emarcidum & exsangue cadauer reperturam se existimabar, siquidē secus Angeli neutiquam sciscitarentur quid quæreret viuentem cum mortuis? processit nihilominus ac eò vis amoris eam traxit vt quamuis anteà à Ioseph & Nicodemo perunctum fuisset, rursum tamen mortuo honoris & dilectionis officiis obsequi voluerit, dum cum aromatibus vngere Iesum pergit; quid hoc aliud significat in Ecclesia gerēdum nisi sicuti illa ad Christum tamquam sanctum virum cum virtutum odoribus per sancta desideria proficiscebatur, sic nos ad Christum verum Messiam & Sanctos consimilibus virtutum odoribus & bonorum operum fructib. quibus sancti ac rex sanctorum refertus est tendamus, prout ipsa mortuo pietatis religionisq; officia exhibuit, sic nos itidē Diuos honoris amoris ac laudis actib. prosequi conueniat, vt eatenus ad huiusmodi virtutis iter calcandum illiceamur; vnigenitus qui est in sinu patris voluntarium hoc obsequium Mariæ Magdalenæ nō modo dilaudat Marci 14. verum & eādem supernorum ciuium visione & cōsolatione dignā fecit, cōstituitq; resurrectionis suæ primam nuntiam, testem & quasi Apostolorum hac in re magistram, quis murmurat, litigat, indignè fert, fremit Christum iam mortuum vngi honorariq;? quis nec in viuis neq; post obitū diem diligit Saluatorem, vel Sanctos nisi Dux eorum qui comprehenderunt Iesum, idem ille Dux qui ad verba vitæ, *ego sum panis viuus qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*, respondit, *Durus est hic sermo & quis potest audire eum?* Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes; quis hac nostra ærate stomachatur si ex terra Ægypti ad terrā promissionis deferantur ossa Ioseph. si quispiam eodem cum Mariæ Magdalena zelo enuntiet, & ego eū rollam de loco Iudæis cōcredito a i nobiliorē si vrnis & reclinatoriis pretiosis includantur mēbra Christi?

Ioa. 20. *Luc. 24.* *Mar. 16.* *Mar. 14.* *Ioan. 6.* *Exod. 13.*

nostis i tis, Iudæ complices sunt vigilantius Berengarius Caluinus, iidem qui antesignano eod. denegant veritatem corporis Christi sub specie panis; sed neque de vnguento conquestus Iudas quia de egenis pertineret ad eum; neque asseclæ eius ob id de vasis aureis, verū quia in prop. ios vsus ea non conflantur: Patrum Ecclesiæ testimonia longa serie pro veneratione excolendarum Reliquiarum non proferam, nullum siquidem inuenies scriptorum orthodoxorum qui istius cultus non sit fidelis ac constans assertor, solummodo signa ac portenta beneficiaque celebriora digito Dei perpetrata ex iis succisè produco: S. Epiphanius in vita Isaiæ Ezechielis & Hieremiæ recenset à plurimis coli solita sepulchra eorum ob multa beneficia propter merita eorundem Prophetarum iis in locis à Deo collata, D Hieronymus cōmemorat qualiter ad sepulchra Elisæi & Ioannis Baptistæ atq; Abdiæ rugire dœmones cōsueuerint; *Tu (Dæmon per os vigilantij loquens)* inquit *sæpius hoc vilissimo tortus es puluere:* S. Basilius ad D. Mamantis martyris ac B. Iulittæ, Chrysostomus ad S. Babylæ Martyris, Palladius in histor. Lausi. cap. 26. ad reliquias Philemonis miracula complura enarrant: admiranda sunt quæ præcipuus ille Ecclesiæ Doctor & omni exceptione maior veritatis testis D. Augustinus de Lipsanis sacris B. Stephani prothomartyris ex cuius sacris ossibus portio & sanguis Graniaquis conseruantur memoriæ prodidit lib. 22. de ciuit. Dei ca 8. in quo probat fusè fidem Catholicam non carere veris miraculis, enarrat porro quod floribus primo Reliquiis D. Stephani admotis deinde & oculis mulier cœca aspectum receperit, quod Lucillus Episcopus Sinecensis attactu earundem reliquiarum à fistula sit sanatus, attactu tunicæ idem ex memoria S. Stephani allatæ à morte suscitatus, qua ratione & sanctimonialis defuncta ad vitam rediit, quod puer rota currus obtritus & in memoria eiusdem Martyris positus reuixerit & illæsus apparuerit, quod alius mortuus oleo B. Stephani perunctus ad vitam sit reuocatus: idem D Augustinus cui etiam ipse Caluinus hoc elogium tribuit ab Augustino sumant lectores si quid de sensu antiquitatis habere voluit: plurima eiusmodi exploratque miracula memorat, inter alia quod Sanctorum Martyrum Geruasii & Prothasii corpora per plurimos annos incorrupta à D. Ambrosio inuenta sint quę cum digno honore ad Ambrosianam Basilicam transferrentur nō solum quos immundi vexabant spiritus confessis eisdem dœmonibus sanabantur verum etiam quidam

Ioan. 12.

H er. in epist. ad Eustoch de vita Paulæ. Idem lib. cōtra Vigilant. Item in epist. ad Marcellā.

Calu li. 3. inst. c. 3 § 10.

Augrst lib. 9 confes. c. 7.

pluresannos cœcus eo perductus impetrauit admitti vt Sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum, quod vbi fecit, atque admouit oculis confestim aperti sunt, sed & adolescens à dœmone obsessus & ad eorundem Martyrum memoriam deportatus liberatus fuit, ac eidem restitutus oculus, quem Diabolus egredi compulsus, ita excusserat vt tenui venula in maxillam fusus penderet, eadem recenset S. Ambrosius cui primũ fuerat reuelatum vt prætacta Diuorum corpora ex obscuro in locum nobiliorem transferret, qui itidem notauit Arrianos eo æuo impudentissimè ausos negare clarissima miracula quæ totus tunc mundus perspiciebat: transeo ad beneficia spiritualia. Expugnauit summus rerum arbiter Deus impietatem Iuliani apostatæ Imperatoris reliquiis S. Babylæ martyris, prostrauit Arriani impietatem reliquijs DD. Geruasij & Prothasij Mediolani apparentium tempestate B. Ambrosij; extinxit in Ægypto idololatriam per SS. Martyrum reliquias, cum enim à Cyrillo Alexandrino Præsule V. Cal. Augusti facta esset translatio patris Reliquiarum Marci Euangelistæ, Cyri atque Ioannis in Canopum vbi sedes vigebat idololatriæ dœmonum vis penitus cessauit & euanuit, licet antea demolito idoli fano & à Theophilo Ecclesia superere ta infestatio dœmonum permanserat, quousque Reliquiæ inferrentur: Diuina planè prouidentia factum quod anno CCCCVI. ex Palæstina Constantinopolin Reliquiæ Samuelis Prophetæ transferrentur & magno honore frequentarentur quando ab impuro vigilantio afficiebátur dedecore grauiori: In templo D. Euphemiæ Martyris apud Chalcedonem quoties Constantinopoli erat Episcopus probus ac pius (siquidem si prauus esset miraculum tam frequens nõ erat) ex tumba Sanctæ Martyris immissa per fenestellam spongia, tanta sanguinis copia hauriebatur, vt Imperatori, Episcopo, ac reliquis è populo sufficeret, & inde ablatus sanguis nec siccabatur nec colorem amittebat: perpetuum etiam erat miraculum quod odor suauissimus (qualis nec ex pratis omni florum varietate refertis nec ex vnguentis prætiosissimis hauritur) ex sacris eius Lipsanis aspiraret, cum vero Mauritius Imperator incredulus rem ipsemet experimẽto cognoscere voluit cognouit; quippe sublatis argenteis monumenti ornamentis idipsum proprio sigillo communiuit, ipsa vero virginis festiua memoria ad curiosius singula lustranda accedens ecce vidit sanguinem solito copiosius adinstar riuuli è sepulchro prorumpen-

Psal. 115.

acta; dict. mart. in poster. concil. Niceno & Ioan. Damas. Hier. aduersus Vigil. Theod lector. lib. 2. colect. Niceph. li. 14. c. 11.

Niceph. li. 15. c. 3. & l. 18. c. 31 Bredenb. lib. 4. c. 34.

Beda li.1.hist. angl.c.18.

tem quo viso repentè omnem incredulitatem deposuit: S.Germanus in Anglia Pelagianorum hæresin magna sapientia atque virtute refutans oblatam sibi decem annorũ puellam cæcam in ipso disputationis loco cum cõfusione aduersariæ partis & confirmatione Catholicæ veritatis admota, quam penes se habebat, sanctarum reliquiarum pyxide persanauit: eiuscemodi noua & admiranda bella elegit Deus ad confundendos aduersarios SS. Reliquiarum, fideles vero subleuandos, tunc maximè quando vel tepuit Christiana fides, vel Ecclesia fuit gentilium exagitata blasphemiis vel Christianæ religionis vrbes à barbaris captæ sunt, vel grassatur persequutio, talib. dico medicinis & armis tenuissimo puluere & ossibus exiguis Sanctorum ante plures annos vita functorum vtitur Dominus: E quibus & aliis D.O.M beneficiis defluxit cõsuetudo maiorum nostrorum quicquid sanctos attigit & attinuit quãtumuis minimum magno pretio ac honore habere, hinc primi Christiani ligneam B.Iacobi Apostoli sedẽ, lapidem in D. Stephanum coniectum per quem Anconæ non pauca illuxêre miracula, terram sanctam vbi Christus sepultus, die tertia resurrexit Hierosolymis allatam & sacello honoratam ad quod vectus paralyticus sanatus est maximi fecêre: S. Anthonius magno æstimauit tunicam B.Pauli primi Eremitæ ex palmarum foliis contextam: S Athan. Pallium B. Antonii: testatur & Greg. Nyssen. quod contrectationem Sancti corporis B.Theodori non solum sanctificationem & benedictionem esse fidelium crediderint, sed etiam puluerem quo eius cõditorium obsitum erat pro magno munere acceperint: inde rursus pius mos antiquitus dimanauit vt ad imitationem B. Iosephi ab Arimathia & Nicodemi in Christo nobis ostẽsam, reliquiæ pannis lineis aut byssinis & sericis inuoluerentur, quos sanctuaria vel Brandea seu velamina appellari rerum Ecclesiasticorum Scriptores prodũt, atque hos ipsos postmodũ iis qui religionis ac pietatis causa petiissent distribuere ac trãsmittere maiores nostri solebant, adeo vt Romana Ecclesia vel ipsis Imperatoribus aliisque personis in dignitate constitutis, quãtumcumque sacra Lipsana expeterent, nihil aliud olim nisi Brandea eius generis concedere adsueta fuerit vt ex litteris Hormisdæ Papæ ad Legatos suos & ad Iustinianum Imperatorem datis constat.

Euseb.lib.7. hist.c.15. S.Aug ser.94. in add. ad ipsum serm. Aug.li.22 de ciu. Dei. c. 8. B Hier. in vita S. Pauli. Athanas. in vita Antonii. Greg. Nyss. oratione in Theodor. Mart. Greg.lib.3. epi. 30.

Card. Baron in annal. & Martyr.

Quod si præscripta omnia quempiam non suffi ienter instigârint ad debitum cultum SS. Reliquiarum, commoueat Diuina vltio qua tacti conuitiis pro libidine insectantes sacratas exuuias, commoueat

ipsum lumen rectæ rationis, denique emolliant ipsi aduersarij fidei orthodoxæ: diuinæ vltionis exemplar per typum præbet imprimis oza percussus à Domino super temeritate sua quod vel extenderit manum ad arcam Dei & tenuerit eam: vindicem dextram Dei persensit Iudæus pheretrum Matris verbi quod ab Apostolis ferebatur, subuertere molitus, dum vtraq; manu orbatur: Caianus Hunnorum Rex quod sepulchrum S. Alexandri Martyris violasset vno die septẽ filios am ttit; Clodoueus II. Rex Franciæ longa mentis alienatione punitus est quod D. Dionysij Reliquias irreuerenter tractasset corpus eius discooperiendo & os à capite diuellendo donec facti pœnitens persanatus est. Imperator Valens cum cuperet D. Ioannis Baptistæ caput Constantinopolim transferre vehiculum cui caput impositum perstitit immobile, idem tamen à Theodosio Imperatore citra vllum impedimentum traductum, quo signo demonstrabat Deus quãtoperè Arrianam Valentis perfidiam derestaretur, fi lemque Theodosij complecteretur, cęteris talibus supersedeo lubens: Ad rationem quod attinet, nihil efficacius est ad infigendam animo memoriam sanctorum quam eorum ossa & sepulchra (ob quod hæc primitus nuncupata memoriæ sanctorum) dumque ad ea accedimus obueniunt menti virtutes Diuorum, nempe patientiæ, charitatis, castitatis, pietatis segetes ex vna parte, ab alia gloria qua nunc fruuntur in tabernaculis iustorum sese repræsentant, sicque lacessimur vt imitatores eorum reddamur sicut illi Christi; singulæ plantę teste Basilio cõcionatrices homini esse debent præsentiæ conditoris, quanto magis viua arbor lignum plãtatum secus decursus aquarum quod fructum vitæ dedit in tempore suo: Christi Iesu Saluatoris sacrosanctum ac viuificum lignum crucis in quo ipse triumphauit & quod sui sacratissimi corporis contactu atque adeo cruore sanctificauit, cum veneramur & ex fide adoramus, prout in figura huius magnus ille & sanctus Patriarcha Iacob à D. Paulo eo nomine cõmendatus fastigium virgæ Iosephi filij sui adorauit; lintea item vestes quibus in Mysterio redemptionis non tã conditione quã dignatione Saluator vsus est dum corã intuemur ac vti par est religiosè colimus, quis ita duris præcordiis quin in eo efficacissima Christi eiusque passionis ad ei cõpatiendũ memoria non refricetur, quin & cor nostrum in amorem redemptoris & gratiam referendam non ardens fiat? *Venerabantur*, inquit Hieronymus *Iudei sancta sanctorum quia ibi erãt Cherubim*

2. Reg. 6

Niceph. li. 2 hist. c. 22. Damasc. serm. de dorm. B. M. Eutrop. li. 17 ver. Rom. Dion Carth ser. 3. de S. Dion. & sociis. Fulgos lib. 1. ca. 6.

Psal. 1.

ad Heb. 11.

in epist. ad Marcel.

& propitiatorium & arca testamenti, manna, virga Aaron & *altare aureum, nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini? quod quotiescumque ingredimur toties iacere in syndone cernimus Saluatorem & paululum ibidem commorantes rursus videmus Angelum sedere ad pedes eius & ad caput Sudarium conuolutum.*

Si contueamur veritatis Catholicæ inimicos Turcos & infideles immo ipsas bestias, iudices nostri sunt in cultu Reliquiarum, Turcæ Christi Domini eiusque intemeratæ Matris sepulchrum; loca vbi steterunt pedes Christi, omniaque eius monumenta in Palæstina vsque huc venerantur, arborem terebinthi ad quam persæpe quiescebat Mater verbi quando ex Bethlehem tendebat in Hierusalem, locumque quietis cum visitaret sacrum montis oliueti verticem colunt & obseruant: maturea locus est in Ægypto vbi Deipara remāsit fugiens Herodem qui Sacacenis tanto est in honore vt ibi ardeat continuo lampas, de fonte Ægypti in quo humani generis aduocata lauare cōsueuerat vnigenitum suum summi patris mentem & sapientiā multa Burchardus part. 2. ca. 4. descript. terræ sanctæ, memoratque corpora Saracenorum naturaliter fœtida & infecta esse, fontem vero hunc retinuisse vim ea mundandi ac à fœtore liberandi; vno verbo omnia loca per Thebaidem Syriam Nitriam per quæ transiuit virgo Mater à facie Herodis diffugiens sanctificata remansere apud aduersarios nostros, obque venerationem locorum innumerabilis multitudo Heremitarum, Cœnobitarum & Anachoritarum ea incoluit: Iam quod bestiæ operante Deo designent Reliquias esse sanctas Domino, ex vitis Pauli Eremitarum primi, Primi ac Fœliciani, Stanislai Cracouiensis Præsulis aliorumque Diuorum sat scitum est: soli sectarii tam prisci quam nostri æui Eustathiani, Eunomius, Vigilantius Manichæi, Iulianus Apostata, Lutherus, Caluinus & qui ex his ortum duxêre, seu adhuc prodibunt eodem afflati spiritu Christum persequuntur dum membra Christi condigno honore spoliant, execranturque venerationem Sanctorum ac eorum corporum, è quorum numero inuenti sunt in Galliis qui Pictauis S. Hilarii Lugduni D. Irenæi, Turonibus B. Martini Apostolorum quondam totius Galliæ sacras exuuias fidei pietatisque monumenta exusserint ac in profluentem abiecerint: duo apud hos omnes demirari est ex prouidentia Diuina, alterum, si quādo tales mente rabida impioque ausu sepulchra Diuorū

Bellon. lib. 2. ca. 81.
Zuallardus.
Card. Baron.

euer-

euertere, reliquias sacras dispergere, flammisque abolere aut planè eradicare gloriam ac memoriam Martyrum moliti fuerint, creberrimè factum vt vel inde maiori honore adaucti ipsi cineres, seu euidentiorib. signis eidem Diui inclaruerint, vt liceat meritissimo illud Senecæ vsurpare, *magna est vis veritatis quæ contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, & contra fictas hominum insidias facilè se per seipsam defendit:* alterum permittere Opt. Max. Deum vt nequitiæ soboles hæresiarchas suos tam viuos quam mortuos & quæ eorum sunt honorent; Gregorius Nazianz. Iulianum apostatam redarguit cur SS. Reliquias non coleret cum Deorum falsorũ monumenta veneraretur: Hieronymus de Vigilantio, *Dolet,* inquit, *Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine & non vel pannis vel cilicio colligari vel in sterquilinium proijci vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur*: apud modernos sectarios, videre est quomodo idola & abominationes barbas, vultum vestesque suorum prædicantium & belli ducum vel eorum sparcitias ac dicteria impura qualia sunt Lutheri monstrosa mensalia veluti fragmenta panis de quibus, Ioan. 6 obseruent ac adinstar Reliquiarum honorent, quæ iustus Deus permittit, vt sciant distantiam seruitutis suæ & seruitutis Regni terrarum: Hos fidei & veritatis perduelles semper cana ac veneranda Patrum antiquitas damnauit, contraque eos stetit immobilis ac inuicta Catholica Ecclesia, quæ non modo sanctos omni studio venerata, sed etiam ad loca eorum Reliquijs & memorijs celebria tum maxime cum ab impijs fidei hostibus ei respirare datum, non minori labore quam Religione suscepit ac deprædicauit peregrinationem, tum quod diuinarum legum testimonijs ea subniteretur, tum quod perspicuè videret Deum alto quodam consilio & sæpius & efficacius ad Sacrarum Reliquiarum præsentiam vt ministros suos honoret dona obsecrantibus impartire: taceo veteris legis peregrinandi vsum, & aspiciam in authorem fidei & consummatorem Iesum qui ipse cũ Virgine sua Matre ac Iosepho summa obseruantia religioneq; peregrinationem suscepit, in hoc exemplar collimarunt turba quæ veneerat ad diem festum accipiens ramos palmarum. Itemque gentiles venientes adorare in Hierusalem propria Regione relicta, festinabat D. Paulus si possibile sibi esset, vt diẽ Pentecostes faceret Hierosolymis; vir æthiops Eunuchus potens Cãdacis Reginæ Æthiopum veniebat

Seneca in ep. | orat. 1. in Iul. | 2. Paral. 11. | Exod 13. | Deut 16. | Tobia 1. | 1. Reg. 3. | 3. Reg 8. | Luc 2. | Ioan. 11. 12 | Act. 10. 16. | Act. 8. 27.

a 10. are in Hierusalem: inde ad sancta loca & reliquias peregrinandi ardor excitatus in Ecclesia semper mansit: S. Hieronym. de multitudine peregrinantium Hierolymam suoque studio in excipiendis hospitibus ad Eustochium hæc ait: *fateor me explanationes in Ezechielem multo ante tempore promisisse & occupatione de toto huc orbe venientium implere non posse, dum nulla hora nullumque momentū est in quo non fratrum occurramus turbis & monasterij solitudinem hospitij frequentia commutemus in tantum vt claudendum nobis sit ostium, aut scripturarum, per quas aperienda sunt fores studia relinquenda:* & ad Paulinum, *de toto huc orbe concurritur plena est ciuitas vniuersi generis hominū & tanta vtriusq; sexus constipatio, vt quod alibi ex parte fugiebas hic totum sustinere cogaris*, & ad Marcellam, quodnam genus hominum & ex quibus locis illuc properarent ita describit, *qui in toto orbe sunt primi, huc pariter congregati, ad quæ nos loca non vt prima sed vt extrema venimus* (paulæ enim & Eustochij nomine scripta est Epistola) *vt primos in eis omnium gentium cerneremus; certè flos quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta monachorum & virginum chorus est quicumque in Gallia fuerit primus huc properat, diuisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama sibi tantum & scripturarum relatione cognitum quid referamus Armenios? quid Persas? quid Indiæ? quid Aethiopum populus, ipsamq; iuxta Aegyptum fertilem monachorum Pontum & Cappadociam Syriam cœlem & Mesopotamiam cunctaque orientis examina? quæ iuxta Saluatoris eloquium dicentis vbicumque fuerit corpus, congregabuntur illuc aquilæ; concurrunt ad hæc loca & diuersarum nobis virtutum specimen ostendunt, vox quidem dissona, sed vna religio,* &c.

Hier. proem. lib. 7. in Ezec.

Hiero. epi. 13.

epist. 17.

Matth. 24.

Chrysostomus mirifi um Christiani populi studium commendat ad locum vbi S. Iobus dæmonem superauit proficiscentis, ex fimo Iob viso, ait, *omnis quis capiat vtilitatem & disciplinam multam & exhortationem ad patientia lationem, itaque multi nunc longam & transmarinam peregrinationem à terra finibus in Arabiam abeunt, vt fimum illum cernant & conspicati terram deosculentur, quæ illius*

Hom. ad pop. Antioch.

victoris

victoris certamina & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit; & quod probrauit Chrysostomus, in aliquibus eius ubi copiam fieri summo pere desiderabat, præsertim vt magni illius Apostoli Pauli reliquias videre exosculari & complecti posset; *quis mihi*, inquit, *nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo decrant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbique seminantis?* & explanans illum S. Pauli locum, *obsecro siue hortor vos ego vinctus in Domino, vellem*, ait, *nunc etiam in eis esse locis in quibus ista dicuntur esse vincula, cuperem videre catenas illas quas quidem verentur & horrent dæmones, venerantur vero Angeli, si quis modo mortuos mihi largiretur excitandi facultatem, istud planè non præferrem huic catenæ: quod si liberum fuisset per curas Ecclesiasticas & corpus habuissem validum nihil vtiq. causatus fuissem quo minus tanta suscepta peregrinatione catenas dumtaxat illas & carcerem vbi ligatus fuit vidissem*, denique ad eandem pietatem hortabatur cæteros, *idcirco*, inquit, *illos sæpius inuisamus, tumulos adoremus, magnaque fide* Reliquias *eorum contingamus vt inde benedictionem aliquam assequamur*, &c Chrysost. ne longior in authoritatib. Patrum sim, quiuis cuius ingenij acies necdũ prorsus hebetata facile peregrinationis laudẽ rimabitur per effecta finemq; qui alius nõ est nisi honor ac gloria præpotentis Dei ac sanctorũ vt opera pœnitentiæ & satisfactionis adimpleantur, vt ad studium deuotionis mens excitetur, siquidem locus sanctus eũ qui præcesserat renouat & auget affectum cum ex ipsorum locorum admonitione exurgit ad acuendum caritatem & in illos quos imitari possumus & in illum quo adiuuante possumus: In huius Catholicæ Romanę veritatis doctrina perstetit Karolus gratia Dei Rex & Cæsar, pro huius Ecclesiæ orthodoxæ defensione maiorumq; pietate tuẽda pariter ac propaganda inuictus sẽper mansit, & quidẽ sacrarũ peregrinationũ exercitio ita studiosus, vt aliquoties Romã pietatis præcipuè causa accesserit, accedẽs ad miliare spatium de equo descẽdens pedes eundo per vrbẽ omnes Ecclesiarũ postes humiliter osculatus sit, sabbatho etiam sancto oẽs gradus Basilicæ B. Petri singillatim exosculatus est, vsq; eò vt de hoc aliisq; Christianis Imperator. dici queat quod

Hom. 23. in epi. ad Rom.

ad Ephes. 4 hom. 8. in epi. ad Ephe.

Serm. de S. Inuentio & Maximo.

Augnst. li. 20. contra Faust ca. 21.

Eginhartus Anastas. Biblioth.

epist.42. iam olim B. August. Madurensibus Idololatris obiectârat, videtis Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare? in cultu itidem ac veneratione SS. reliquiarũ adeo singularis fuit Karolus fœlicis memoriæ vt munera sacra quibusuis profanis quantumuis pretiosissimis anteposuerit, eaq; omni studio vndequaq; cõquisierit, quod studium vna cum hæreditate paterna deriuatum est ad posteros eius, quousque pietate in nonnullis refrigescente Francorum gloria quæ pietate præcipuè & cœperat & creuerat, sua quasi basi ac fundamento destituta pedetentim immutata fuit; vidisti ac peruidisti lector quo spiritu excitus Karolus sacra Lipsana impensè conquisierit conquisita Aquis recondiderit, recondita stato tempore venerari voluerit, eo nempe quo afflata primogenia Ecclesia, vidisti pariter quibus stimulis agitentur sectarii proprii cerebri ductu impulsuque, benè adprecemur hisce vt regrediantur ad penetrale iam senescentis Ecclesiæ; sic restaurabitur Hierusalem & templum & omnis decor pristinus.

Salutatio Sanctuarij Aquisgranensis.

O Thesaure pretiose
In quo vestis gloriosa
Virginis reconditur.
Atque rubens illa vestis
In quam Christi sanguis testis
Dum nudum tegit funditur.
Humilesque panniculi
Iesu infantis paruuli
Quibus in cunis voluitur.
Et pannus mira dignitatis
In quem sublimus sanctitatis
Baptistæ sanguis conditur.
O verè sanctuarium
Sanctum Sanctorum omnium
Tegens in patibulo
In vtero, in stabulo.

Salue

Salue fili, salue Mater
Salue Sanctuarium
Et nos salua Sancte Pater
Per Matrem & Filium.
Exultent iusti in conspectu Dei
Et delectentur in lætitia.

ORATIO.

Deus qui in nostræ mortalitatis carne assumpta, vestes quibus tectus es in vtero, in præsepio & in cruce hoc in loco recondi voluisti, & tibi dilectorũ in somno mortis conquiescentiũ hic custodis ossa, supplices te precamur vt hi thesauri sint nobis monumenta virtutũ, sint Ciuitati huic propugnacula & turres cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibentes, donec de terrena ad cœlestem patriam te iubente vocemur & immortalitatis vestibus te iuuante circumdemur, Qui cum Patre, &c.

CONCILIA ET PLACITA Graniaquis habita.

Caput decimum.

CONCILIIS SVB IMPERATORE Karolo Magno & Ludouico Pio præsertim celebratis Aquæ Graneæ etiam claræ spectatæque sunt.

ANNO gratiæ octingentesimo nono sub Leone Papa III. Concilium Aquisgrani actum de addita ad Symbolum voce, Filioque, de tempore & causa huius Concilii Annales Francorum sub Ludonico editi hæc referunt. ann 809. Regino & alii.

Imperator, Karolus, Arduenna Aquisgranum reuersus, alij de Sylua Ardenna, mense Octobri Concilium habuit de processione Spiritus sancti; quam quæstionem Ioannes quidam monachus Hierosolymis primò concitauerat. Agitatum est etiam in eodem concilio de statu Ecclesiarum & conuersatione eorum, qui in iis Deo seruire dicuntur, nec aliquid tamen in iis definitum est, propter rerum, vt videbatur magnitudinem: Non disputatum autem an symbolum Nycænum & Constantinopolitanum cantare liceret sed tantum hoc controuertebatur, an symbolum hac voce, Filioque, benè auctum esset, & in Ecclesia cum huiusmodi additamento benè cantaretur.

anno 812. Anno salutis DCCCXII. à Karolo Magno habitum esse conuentum Aquis Veteres Francorum Annales testantur.

anno 816. Anno Redemptoris DCCCXVI. Tempore Stephani Papæ V. & Ludouici Imperatoris Primi celebratum Concilium est Aquisgranense, in quo Canonicis & Canonicam Vitam professis è sacris Canonibus sanctorumque Patrum dictis data ac monstrata Vitæ institutionis forma, quæ in certa capitula digesta cum extet in Basilica B. Mariæ Vrbis Aquensis in libro manu scripto (è quo indies legi consueuit lectio breuis horarum Canonicarum) etiamsi in Tomo tertio Conciliorum posita, attamen nonnulla eius hic recolenda, ac imprimis Regulam succinctã sub id tẽporis Canonicis præfixam, hoc est compendium regulæ Canonicorum in hoc Concilio editum, quæ in tomo 3. Conciliorum habetur loco epilogi verum in M.S. Basilicæ Aquensis statim in fronte libri occurrit hic exprimenda non abs re putaui vt Metropolitanæ & Cathedrales & Collegiatæ vetustiores Ecclesiæ, quæ antiquitus maiori ex parte sub regulari ac claustrali disciplina vixêre, aut secundum regulam D. Augustini vel Concilii Aquisgranensis & Turonensis statuta, vti ex eorum ædificiis, claustris & fundationibus liquidum fit, integritatem atque feruorem maiorum clarius dispiciant, iugiterque cordi impressam gestent.

1.Thes.5. *Oportet Canonicos vt animam corpusque suum ab omni inquinamento carnis & spiritus custodiant, vt iuxta Apostolum integer spiritus eorum & anima & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur, sobrie & iuste & pie viuant, secularia negotia prorsus abiiciant, quia iuxta eundem Apostolum: Nemo mili-*
2.Tim.2. *tans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.*

Ieiu-

*Ieiunium ament. hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant,
infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant,
dolentem consolentur, amori Christi nihil praeponant, caritatem
non derelinquant, pacem si fieri potest cum omnibus hominibus habeant,
diem iudicii timeant, vitam aeternam spiritualiter concupiscant,
spem suam Deo committant, proprio suo Episcopo in omnibus,
secundum Canonicam institutionem obtemperent, magistros suos non
temere reprehendant. Postremo in doctrinis spiritualib. operam dent,
lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, & caeterorum bonorũ exercitiis
iugiter incũbant. In dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes
dormiant & refectorio pariter reficiantur, cotidie ad collationẽ veniant,
Mox vt signum datũ fuerit omnes festino veniãt, & horas Canonicas
non negligant, sed cum omni religione pariter celebrent. Ecclesiam
nõ pompatice sed reuerenter ingrediantur, vaniloquiis nequaquãm
insistãt, sed cũ omni deuotione & veneratione diuinae seruitutis
opus peragant, scientes Angelorũ praesentiã semper illuc adesse. claustris
non nisi per licentiã egrediantur, egressi inreprehensibiliter viuant, vt
ab his qui foris sunt, bonum testimoniũ habeant, & religionẽ ac propositum
suum actib. illicitis nequaquam maculẽt: sed potius omnes, quibus
se coniunxerint, sale sapientiae, & bonorum operum exemplis condiant,
contubernia foeminarum nullatenus appetant, non vanis oculis
aut petulanti tumidoq; gestu ac dissolutis renib. incedant. Non spectaculis,
non põpis secularibus intersint, non aleae, non quibuslibet venationib.
inseruiant. Apostoli quoq; instructi documento, quo ait, non in* 1. ad Tim. 2.
*veste pretiosa, nequaquã pretiosis delectentur vestibus. Caueant summoperè
ne extra claustra moras faciant, nisi prout sibi à priori constitutũ
fuerit, & opportunitas temporis dictauerit. Intra claustra posita non
otio vacent, sed aut diuinis officijs, aut proprijs vtilitatibus, aut certè
magistrorum iussionib. pareant: ne otio torpentes ab Apostolo audiant,* 2. Thes. 3.
*qui non vult operari nec manducet. Seniores spiritualiter iuniores
diligant, iuniores senioribus obsequium dignum exhibeant. Doctiores
minus doctis nequaquam se praeferant, sed magis eos cum caritate*

ædificent, neque hi qui nobilitate generis, vel virtutum donis pollent, cæteris se tumide superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi caritatis officio seruiant, quibus etiam in refectorio comedentibus, & religiose silentium tenentibus continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant, & *castigent pueros* & *adolescentes negligentes verberum disciplinis: vt nullus in Collegio Canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus comedat: tales quippe in monasterio conuersari decet omnes, qui diuinis officijs se mancipârunt.* Sic terminatur compendium regulæ Canonicorum in M. S. Basilicæ Aquensis.

In nomine Domini summi incipit Prologus.

CVm in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Christianissimus ac gloriosissimus Rex Ludouicus superno munere Victor Augustus Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi 816. Indictione decima, Anno siquidem Imperij sui tertio Aquisgrani palatio generalem sanctumque conuocasset conuentum, & cœpisset secundum ardentissimam erga diuinum cultum sibi cœlitus inspiratam voluntatem multa congrua & necessaria, de emendatione Sanctæ Dei Ecclesiæ illius videlicet amore qui eam suo sancto & pretioso redemit sanguine, eique affuturum vsque ad consummationem polliceitus est seculi, sollerter ac curiosè pertractare: co vsque inter cætera peruentum est, vt eundem sanctum & venerabilem Deo annuente, aggregatum conuentum consuleret, immò consulendo admoneret, super quibusdam Ecclesiarum præpositis, qui partim ignorantia, partim desidia subditorum curam parui pendebant, & hospitalitatem minus iuste diligebant quid facto opus esset.

Matth. 28.

Adiunxit etiam monendo vt quia Canonicorum vita sparsim in SS. Canonibus, & in SS Patrum dictis erat indita, propter simplices quosque minusque capaces aliquam ex ijsdem SS. Canonibus & Sanctorum Patrum dictis, institutionis formam pari voto, parique consensu excerperent, per quam patenter Prælatorum, & subditorum vita monstraretur, quatenus omnes qui canonica censentur professione per viam propositi sui inoffenso gressu incederent, & in Christi militia deuotius vnanimes atque concordes existerent. Sed vt id nutu Diuino fieret Dominum in commune humiliter exorandum præmonuit vt seruorum suorum exorabilibus pulsatus precibus eius admonitionem secundum suam voluntatem fieri suaque gratia eam præcedere & subsequi dignaretur: ad quam etiam admonitionem sacer conuentus intimo gaudio repletus expansis in cœlum manibus creatori omnium gratias agens benedixit, quippe qui talem tamque benignum Ecclesiæ suæ sanctæ principem cunctis eius ne-

eſſicacibus ſapientiſſimum ac deuotiſſimum præſulem procuratorem. Suſcipiens ergo libentiſſimè bila[illegible] eius ſaluberrimam multis Deo miſerante profuturam admonitionem, licet pleriq; ue auxiliante Chriſto deuotè ac religiosè eum ſibi ſubiectis Canonicam ſeruarent inſtitutionem & in pleriſq; locis idem pleniſſimè ordo ſeruaretur, omnium tamen id animis ſedit vt ſecundum eiuſdem principis admonitionem vna diuino fieri auxilio & eiuſdem piiſſimi Principis non modico adiuti iuuamine, eius ſcilicet liberaliſſima largitione copiam librorum præ manibus habentes, ex Canonica auctoritate & ſanctorũ Patrum dictis veluti ex diuerſis pratis quoſdam floſculos carpentes hanc inſtitutionis formam excerperent, & Canonicis obſeruandam conferrent, vt quorum fortè labore ob tarditatem ingenii ſeu inopiam librorum ſparſim digeſta difficile compræhendi poſſet, ſolerti ſtudio in eodem opere breuiter congeſta perfacilè ab his reperiri poſſet, per quam, vt præmiſſum eſt, & Prælati rectò tramite incedere & ſubditi normam viuendi abſque ignorantiæ obſtaculo ſalubriter noſſent præbere. Vigilanti ergo ſtudio eãdem inſtitutionis formam colligere ſtuduerunt, in qua pleniſſimè continetur qualiter Prælati viuere & ſubiectos regere eiſque Eccleſiaſticos ſumptus miniſtrare, & in Dei ſeruitio conſtringere, benè operantes quoſque ad meliora prouocare, proteruos quoſque & negligentes debeant corripere.

Cum igitur huius inſtitutionis formam coram memorato glorioſo Principe prolatam ſacer conuentus laudibus extuliſſet & Eccleſiaſtica auctoritate fulcitam, laudeque dignam & ſanctæ Eccleſiæ vtiliſſimam atque proficuam conſona voce prædicaret, nihilque in ea repræhenſionis ab his qui ſanum ſapiunt reperiri poſſe profiteretur, ab eodem Victorioſiſſimo Principe ab omnibus qui aderant Deo gratias acclamatum eſt. Nec immerito: quippe qui & occulta ſua diſpenſatione & gratiſſima inſpiratione præfatum Principem vt id fieri moneret, compulit, & vt ad effectum produceretur miſerando adiuuit: Proinde ex omnium ſententia ſtatutum eſt ab omnibus qui in Canonica profeſſione Deo militant, hanc inſtitutionis formam tot Eccleſiaſticorum virorum Vigilanti ſtudio congeſtam, dignisque præconiis laudatam iuxta virium poſſibilitatem modis omnibus obſeruandam, quatenus hanc ſiue aliarum ſcripturarum documenta ſedula meditatione perlegentes & Prælati & ſubditi vocatione, qua vocati ſunt, ope diuina adminiculati infatigabiliter ambulẽt, & pro tam piiſſimo Principe, qui ob lucrum animarum hoc ſacrum & venerabile Concilium ad hãc formam congerendam & ſtatuendã ſalutiferis admonitionibus excitauit, modernis futuriſq; tẽporibus Dei immenſam clementiam iugiter exorent. Nã & in altero idẽ ſacer cõuentus eodẽ religioſiſſimo Auguſto monente quandam inſtitutionis formulã ex ſanctorum Patrum dictis ſtudiosè excerpſit, & in vnum breuiter ſatiſq; congruenter cõgeſſit, & Sanctimonialib. Canonicè degentibus tenendã percenſuit. In qua cõtinetur, quales ei Abbatiæ præferendæ ſint, qualiter eiſdẽ Sanctimonialib. infra Clauſtra monaſterii viuendũ quid à Prælatis ſtipendiorum dandum, quibus documentis & virtutũ inſtrumẽtis exornandæ ſunt, quatenus hac formula viuendi inſpecta, & Deo ſibi adiutorium præbente, humiliter ſuſcepta, & efficaciter impleta, cum bonorum operum lampadibus venienti ſponſo apparere, atque eius Thalamum ingredi mereantur.

Excommunicatio.

EX auctoritate Patris & Filij & Spiritus Sancti & Sanctæ Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi, & S. Michaelis, & Ioannis Baptistæ, & sancti Petri & Pauli principum Apostolorum, & S. Stephani & omnium Martyrum, & S. Syluestri & omnium Confessorum, & sanctæ Aldegundis & sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum qui sunt in cælo & in terra. Anathematizamus & à liminibus S. Matris Ecclesiæ segregamus illos, qui hoc furtum fecerunt, siue conscij fuerunt, siue consiliarij fuerunt, siue sibi inde aliquid vsurpauerunt. Sint maledicti in domibus, in horreis, in lectulis, in curia in campo, in agro, in via, in villa, in ciuitate, in castello. Maledicti in silua, maledicti in flumine, maledicti in gurgite, maledicti in Ecclesia, maledicti in cœmiterio, maledicti in tribunalibus iudicum, maledicti in foro, maledicti in duello. Maledicti orando, maledicti loquendo, maledicti tacendo, maledicti manducando, maledicti bibendo, maledicti dormiendo, maledicti vigilando, maledicti palpando, maledicti ambulando, maledicti sedendo, maledicti stando, maledicti currendo, maledicti quiescendo, maledicti equitando, maledicti audiendo, maledicti videndo, & gustando. Maledicta sint omnia eorum opera, maledicantur capita eorum, oculi eorum, nares, pupillæ, dentes, linguæ, guttur, pectora, corda, venter, iecur, stomachus, splen, vmbilicus, visica, crura, pedes, manus, brachia, scapulæ, dorsa eorum, & omnis caro eorum, & omnis cutis eorum, à verticibus capitum vsque ad plantas pedum eorum quidquid interest totum maledicatur, & maledicantur quinque sensus corporum eorum. Id est visus, gustus, auditus odoratus, & tactus, & maledicantur in omnibus operibus.

Adiuro te Diabole & omnes satellites tuos, per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, vt nullam habeas requiem diebus nec noctibus donec perducas eos ad æternum & ad seculare dedecus, siue submergantur in fluminibus, siue suspendantur in eculeis, vel deuorentur à sylaestribus bestijs, vel lacerentur ab auibus cæli, siue comburentur

inflammis, siue interficiantur ab inimicis, & *odio habeantur ab omnibus viuentibus. Filii eorum orphani, & vxores eorum sine viris efficiantur viduæ. Non sit illis adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eorum. Et sicut Lucifer abiectus est de cælo, & sicut Adam expulsus de paradyso. Sic abiiciantur & expellantur de hac cotidiana luce, & de eorum habitationibus & ab omni hæreditate eorum, & post obitum eorum sepeliantur in pascuis asinorum. Fiat quoque pars eorum cum Datan & Abiron, & cum Iuda, & cum Pontio Pilato, & cum eis qui dixerunt Domino Deo. Recede à nobis, viarum tuarum scientiam nolumus. Et sicut exstinguuntur hæ lucernæ de manibus nostris, sic extinguantur lucernæ oculorum eorum nisi resipiscant,* & *ad satisfactionem perueniant, fiat, fiat. Amen.*

Præmemorata excommunicatio in præsumentes transcriptum hunc librum ex Augustino, Gregorio, Hieronymo, Isidoro, aliis Patribus excerptum sacrilega manu auferre, quæ in Tomis Conciliorum non habetur ideo forsan sub tam diris interminata fuit, quod facile huius æui scribendi genus, nempe typographicum imprimendi libros characteribus ex metallo, plumbi æris & stibii conflatis artificium nouo atramenti genere necdum esset orbi cognitum, perspecta præsertim Scripti libri vtilitate.

Incipiunt Capitula.

Excommunicatio.

EX *auctoritate Patris & Filij & Spiritus Sancti & Sanctæ Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi, & S. Michaelis, & Ioannis Baptistæ, & sancti Petri & Pauli principum Apostolorum*, & *S. Stephani* & *omnium Martyrum*, & *S. Syluestri* & *omnium Confessorum*, & *sanctæ Aldegundis & sanctarum Virginum , & omnium Sanctorum qui sunt in cælo & in terra. Anathematizamus & à liminibus S. Matris Ecclesiæ segregamus illos, qui hoc furtum fecerunt, siue conscij fuerunt, siue consiliarij fuerunt, siue sibi inde aliquid vsurpauerunt. Sint maledicti in domibus, in horreis, in lectulis, in curia in campo, in agro, in via, in villa, in ciuitate, in castello. Maledicti in silua, maledicti in flumine, maledicti in gurgite, maledicti in Ecclesia, maledicti in cæmiterio, maledicti in tribunalibus iudicum , maledicti in foro, maledicti in duello. Maledicti orando, maledicti loquendo, maledicti tacendo, maledicti manducando, maledicti bibendo, maledicti dormiendo, maledicti vigilando, maledicti palpando, maledicti ambulando, maledicti sedendo, maledicti stando, maledicti currendo, maledicti quiescendo, maledicti equitando, maledicti audiendo, maledicti videndo, & gustando. Maledicta sint omnia eorum opera, maledicantur capita eorum, oculi eorum, nares, pupillæ, dentes, linguæ, guttur, pectora, corda, venter, iecur, stomachus, splen, vmbilicus, visicæ, crura, pedes, manus, brachia, scapulæ, dorsa eorum, & omnis caro eorum*, & *omnis cutis eorum, à verticibus capitum vsque ad plantas pedum eorum quidquid interest totum maledicatur, & maledicantur quinque sensus corporum eorum. Id est visus, gustus, auditus odoratus, & tactus, & maledicantur in omnibus operibus.*

Adiuro te Diabole & *omnes satellites tuos, per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, vt nullam habeas requiem diebus nec noctibus donec perducas eos ad æternum & ad seculare dedecus, siue submergantur in fluminibus, siue suspendantur in eculeis, vel deuorentur à syluestribus bestijs, vel lacerentur ab auibus cæli, siue comburentur*

in flammis, siue interficiantur ab inimicis, & *odio habeantur ab omnibus viuentibus. Filii eorum orphani, & vxores eorum sine viris efficiantur viduæ. Non sit illis adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eorum. Et sicut Lucifer abiectus est de cælo, & sicut Adam expulsus de paradyso. Sic abiiciantur & expellantur de hac cotidiana luce, & de eorum habitationibus & ab omni hæreditate eorum, & post obitum eorum sepeliantur in pascuis asinorum. Fiat quoque pars eorum cum Datan & Abiron, & cum Iuda, & cum Pontio Pilato, & cum eis qui dixerunt Domino Deo:* Recede à nobis, *viarum tuarum scientiam nolumus. Et sicut exstinguuntur hæ lucernæ de manibus nostris, sic extinguantur lucernæ oculorum eorum nisi resipiscant,* & *ad satisfactionem perueniant, fiat, fiat. Amen.*

Præmemorata excommunicatio in præsumentes transcriptum hunc librum ex Augustino, Gregorio, Hieronymo Isidoro, alijs Patribus excerptum sacrilega manu auferre, quæ in Tomis Conciliorum non habetur ideo forsan sub tam diris interminata fuit, quod facile huius æui scribendi genus, nempe typographicum imprimendi libros characteribus ex metallo, plumbi æris & stibij conflatis artificium nouo atramenti genere necdum esset orbi cognitum, perspecta præsertim Scripti libri vtilitate.

Incipiunt Capitula.

XI. eiusdem ad Decanum de Episcopis.
XII. Augustini de Pastoribus.
XIII. Gregorij de pastoribus animarum quales in Ecclesia elegi debeant.
XIV. eiusdem vt indigni atque imperiti ad Pastorale magisterium accedere non præsumant.
XV. item Isidorus de indignis Præpositis.
XVI. eiusdem de indoctis Præpositis.
XVII. item Gregorij de ijs qui in regimine prodesse possunt, sed idē officium per quietem propriam refugiunt.
XVIII. item Isidori de Præpositis Ecclesiæ.
XIX. Prosperi quod Sacerdotes Sancti contemplatiuæ vitæ fieri participes possunt.
XX. Isidori de doctrina, & exemplis Præpositorum.
XXI. Gregorij de humilitate Præpositorum.
XXII. item Isidori de humilitate Præpositorum.
XXIII. eiusdem de doctrina discretione.
XXIV. Gregorij qualiter Prælati subiectos doceant ac semetipsos discreta circumspectione præuideant.
XXV. Isidori de doctorum silentio.
XXVI. Gregorii de Pastoribus non recte gradientibus.
XXVII. Prosperi quod nihil prosit sacerdotium si benè viuat, si malè viuentes tacendo non arguat.
XXVIII. Prosperi de negligentia sacerdotis, qui doctrinæ suæ agendo contrarie personam non potest implere doctorum.
XXIX. item Isidori de iis qui bene docent & malè viuunt.
XXX. eiusdem de exemplis prauorum sacerdotum.
XXXI. eiusdem de Præpositis carnalibus.
XXXII. Prosperi luctuosa descriptio carnaliter viuentium sacerdotū.
XXXIII. Isidori de iracundis doctoribus.
XXXIV. Gregorii de pastoralis Zelo officii erga subditos.
XXXV. item Prosperi quod Sacerdotes nihil proprium habeant, Ecclesiæ facultates quoque tanquam communes quomodo administrarunt, Deo rationem reddituri sint.
XXXVI. item Isidori de disciplina sacerdotum in iis qui delinquunt.
XXXVII. item Gregorii de collata Episcopis potestate soluendi atque ligandi.

XXXVIII. eiusdem de Episcopis qui pro ordinatione sacerdotii munera libenter accipiunt.

Capitula Canonum.

LXII. Quod vsuram non solum clerici exigere non debent, sed nec laici Christiani,

LXIII. de his qui in esu carnium in clero constituti diffugiunt.

LXIV. de numero certo Diaconorum.

LXV. de his qui abominantur eos qui carnibus vescuntur.

LXVI. de his quæ in vsus pauperum conferuntur.

LXVII. de his qui pro virginitate superbiunt.

LXVIII. de his qui Dominica die ieiunant, tanquam nihil præ cæteris differente.

LXIX. de his qui Ecclesiastica ieiunia absque necessitate dissoluunt.

LXX. de his qui se à perceptione Sanctæ communionis auertunt & qui excommunicatis per domos excommunicantur.

LXXI. de his qui in aliis parochijs præter conscientiam Episcoporum suorum commorantur.

LXXII. de Clericis excommunicatis & laicis.

LXXIII. de Episcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem.

LXXIV. de damnatis Episcopis aut Clericis adeuntibus Imperatorem.

LXXV. vt hi qui in sacrario seruiunt vsuras non exigant.

LXXVI. de ijs qui debeant in ambone id est in pulpito psallere.

LXXVII. de honore quem Presbyteris diaconi, qui sub ipsis sunt, debeant exhibere.

LXXVIII. Quod Subdiaconi non debeant benedicere vel benedictionem tribuere.

LXXIX. de exorcistis qui non sunt ab Episcopis ordinati.

LXXX. in Ecclesia prandia fieri non debere.

LXXXI. Quod præter Episcopi conscientiam Clericus proficisci non debeat.

LXXXII. vt ad sacrarium mulieres non introeant.

LXXXIII. non licere Clericis ludicris spectaculis interesse.

LXXXIV. oblationes offerri domibus non oportere.

LXXXV. de Clericis & Monachis, nō manentibus in suo proposito.

LXXXVI. Quod non oporteat Clericos habentes aduersus inuicem negotia proprium Episcopum relinquere, & ad sæcularia iudicia conuocari.

LXXXVII. Quod minimè clericos transmigrare conueniat.

Sancta & Venerabilia loca, quæ olim monasteria fuere & congregationes habuerunt & penitus neglecta sunt, placuit quamuis rebus careant, vt pristinum nomen retineant.

Cella XX. mansos habens seruitium publicum facit, quæ XL. mansos habet Presbyteros duos, & diaconem & alios Clericos habeat. Quæ C. mansos habet, Presbyteros duos & Diaconem & alios Clericos tres habeat. Quæ C. & XL. mansos habet Clericos duodecim habeat. Quibus omnibus aut tantum rerum tribuatur, vnum victum & vestium habere valeant, aut à Prælatis suis siue Clericus siue laicus fuit, necessaria stipendia & vestimenta, vnum subsidia tẽporalia habere valeant, conferantur & congrua claustra ipsis habitacula, vbi conuersari debeant ab iisdem construantur, & sic in prouidentia Episcopi vt ordine Canonicorum viuant. In locis vero vbi plures mansi habentur sic viuant sicuti à vestra pietate statutum est. vnde vnde

Ipsa capita eorumque contenta quoniam in tomo 3. conciliorum posita sunt breuitatis institutæ memor hic missa facio.

In eodem concilio regula Canonissarum Canonicarumque Virginum XXVIII. Capitulis compræhensa promulgata est quam manuscriptam ex Bibliotheca Viri Doctissimi N.colai Fabri Parisiis habitam propediem luci dabit Aubertus Miræus auidissimus veterum monumentum inquisitor Seren. Belgicæ Archiducum Bibliothecarius.

Ex huius Synodi Aquisgranensis decreto translatio Diui Huperti Tongrensis Episcopi Andainum permissa est anno ab eius morte 90

Eodem hoc anno Redemptoris 816. Tertio Ludouici Imperatoris in prouinciali conuentu Aquisgrani Meinulphus accepit licentiam ædificandi Monasterium Virginibus Canonicis Regularibus, vt habent vitæ eius acta à Gobelino conscripta.

Extat post lib.7. Capit. Francorum pag.339.&c.

Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi 817. Imperij vero gloriosissimi Principis Ludouici IV. v i. Idus Iulij tempore Paschalis Papæ primi cum in domo Aquisgrani Palatij quæ Lateranis dicitur, Abbates cum quampluribus vna cum suis resedissent Monachis, quę subsequuntur Capitula communi consilio ac pari voluntate inuiolabiliter à regularibus conseruari decreuerunt.

Index Capitum.

1. De Abbatibus mox vt ad Monasteria sua remeauerint vt regulam discutiant & efficaciter legant, & quod legerint & intellexerint cum suis obseruent monachis.
2. de Monachis vt regulam S. Benedicti, qui voluerint memoriter discant.
3. de regulari officio, vt iuxta præceptum S. Benedicti celebretur inter alia.
4. vt tam in coquina, quam & in cunctis monasterij officinis Monachi operentur, & vt ipsi vestimenta sua lauent.
5. de Monachis vt post matutinalem expletionem nisi ante constitutam surrexerint horam, denuo adlectos suos non præsumant causa dormiendi redire.
6. vt Monachi nisi in Sabbato Sanctæ Paschæ per totam quadragesimam non radantur; alio tempore post finitos x v. dies licito radantur, tam in Sabbatis quam in Octaui. Paschæ.
7. de balnearum vsu.
8. de non edendis volatilibus Monachis intus forisve, nisi infirmitatis causa.
9. ne Episcopi Monachis volatilia comedere præcipiant.
10. ne à Monachis poma & lactucæ, nisi quando alius cibus sumitur, manducentur.
11. de certo tempore phlebotomandi obseruando, & vt Monachis tunc ibi cibus potusque magis in supplementum largiatur.
12. vt si necessitas postulauerit, Monachis post vespertinum cibum ante lectionem completorum potus tribuatur: similiter quadragesimali tempore, vel quando mortuorum officiũ egerint.
13. de Monacho à Priore suo increpato.

14. ne

14. ne nudi coram aliis vapulent.
15. ne soli in itinere dirigantur Monachi.
16. ne sibi compatres vel commatres monachi faciant.
17. vt murmurent Monachi tempore legendi & meridiano occupati ad colligendas fruges.
18. de Monachis quarta & sexta feria ieiunantibus.
19. vt in quadragesimali tempore Monachi libros accipiant.
20. de vestimento Monachis nec satis pretioso, nec satis vili dando.
21. de cucullæ mensura.
22. de potestate Abbatis si extra mensuram infra positam aliquid addendum decreuerit.
23. de pedibus fratrum vicissim lauandis.
24. de mandato post cænam faciendo.
25. de mensura Monachorum vt ea Abbates illorum sint contenti.
26. de villis fratrum vt eas non circumeant Monachi.
27. de Abbate, vel quolibet Monacho ne ad portã monasterij quocunque hospite manducare præsumat.
28. ne seruitores fratrum post refectionem eorum ad vnam mensam, sed in propriis sedeant locis.
29. de lectore, vt nihil nisi quod Regula decernit accipiat.
30. de alleluia in septuagesima dimittendo.
31. de Præposito, vt maiorem quam cæteri habeat potestatem.
32. de Præposito Monachis non constituendo, nisi & ipse Monachus sit.
33. de senioribus fratribus monasterium circumeuntibus.
34. de nouicio fratre, vt non facilis ei in monasterium tribuatur ingressus.
35. de Monacho quam professionem faciat.
36. de puero, vt pater & mater eum ad altare offerant.
37. de infantibus oblatis vt carnem non comedant.
38. de fratribus post sextam dormientibus.
39. de fratribus vt vsque nonam in quadragesima operentur.
40. de his fratribus qui quolibet modo tamen grauiter delinquunt.
41. de eo qui in refectorio negligenter coram fratribus aliquid excesserit.
42. de plebeio non recipiendo in monasterio, nisi prius Monachus fieri voluerit.

43. Ne Monachus iurando testimonium re[illegible], nisi sicut sancti Patres consenserunt loqui.
44. De Abbatibus cellulas Monachorum vel Canonicorum habentibus.
45. De Schola in monasterio non habenda, nisi de his qui oblati fuerint.
46. De præcipuis solemnitatibus Sanctorum, vt plenarium in eis officium fiat, & bis Monachi edant.
47. De ieiunio Parasceue.
48. De benedictione post completorium.
49. De decimis dandis tam Ecclesiæ quam pauperibus.
50. De specialibus psalmis pro eleemosynariis & defunctis cantandis.
51. De Pentecoste vt per hebdomadam non flectantur genua, neq; ieiunetur, nisi dies ieiunii extiterint.
52. De laicis in refectorium Monachorum manducandi vel bibendi causa non ducendis.
53. De vestimentis & calciamentis, vt fratribus quoties expedit dentur.
54. De his qui præponuntur, vt nonni vocentur.
55. De seniore Decano.
56. De Præposito, Decano, & Cellario.
57. De libra panis vt triginta solidos penset antequam coquatur.
58. De dormitorio hospitum.
59. De Abbatibus vt secum Monachos in itinere, non nisi ad Synodum ducant.
60. De duobus signis ad tertiam, nonam pulsandis.
61. De Monachis, vt disconsutas cappas non habeant, nisi tantum villosas.
62. De Abbatibus & Præpositis atque Decanis, vt benedictionem lectoribus tribuant, licet Presbyteri non sint.
63. Vt è fratribus docti eligantur qui superuenientibus Monachis loquantur.
64. De incerto furto vt oratio & excommunicatio fiat, quousque qui culpabilis existit, manifestetur.
65. De Monacho qui aduersus alium Monachum testimonium protulerit.

66. De

66. De Psalmo inuitatorio & Gloria pro defunctis non cantando.
67. De lectore vt stans benedictionem petat.
68. De eulogiis in refectorio fratribus à Presbyteris dandis.
69. Quod ad capitulum primo martyrologium legendum sit, & versus posteà dicendus, inde regula.
70. De electione in capitulo exponenda.
71. De ieiunio fratrum æstiuo tempore.
72. De eo qui culpæ noxa tenetur, vt die Dominico remissius habeat.
73. De anniuersaria die pro defuncto Abbate celebranda.
74. De eo, vt ad Missam inclinati Sanctus dicant, & ad pater noster genu flectant.
75. Non debet aliquis pro munere in monasterio recipi.
76. De mensura cibi & potus, quæ Monachis separatim debet tribui.
77. De fratrum pinguedine, quam accipere debeant, in victu quotidiano.
78. In Domini Natale & festiuitate Paschæ Monachis volatilia sumere quatuor diebus concessum est.
79. De muffulis Monachis dandis.
80. De disciplinæ modo.

Argumenta horum Capitulorum indicasse sat erit: de rebus in hoc conuentu gestis auctor innominatus in vita Christianissimi Imperatoris Ludouici ita eloquitur. *Imperator generalem habuit habuit conuentum Aquisgrani in quo quantum feruoris circa diuinum cultum in arca pectoris gestaret, tanto adnisu declarauit, congregatis enim Episcopis, nobilissimoque sanctæ Ecclesiæ Clero, fecit componi, ordinarique librum Canonicæ vitæ normam gestantem, in quo totius illius ordinis perfectio continetur, sicut reclusus ipse fatetur. In quo etiam inseri iussit cibi potusque atque omnium necessariorum summã, vt omnes tam viri quam sanctimoniales sub hoc ordine Christo seruientes nullis præpediti necessitatibus libera seruitute Domino omnium militare meminissent: quem librum per omnes ciuitates & monasteria Canonici ordinis sui Imperii misit per manus Missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis locis transcribi facerent, debitaque atque conscripta exigerent stipendia ministrari. Quæ res*

magnum Ecclesiæ contribuit exultationis tripudium & pijssimo Imperatori debita cũ laude immortale monumentum. Itidemq́; cõstituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & *cũ eo monachos strenuæ vitæ per omnia, qui per omnia monasteria monachorum euntes, redeunteśq; uniformem traderent cunctis Monasterijs tã viris quam sanctimonialibus fœminis viuendi secundum Regulam S. Benedicti incommutabilem morem.* Et paulo post. *Considerans etiã idem pijssimus Imperator non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ seruituti: sed multorum auaritiam abuti ministerio Ecclesiastico ad proprium quæstum; statuit vt quicunque ex seruili cõditione, conciliante scientia, & morũ probitate ad ministerium altaris adsciscceretur primum manumitteretur à proprijs Dominis, vel priuatis vel Ecclesiasticis,* & *tunc demum gradibus altaris induatur. Volens etiam vnamquamq; Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per eiuscemodi inopiam Diuini cultus negligerentur: inseruit prædicto edicto vt per singulas Ecclesias mansus tribueretur vnus cum pensatione legitima* & *seruo & ancilla.* Hæc erat sancti Imperatoris exercitatio, hic quotidianus ludus, hæc palæstrica agonia, spectante Deo, quo eius vita in sancta doctrina & operatione clarius eniteret, qui in pomparum sublimitate constitutus, imitando Christum humilitate altius eminebat. Denique tunc cœperunt deponi ab Episcopis & clericis cingula baltheis aureis & gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui: monstro enim simile ducebatur, si Ecclesiasticæ familiæ deputatus conaretur aspirare ad sæcularis gloriæ ornamenta.

In hoc eodem conuentu Aquisgranensi, quod Apostolicæ Sedis Legatione petebatur, Ludouicus Imperator, confirmauit quæcumq; à prædecessoribus suis donata vel restituta fuissent Romanæ Ecclesiæ de his scribens publicam Constitutionem, quam tum sua, tũ suorum subscriptione firmauit, atque sigillo muniuit; meminit huius Leo Ostiensis in Chronico Cassinate cum ait: *Vltimo huius Abbatis, Theodomari scilicet, anno, Ludouicus Imperator, qui cognominatus est Almus, vel sanctus, huius Karoli filius, quarto imperij sui anno Aquisgrani in palatio cũ plurib. totius Franciæ * Abbatibus religiosisq;*

Leo Ostiens. lib. 1. c. 18.

* Episcopis.

Mona

*Monachis Concilium faciens, vtilissima nostri ordinis obseruationi * 80. generali i Capitula constituit, quæ omnia apud nos perinde ferè ac si Regula S. Benedicti obseruantur. Hic pactum Constitutionis & Confirmationis fecit B. Petro Apostolo eiusque Vicario Domino Paschali, parentes suos Pipinum & Carolum imitatus, manusque suæ ac filiorum subscriptione corroborans, decem Episcopos, octo Abbates & Comites quindecim, Bibliothecarium, Mansionarium & Ostiarium vnum subscribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theodorum Nomenclatorem Domno Paschali Papæ transmisit.* *62.

Extat fragmentum huius Constitutionis in Decreto Gratiani dist. 63. ac integra ex monumentis vaticanis eruta habetur in tom. 3. Concil. Seuer. Binij.

Anno DCCCXIX. Conuentus Aquisgranensis tempore Paschalis Papæ primi & Ludouici Imperatoris celebratus est de quo ista habent Annales Francorum: *Anno Redemptoris* DCCCXIX. *Ludouicus Imperator hyeme conuentum habuit Aquisgrani, in quo multa de statu Ecclesiarum & Monasteriorum tractata atque ordinata sunt, legibus etiam capitula quædam pręnecessaria quia deerant, addita sunt.* Auctor Vitæ Ludouici addit hunc Conuentum Aquisgrani habitum fuisse ea occasione, vt renuntiantes sibi MISSOS de omni regno suo, quos pro statu S. Ecclesiæ restaurando, deiecto vel confirmando miserat, audiret. Quos hic auctor Vitæ Ludouici MISSOS nominat, iidem lib. 2. capitular. capit. 24. & 25. Legati Dominici vocantur. Imperator per singulas prouincias Episcopum atque vnum Comitem ablegauerat qui capita legum Ecclesiasticarum singulis Ecclesiis describenda offerrent, eaque pro honore Dei & augmento Ecclesiæ vbique in Galliis obseruari curarent. Auctoritate Sedis Apostolicæ Carolum & Ludouicum Imperatores hos conuentus frequentiores pro reformatione Gallicanarum Ecclesiarum indixisse, egesque Ecclesiasticas sanciri vel potius olim sancitas promulgari procurasse, ipsi pluribus capitulis libri 6. & 7. quæ recenset Baron. anno 818. palàm profitentur. Collector Capitulorum Benedictus Leuita in fin. libri 7. apertè testatur nullum Capitulorum vnquam ab ipsis publicatum quod non prius authoritate Apostolica confirmatum fuisset.

Christi anno 828 Galliæ mirificè illustratæ sunt ex sacris Reliquijs SS. Marcellini & Petri Roma delatis multiplicibus signis, quo quidem anno celebratus est Aquisgrani conuentus vt veteres Francorum Annales produnt, meminit eius clarissimus illius temporis scriptor Einhardus siue Eginhardus qui fuit à secretis Carolo Magno & Ludouici Pij fidus consiliarius, qui se ad hunc conuentum vna cum aliis optimatibus ex more vocatum affirmat, quando & diuinitus est admonitus Ludouicus de his quæ agere deberet.

Hoc ipso conuentu habito mense Februarij Baldrenius Dux Foroiuliensis quod eius ignauia Bulgari inuasissent, vastassentque regiones ad Imperium orientale spectantes, pulsus est ducatu cuius potestas inter quatuor diuisa est consortes. Duces etiam qui missi erant aduersus tyrannos damna Francorum regno inferentes, quod rem soco diter peregissent, in hoc conuentu in ordinem ignominiosè redacti sunt.

Anno 836. Concilium Aquægranense habitum est de Ecclesiastica disciplina Indictione XIV. sub Gregorio Papa IV. conuocante Episcopos gloriosissimo & orthodoxo Imperatore Ludouico inuictissimo Augusto gratia inspirante Diuina Aquisgrani Palatii in Secretario Basilicæ Sanctæ Genetricis Dei Mariæ quod dicitur Lateranis anno Imperii prædicti Cæsaris XXIV. 8. Iduum mensis Februarii, & quia duobus mundus hic regitur, authoritate sacrata Pontificum, & regali potestate, actum hoc concilio primo de vita, doctrina, moribus & officio Episcoporum, 2. de moribus & officio Abbatum, aliorumque inferioris ordinis Ecclesiasticorum, 3. de Imperatore eiusque filiis ac ministris rectè disponendis: filii siquidem Ludouici Imperatoris Patrem optimum oppugnârant Imperioque abdicare coegerant: in hoc igitur conuentu filii reconciliati sunt Parenti, quin & Iuditha Vxor Imperatoris de adulterio falsò incusata Aquisgrani sese purgans recipitur: Domesticus author Vitæ Ludouici ann. 836. de Concilio Aquisgranensi ista summatim habet: *In ipsis etiã diebus in quibus purificatio Beatissimæ semper Virginis Mariæ celebratur, conuentus quidam imaginis, sed præcipuè Episcoporum Aquisgrani conuenit, in quo cum de aliis vtilitatibus Ecclesiæ necessariis: tum præcipue de hisce rebus questum est quas Pipinus* & *sui multis Ecclesiis abstulerunt: Ob quam rem Imperialis auctoritatis* & *com-*

munio-

munionis consilii commonitorium ordinatur, quibus commoneretur Pipinus & sui cum quanto periculo res Ecclesiasticas peruaserint: quæ res prosperum suscepit exitum, nam Pipinus monita Pii Patris, sanctorumq; virorum libenter suscipiens omnia inuasa etiam per auunculi sui impressionem obedienter restituit.

Titulos Capitulorum ipsa Capitula huius Concilii in tres libros digesta breuitatis institutæ memor prætereo, peti possunt è tomis Conciliorum Binii.

Anno DCCCXXXXII. Concilium apud Aquas Grani celebratum tempore Gregorii Papæ I V. & Lotharii Imperatoris hac de causa. Lotharius Imperator fratrum suorum regna affectans, vt solus monarchicum teneret Imperium, ciuili bello eosdem aggressus est; illi contrà missis ad eum crebrioribus legationibus pacem quidem expetiuerunt, sed non impetrarunt ante, quam semel atque iterum eum in fugam adegissent. Consulentes igitur Episcoporum conuentum Aquisgrani congregatum, quid de regno à fratre derelicto ipsis agendum videretur, acceperunt responsum, quod his verbis describit Nithardus lib. 2.

Quibus (Episcopis scilicet) ab initio gesta Lotharii considerantibus, quomodo patrem suum Regno pepulerit: quoties populum Christianum periurum sua cupiditas effecerit: quoties idem ipse hoc quod patri fratribusque iurauerat frustrauerit: quoties post patris obitum fratres suos exhæreditare atque delere tentasset: quoties homicidia, adulteria incendia, omnigenaque facinora vniuersalis Ecclesia sua nefandissima cupiditate perpessa sit. Insuper autem neque scientiam gubernandi Rempublicam vllum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet inuenire posse ferebant. Quibus ex causis non immeritò, sed iusto Dei omnipotentis iudicio, primum à prælio, & secundo à proprio regno fugam illum iniisse aiebant. Ergo omnibus vnanimiter visum est, atque consentiunt, quod ob suam nequitiam vindicta Dei illum eiecerit, Regnumque fratribus suis melioribus se iustè ad regendum tradiderit. Veruntamen haudquaquam illis Episcopi hanc licentiam dedêre, donec palam illos percontati sunt, vtrum illud per vestigia fratris eiecti, an secundum Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem, in quantum nosse & posse Deus illis concederet, secun-

Episcopi trāsferunt Regnū Lotharii in Ludouicum & Carolum fratres.

dum suam voluntatem se & suo, gubernare, & regere velle, aiunt: *Et auctoritate Diuina, vt illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atq; praecipimus.*

Anno Dominicae Incarnationis 862. tempore Nicolai Papae V. coactum ad Aquasgrani Conciliabulum quo octo Episcopi declararũ Lotharium Francorum Regem à vinculo Matrimonij cum Theutberga contracto liberum & solutum esse, ideo quod ipsa cum fratre incœstuoso in adulterium commisisset, hunc Conuentum Episcopo cum Lotharius Rex Francorum ea de causa indixerat vt honesto aliquo praetextu Theutpergam vxorem legitimam à suo consortio sepe raret & Waldradam pellicem, quam à pueritia consuetudine puerili iunctus adamauerat in coniugem duceret: promiserat Lotharius Ganthario seu Guntherio, Coloniensis Vrbis Pontifici teste Reginone, futurum vt eius neptem acciperet in vxorem, qua vana spe, vt postea claruit, ille elatus ac seductus Theutgaudum vel Thiergandum Archiepiscopum Treuirensem virum simplicem in eãdem sententiam pertraxit, itaq; octo Episcopi nempe Gunthatius, Agrippinensis Episcopus & sacri palatij Archicapellanus, Theutgaudus Treuirensis Archiepiscopus, Aduentius Mediomatricorum Episcopus, Atto Viridunensis Episcopus, Arnulphus Tullensis Episcopus, Franco Tungrẽsis Episcopus, Vngarius Episcopus, Ratholdus Argẽtoriensis Episcopus prae misso examine rei ex diuinorum eloquiorum documentis, ex statutis Patrũ Canonicisq; sanctionibus nec nõ & alijs varijs causis legitimae vxoris repudiandae excogitatis per grauem errorem declarãrũt; quod cum Theutperga incaestus cum fratre Humberto commissi rea esset, Lotharius tanquã innocens eiusdem coniugio solutus, post dimissam adulteram cũ alia matrimonium licitè contrahere possit. Ad eiusdem Regis causam firmius corroborandã, Aduentius oblato libello (ut exstat apud Baron. ann. 862. num. 29) longam texuit fabulam, qua conatur probare Waldradam Lotharij pellicem, ei iam in tenera aetate matrimonio iunctam fuisse. Theutpergam verò postea eidem inuito à patre Lothario Augusto obtrusam esse: ac proinde nõ Theutpergam, sed Waldradam legitimã Regis Lotharij vxorem esse. Haec refert Regino in Chron. his verbis: *Non multo post interiecto tempore, iterũ aduentum Synodalem Aquisgrani coadunant, vbi Rex libellum suae proclamationis obtulit, vbi continebatur, qua*

liter in quadam fœmina Thietberga nomine factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus, immo non mediocriter repetiuit, quod iudicio Episcoporum dissidij sententiam pertulisset, quæ si idonea esset, coniugali thoro & pestifera incæstus pollutione fœdata non fuisset, nec viuæ vocis confessione publice condemnata sponte eam retineret: porro se incontinentem ipse professus est, & sine copula iuuenilis ætatis ardorē ferre non posse. Allatis itaque diuersorum conciliorum voluminibus, multa de incæstuosis replicata sunt, quibus recitatis hanc definitiuam sententiam protulerunt. Credimus illam non fuisse idoneam ac legitimam coniugem, neque à Deo præparatam esse vxorem, quæ publica confessione incæstuoso fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioso Principi nostro pro sua in diuino cultu deuotissima assertione, atque victoriosissima Regni tuitione, cui non solum nos verum etiam Canonica auctoritas interdixit incestuosum coniugium, legitimum matrimonium à Deo illi concessum non denegamus, iuxta indulgentiam dicentis Apostoli, melius est nubere, quā vri. His ita patratis Vvaldrada iam in publicum procedit, stipata obsequentium multitudine, omnisque Regia aula resultat, Vvaldradam Reginam esse. Eos eorumque scripta, qui huic concilio interfuerunt anathematizauit, postea Nicolaus Pontifex omnique Ecclesiastica dignitate priuauit, vti ex eius epistola euidens fit.

Sententia pro Vvaldrada concubina.

1. Cor. 7.

Plures conuentus ac placita Aquisgrani habita, verum recensita fuêre celebriora, inter quæ in anno 1021. Sigibertus memorat Aquisgrani conuentu generali & synodali per aliquot dies celebrato, tantam siccitatem & intemperiem aeris excanduisse vt multi præ nimio ardore deficerent, multa etiam animalia subito interirent, pauimento & marmoreis columnis tanto sudore madentibus, vt aqua esse respersa crederentur; desumpsit hæc Sigibertus fortè ex Cameracensibus Annalibus qui superaddunt Henricum Imperatorem interfuisse huic Synodo in qua Durandus Episcopus contra Pilgrinum Coloniensem Archipræsulem contendit de Porceto Monasterio.

(·.·)

PAROECIÆ, COENOBIA vtriusq; sexus, ædes, ædiculæ sacræ ac Nosocomia.

Caput vndecimum.

INTER Præpotenti Optimo Maximo Deo Cœlique incolis sacratas domos quatuor primarias parochiales duntaxat Aquæ Granææ obtinent, sub patrocinio & nuncupatione Diuorum Iacobi, Petri, Adalberti atque Foilani, vnde cuiuis haud obscurè innotescet causa potior cur tristis ac funesti hæresis sensim hoc loci insordescendo lupus dico rapax inualuerit, quod pauci Dominico gregi præfecti Pastores Euangelii præcones atque parum literati viri quibus tenui in salario censu prouisum parœcias retroacto sæculo, immo vnus idemque subinde omnia animarum curæ obierit munia: fuere quidem è familiis Religiosorum Vrbis huius qui in defectum Pastorum Euangelii oratores egerunt, sed alius inter hos sensum inescatus versutiis sectariorum militiam sacram deseruit (tametsi dein ceps ad prima castra redierit) alius se populari desiderio confirmauit porrigendo cœlestis alimoniæ communionem in vtraque specie, & c. cum igitur decursi sæculi quingentesimi supra millesimum aliquot temporum spatiis & interuallis nec exemplo solidæ virtutis vitæue ac morum integritate Ecclesiastici, nec salutaribus pascuis Pastores concreditas sibi oues pascerent factum vt ager domusque nostra relicta
Matth. 23. fuerit deserta, cuius inculta terra Vomere aucupum noui Euangelii eo facilius scindi apta tribulis carduisque conserti ac in pastum proponi quo similiores habebant labia lactucas, & quis inde fructus, quæ
Prou. 24. messis? per vineam viri stulti transiui & ecce totum repleuerant Vrticæ, inde dentes filiorum etiamnum obstupescunt ex superseminata tunc zizania inde est quod tamdiu infœlix lolium & steriles dominatæ auenæ: vicit ad extremum Diuina gratia & dati hoc æuo vigilantiores plebani, quibus vti bobus triturantibus quis tam vecors vt
1. ad Cor. 9. ora alliget, quis plantat vineam & de fructu eius non edit? insuper

qui fagina... fructu spirituali cui pro nunquam interiturę pabulo vitæ fluxa labentiaque suppeditare detrectet? in spem & aliam adducamur vt iuxta SS. Canonum decreta sanctionesque œcumenici Concilii Tridentini ac formam constitutionis Alexandri III. Pontificis Maximi in tam spatioso tractu populariumque numero plures parœciæ pastoresque præstituantur. Sess.21. ca.4.

Et verò cum vti memoratum quatuor solummodo sint in ministerio animarum salutis positi, omnes tamen infantes Vrbis salutari baptismatis lauacro regenerandos non in suis Ecclesiis tingunt, sed ad vnicum principis templi Baptisterium, paschalium solennitatum feriis ad alti Monasterii, extra eas ad capellæ contiguæ Diuo Ioanni Baptistæ ab antiquo dicatæ fontem deferunt, ex qua sacro lustrandi rore ritus vnitate satis ac super colligere est quales natos natorum, quale vnionis, corporis nempe, animorum ac fidei vinculum post longam senectutem temporum fundator vrbis Augustus Karolus in votis habuerit, & post eius fata quantum in hunc nexum sacratus clerus collimârit, dum cedere Basilicam cæteris parochialibus muniis indulsit, solo baptismatis vsu reseruato.

Ad Diui Iacobi olim extra muros siti antiquissima ab ipso etiam Maximo Karolo teste Antonino constructa Ecclesia.

Sub vocabulo & honore verticis Apostolorum S. Petri erecta Ecclesia vetustatis speciem itidem repræsentat, eiusque structuram in æuum Henrici II Imperatoris referre vero non est absimile, longo tempore capella fuit priusquam Parœciæ vsibus destinaretur.

Adalberti templi quondam mœnibus Aquensibus exclusi, nunc iis circumsepti in rupe adiacente sacratissimus Cæsar Otto Tertius primum fundamenta strauit, Henricus II. Noricorum Dux Diuina fauente Clementia Romanorum Imperator Augustus ædificium consummauit collegiumque Canonicæ institutionis ibi fundauit; *quoniam*, inquit, *indubitanter scimus in conspectu Dei placere sanctorum loca instituere & sublimare spe Diuinæ remunerationis, pro remedio animæ nostræ coniugisque nostræ dilectæ Cunegundis videlicet Imperatricis Augustæ, nec non parentum nostrorum, cum etiam pro confirmando sub Diuina protectione regni nostri statu, Ecclesiam in honore sancti Adalberti Martyris & Episcopi in monte contermino sedi nostræ Aquensi à n... hic fundatam omni libertate donamus,* S. Henricus in tabulis fundationis.

eidemque Ecclesiæ omnem possessionem quæ est infra murum, quæ dicitur Brüell *cum areis, ædificijs, agris, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus, redditibus vijs & inuijs seu cum omni vtilitate, quæ vllatenus vel nominari vel scribi possit tradimus, &c. anno incarnationis Domini* 1018. *Indictione prima Regni nostri decimoseptimo, Imperij autem quinto, actum Aquisgrani fæliciter, Amen.*

Post hoc primæuæ fundationis æuum magna iuris dicundi & exercendi potestas in vrbis partem fuit Præposito Senatuique Ecclesiastico memoratæ Basilicæ, sub eadem quoque Imperiali vniuersalique donatione indubiè compræhensæ fuere areæ tres secundum mœnia extra vrbem sitæ cum suis appendicijs à Milite ac Aduocato Aquensi Ioanne Scheyrudel / Scheruidelsburg deinceps nuncupatæ, quæ quidem prata cùm domicilijs iunctis Canonici Adalbertini Colleg i primitus incoluêre, nempe Henricus Iuuenis, Arnoldus Scholasticus, & Reynardus thesaurarius templi iam dicti, anno autem à parta salute humani generis millesimo trecentesimo primo Henbertus Dei gratia Decanus vniuersusque Canonicorum Senatus Ioanni cognomento Scheyrudel & Catharinæ eius coniugi quoad in humanis essent pro tribus censûs annui marcis concessit, prout tabulæ desuper erectæ coram Villico Militibus Scabinis Aquensibus, nec non aliis Dengmannis seu testibus plenius puriusque designant, quæ ipsius ad Diuum Adalbertum Ecclesiæ, Regalis Vrbis Aquensis & prælibati Scheruidell sigillorum appensione communitæ: harum terrarum possessionisque nec non aliarum quæ lapsu temporis emerserant dissensionum causa, anno MCCCCLXXXI. vehemens inter Ecclesiam Collegiumque ac Senatum Granaquensem exarsit concertatio diu versa ventilataque in Domina gentium Roma coram Petro de Ferrera Sacri Palatii Apostolici causarum auditore, porro vigente ea disceptatione in vrbe, neque necdum indecisa, ad eam exasperationem atque animorum alienationem ventum quod ob varias Magistratus intermin ationes Canonico Collegio Coloniæ Agrippinæ tutum perfugium quærere fuerit necessum, ibique ad Diuorum Apostolorum rem diuinam diu facere; subuectus verò Senatus Ecclesiasticarum censurarum inuocationes, recolensque

vtraque pars expendiorum vim, ambiguos digladiationis ac litium euentus, anno gratiæ MCCCCLXXXV. in venerabilis viri Wigeri de Hassent Præpositi Diui Martini Kerpensis Ecclesiæ, Illustrissimo Iuliæ ac Montium Principi à consiliis, arbitralem sententiam inconcussè seruandam compromisit, sic præter Scheruielsburgi solum litis articulum cæterorum omnium funes expliciti, paxque rursum coaluit.

Recensui iura census, &c. iuxta regalem sedem donata ab inclytæ memoriæ Henrico Augusto Collegiatæ ad Diui Adalberti & Hermetis Martyrum, luculento itidem reditu bonorum ad Leodicum inque Iuliæ ditione locupletauit eam, ad hæc decimas ex Walcere Gollar & Trutmanniæ partibus in confinibus Zelandiæ, ibidemque parochiale templum in Stryen cum attinentiis, præterea villas curtes curiasque Bmere/ Madrikel/ Diest / & Waldricke cum omnibus appenditiis in Vthe & Moldeke/ &c. qui tractus hodieque S. Adalberti indigitatur Ecclesiæ, hoc est Præposito (cui ex earum largitionum Imperialium prouentibus tertiam partem assignârat Imperator, ipsumq; Præpositum iudicem & exactorem vice sacri Romani Imperii prællegatarum possessionum & omnium habitantium in ea constituerat) Decimo tot que Senatui Ecclesiastico munifica manu impartitus est; Verum temporum tempestatumque iniuria prô dolor & alluuionibus vndarum pressæ, perditæ absorptæ sunt non paucæ earum terrarum, adeo vt etiamnum in aquis eminear turris patrio sermone nuncupata der Bagenturn/ aliæ cum vicis suis Batauorum nunc absunt potestati; mirabere lector pæne bilem do[...]em, multiplices redditus & obuentiones; humana sunt hæc ac inconstantia in varias facies flecti obnoxia, & vero in totum penè hoc æuo inflexa, siquidem partim somnolento torpore Prælatorum, partim voluptaria vita Ecclesiasticorum, tum etiam ob has exundantium aquarū clades maxima portio præfatarum possessionum deperiit, aut ad laicæ manus titulo fo[...] spa[...] um æquo deuenit, vtq; quò vt clerus hodie pertenui victitet stipendio, tactu in disciplina sacra, vitæq; norma pere maximo sese erigit, recteque componat; excitet Magnus Deus Deorum, qui corda Regū in manu habet genuinum agnatumq; zelū D. Henrici Imperatoris hoc nomine II. in gloriosa stirpe Bauoric, & colliquescere faciat mentes in virtute progenitoris sui vt collaban[...] Ecclesiæ huic auxiliarem dextram præbeant, quam porrecturus

fuisset Reuerendissimus ac Serenissimus Ernestus Archipræsul Electorque Coloniensis ac Eburonum Antistes si bonorum omnium auctor & largitor Deus vitam prorogasset: Eodem Ecclesia Collegiata pariter ac in subterraneo loco Parochialis est, siquidem vti plurima priscæ structuræ templa videre est sub quarum odeio criptæ receptaculaque fornice concamerata, cum quod fideles identidem Deo supplices ibi fierent, tum quod Diuorum corpora sepulturæ cõmissa haberent, ad eundem modum & hoc: Fundatorem Henricum agnoscit, vt dixi, vir fuit raræ abstinentiæ qui cum Cunegunde seu Conegunda conthorali sua filia S. fridi Palatini ex stirpe Magni Karoli descendentis veluti cum sorores Germana Virgine Virgo permansit, vel certè Diuinam castitatem fouit adeo vt & viuus habitus sit sanctus, sanctorumque choris consors, vno verbo virum nosse aues, vix vlla natio sub sole tali connubio collustrata est, præterquam inclyta Germanica, vtroque compare casto, vtroque sancto, sanctitatis ac virtutis eius laus non continuit se intra Imperii & Germaniæ limites sed se diffudit in Hungaros, cum enim desponderet sororem suam Giselam Stephano Vngarorum regi, simul Vngaria fidẽ Christi amplexata est, per Stephanum postea Russia & Polonia fidei Christianæ colla subdidere: neque hanc solam sed & Metropolitanam Babenbergensem Diuus Imperator Henricus fundauit Ecclesiam, hanc porro S. Adelberto Pragorum Episcopo Prutenorum & Bohemorum Apostolo dicatam esse voluit, quod recens tum martyrio coronatus fuerat anno nempe 997. vel iuxta alios 994. dum verbum vitæ genti Prutenorum prædicasset septem lanceis à paganis confossus & capite truncatus est, denique quod Otto Tertius Imperator qui fundamenta iecerat Adelbertinæ ædis huic Diuo eam prius sacrare constituerat, cuius itidem regali munificentia caput Martyris ac præsulis Adelberti possidet, eiusdem tutelaris miranda prædicans cantat hodieque ipsa Ecclesia. *Multe i ægrotæ dans de benedicto pane dulce fecit ei panis edulium de quo nõ gustauerat per triennium,* & illud: *Qui cum in vita Monastica vinum ministraret vas quod de manu lapsum confregerat integrum leuauit.*

Ann. Sax. & alii.

Henricus II Imperator Boius scapulam sacrum os humeri S Laurentii Martyris deposuit in hoc templo, quod etiam aliis Diuorum exuuijs resplendet, brachijs SS. Sebastiani & Christophori, viuificæ crucis portiuncula, Cranio capitis Diui Quirini Martyris, Mariæ

Magda-

Magdalenæ, Nicolai, Stephani Papæ & Martyris, Dionysij ossibus, Beatarum Walburgis atque Gertrudis lineis velis, &c. Insuper triũphat hæc Ecclesia capite Beati Hermeris viri illustris populari lingua S. Hermeel in Vrbe Romana ab Alexandro Papa baptizati & sub Diocletiano passi cuius ossa teste Sigiberto anno salutis 851. per Lotharium Imperatorem Roma in Gallias delata apud Indam Monasterium Sancti Cornelij prope Aquisgranum honorificè condita fuerunt; quoad de alio loco prouideret, Lotharius autem cum sæculo renuntians Prumiæ monachus esset effectus, filius Ludouicus patris voluntatem adimplere studens ab hoc Monasterio villæ Enden eiusdem martyris & militis Christi corpus asportari fecit ad Monasterium Canonicorum de Rothnake, quod & Rotornacum dicitur ac Rothnaste / Flandricè Rons, Villæ Brabantensis diœcesis Cameracensis anno * DCCCLX. quod monasterium Sanctus Amandus in honorem Apostolorum Petri & Pauli primum construxerat, quodque Ludouicus Pius Indensi Abbatiæ donauerat atque subiecerat, licet postea diuenditum Guidoni Comiti accesserit Flandriæ & modo transierit ad limites Sedis Mechliniensis: porro Danis sub Othone circa istam prouinciam furentibus & sacras Dei Ecclesias incendentibus Beatus Hermes seu Ermes ex Monasterio Rotnacensi ad Monasterium municipii Enden est relatus, deinde Coloniam vsq; translatus, vnde lapsu temporis inter vtrumque Clerum Ronnacensem & Indensem magna exorta est disceptatio, post Danorum enim recessum Ronnacenses suum moliuntur referre Patronum, Endenses refragari retinere contendunt pretiosum thesaurum, quæ altercatio eousque processit quoad opera Fulberti Cameracensis Episcopi cui tum suberat Ronnacum ad proprium locum relatum est corpus Diui Hermetis, pro cuius beneficii loco fratres Ronnacenses villam nuncupatam Niewenhouen / Sanctæ Matri Ecclesiæ Cameracensium libenter contulerunt.

Chronicon Cameracense Molanus. Vsitatius Inden.

* 870.
* 875.

E curatis Ecclesiis Aquensium à Sancto Foilano dicta (qui Sanctus de Hybernia patria Insula peregrinandi voto contendens in Gallias ad Vltanum Germanum suum Fossensem regentem Ecclesiam in saltu Carbonario trucidatus est) nouissimè est extructa, præextitit eo loci ædicula sacra, ac pastoralia munia huius tractus partim in Basilica partim in adsita Diui Ioannis capella peragebatur, ideoque Innocentius Papa eius nominis VIII. in diplomate Synodali iudicio do-

De hoc Beda lib 3. hist. angl. c. 19.

nato quatuor vrbis Rectores recenset ac Vice Diui Foilani Diui Ioannis parochialem appellat: In hisce sacratis ædibus consesserant se primitus & pio nexu illigarunt ciues per instituta sodalitia quæ fraternitates indigitant eo fine vt sese inuicem ad Diuina inflammarent, sub vocabulo trium Regum inter alias antiquitate præcellit, sub tutela ac titulo Eucharistici sacramenti Canonicis Principis Ecclesiæ venerabilibus viris Lamberto & Ioanni Munten primæuam fundationem debet acceptam, ac nunc ei tanta opulentia accessit vt hebdomadatim largissimis eleemosynis pauperes pascat, huius & consimilium sodalitiorum fundationis verba ex auitæ fidei flamma prorumpentia si quispiam altius apud se expenderit ac composuerit cum præsentis æui torpore clamabit non sine admiratione, ***heu pietas, heu prisca fides:*** cæterum existimem animos fidelium in varijs vrbibus ad pium institutum Zelandi pro augustissimo Eucharistiæ mysterio tum vel maximè coaluisse quando aduersarij veritatis & fidei oppugnarunt Ecclesiam orthodoxam, sic tempestate Albigensium, Hussi, ac Hussitarum pro pane illo cœlesti, sacrosancto Sacramento religiosè Zelatum: validum quippe corpus Ecclesiæ si aliquibus in membris per intemperies humorum hæreticam tabem dico exagitetur adeo vt languore corripi appareat, è vestigio Spiritus almi viuificantis influxu sese adunat vt non solum redundantia ac repugnantia humorum propulsetur sed ipsum etiam deinceps vegetius reddatur, atque ita quatenus petram Ecclesiæ conquassare moliuntur hostes eius, eatenus disperdantur.

Ad Cœnobitarum cœtus ciuitati adiumento ac fulcimento transitum facio.

Fundo Cœnobij Diui Augustini antiquitus capella Beatæ Catharinæ instructa, fratres vero ordinis Heremitarum S. Augustini sub annum verbi incarnati circiter MCCIII. Ecclesiam ac septa sibi erigere aggressi sunt, dotes suas primarias referunt in senatorii ordinis Viros de Wetenberg & Paell: Lipsanis sacris Monasterium potitur, linteo quod Virgo Mater manibus gestauit, cum post ascensum filii sui benedicti loca amaræ passionis calcaret, delatum aiunt à transmarinis partibus per strenuum militem Hermannum de Randerord / studio autem venerabilis lectoris Arnoldi de Wallharen ad conuentum deuenit: capite D. Theodori martyris: lintei parte cui corpus Beati Laurentii obuolutum, atque alte-

rius quo contecta facies Saluatoris in æde principis Sacerdotum Caiphæ. &c.

Religiosorum militantium sub disciplina S Dominici Monasterium anno salutiferi partus MCCLXXXXIII. conditum.

Beati Francisci asseclarum Ecclesia in quo Diuinis operantur quondam Collegiata sub vocabulo & inuocatione Diui Nicolai fuit, structa ab inclytæ Diuæque memoriæ Henrico Secundo Boio Imperatore Augusto prout ipse enuntiat in diplomate dato anno MV. indictione III. *Duo*, inquit, *Monasteria Aquisgrani vnum in honore S. Adalberti, alterum in honore S. Nicolai consilio & consensu Principum, Comitum struximus*, &c. ac paulo post, *hac tamen non hac ratione disponimus ne Maiestas Sancta Dei Genetricis cum decima depereat, sed vt hactenus in eodem loco principatum obtinuit, sic absque vlla ambiguitate in futurum obtineat, & singulis annis congregatio Sancta Maria in festiuitate S. Adalberti à congregatione sua & in festiuitate Sancti Nicolai à congregatione sua refectionem vnam in respectum habeat*, &c. Verum decursu temporis prouentibus eius Collegii extinctis, nempe domiciliis complurimis in contigua via publica quæ censibus erant grauata, flamma absumptis Conuentuales fratres locum incoluerunt, quibus anno millesimo quingentesimo sexto successere fratres minores de obseruantia vigore bullæ Apostolicæ Iulii Papæ secundi desuper imperratæ, à Nobili Viro Palantio exili proprouentu primum donati, destinato sub id tempus in subsidium fabricæ, annales maiores Belgici innuunt prælibata Prædicatorum & Minorum Cœnobia anno MCCXXXIV. in Aquisgrano condi cœpta.

Domus ac Monasterii ordinis Canonicorum Regularium Diui Augustini incunabula in annum à Christo nato MCCCCXXI. referuntur, siquidem cum equestris ordinis Viro Cononi von dem Eychhorn Regalis Vrbis Aquensis Scabino eiusq; coniugi Mechtildi Hamermans liberi hæredesque deessent, diuino afflata spiritu matrona hæc viro suggessit vt hospitalem ædem pro honore Diui Cornelii ad fouendos recipiendosque inibi egenos versus semitam tritam vulgo Cöllenstraß excitaret, adsignata sufficienti dote quod factum

anno circiter 1417. meditati sunt deinde pii coniuges instituti Carthusiensis cœtum accire & pro eodem templum adstruere, verum aliorum, præsertim Domini Winandi Xanten ipsis prius à sacris & cōfessionibus, ac postmodum in eadem domo primum professi ductu ac hortatu mutato consilio conuentui Canonicorum Regulariū sub Capitulo Nussiensi ac demum sub Windesemensi habitationem aptârunt, illæso nihilominus permanente prouentu pro decem & trium pauperum alimonia, de vberiore largioreque censu annuo qua hospitali domui, qua Religiosis prospexisset memoratus fundator nisi ex altero thoro prolem tulisset, decedit ex humanis ann. 1483. funeratusque est in templo antiquo vt docet epigraphica inscriptio incisa saxo

Strenuus in tumulo Miles Cono iacet isto
Cum Machtilde sua coniuge magnifica
Et prole Carolo de thoro secundo Natiuo
Anno 1483.

ossa horum trium cum sarcophago Anno 1619. à Priore moderno venerabili Patre Ioanne Schütz translata sunt ad odeium nouæ Ecclesiæ:

Vtroque fundatore iam vita functo cum obortis vndequaque tempestatum fluctibus haud pauci redditus tam conuentui quam Xenodochio sensim decederent ac dilaberentur, adsensu Leodicensis præsulis & ratihabitione Alexandri eius nominis Papæ VI. fuit hospitalis domus vna cum suis censibus conuentui aç familiæ Canonicorum regularium iuncta atque incorporata, templum primitus versus meridiem ad communem viam exædificatum, ob strepitus vero pertranseuntium & operariorum diurnis officiis minus congruum versus Aquilonarem partem claustri translatum & è lapidibus sectis structum in honorem Diuorum Ioannis Baptistæ & Cornelii Pontificis tutelarium sacratum anno à Virgineo partu MDIV. estque nouissima hæc structura tēpli ad formam Carthusiaci, Cantuaurum vocant, haud longè à Iuliaco sub idem tempus à Sybilla Marchionissa de Brandenburg nuptum data VVilhelmo Iuliæ & Montium Duci exstructi composita, non expendiis primi fundatoris qui iam tum diem extremum obierat, sed ordinis.

Conuentus fratrum de monte Carmelo Ecclesia ac area claustralis olim duodecim Monialibus instituti S. Claræ fuerat destinatus

verum itienuus vir Gerardus de Pomerio dictus Bongart eiusque thori socia Gertrudis an. 1353. Carmelitarum ordinis fratribus ipsam donârunt, nunc consepta permagna habent, est penes eosdem non modica pars sacratissimæ crucis Dominicæ, quam Nobilis vir de Trimborn è Palæstina deportatam ipsis elargitus est.

Templum crucigerorum capella fuit priscis temporibus nuncupata ad S. Iulianum martyrem qui etiamnunc tutelaris habetur fundata à Nobili de Bongart, à cuius posteris cum prolabente tempore data esset crucigerorum ordinis fratribus anno gratiæ 1383. Aquas aduentantes claustralia septa cœnobiumque coædificarunt, Nosocomium quoque ac hospitale iunctum capellæ donatione Magistratus eisdem cessit.

Patres Societatis Iesu in hanc ciuitatem hac occasione accersiti: Cum indies hæresis glisceret, & è clandestinis conuenticulis publicas cogere conciones, licet in priuatorum ædib. cœpisset, grassandi huic malo tam clerus quam populus Catholicus remedium adhibendum, ratus Louanio ann. 1578. pium atque eruditum SS. Theologiæ Licentiatum Ioannem Hæsium euocârunt, ipsique cathedram pro cōcionibus habendis in Karolina Virginis Matris æde (vbi ad eum diem nulla extabat.) Reuerendum Capitulum commisit, quam tamen nō diu tenuit, contagione quæ grauissima sæuiebat paucos post menses sublatus, sustinuit hanc deinde cōcionandi prouinciam Reuerendus ac Nobilis D. Franciscus Voss Canonicus B. Mariæ Virg. Sacerdos verum hic in demortui D. Roberti à VVachtendunck Decani locum suffectus ægrè cum publica Capituli cura ordinariis concionibus vacare poterat, quare quo tam salutaris functio magis constanter ac fructuosè administraretur cogitatum est de euocandis è Societate Iesu sacerdotibus, scriptum itaque ad Reuerendum P. Franciscum Costerum tum Prouinciæ Rheni prouincialem, qui P. Ioannem Macherentinum virum benè doctum & Zelosum cum socio altero Sacerdote sub finem anni 1579. Aquas ablegauit, suscepti sunt domo Decani & aliti communi sumptu Reuerendi Capituli, magno deinde animi ardore atque indefesso labore diebus Dominicis & festiuis itemque Aduentus ac quadragesimali tempore hi duo concionabantur, assiduisque audiendis confessionibus vacabant in superioris templi testudine B. Annæ Sacello: hinc non pauci ad pietatem excitati hæreticorum deceptiones animaduertere ac deuitare cœperunt, pleriq;

etiam licet perpauci ad fidem orthodoxam conuersi sunt, perstiterunt in ea functione vsque ad ineuntem anni MDLXXXI. æstatem cum hæretici concitata vt solent seditione omnia turbarunt, credebatur itaque certo cum periculo Patres solita sua munita obituros, cumque nullas adhuc fixas sedes haberent à superiore suo hinc reuocati sunt, insedit tamen piorum animis tanto affectu iacta sementis, adeo vt quidam vir pius ac eruditus (qui fouendæ deuotioni post Patrum Societatis abitum sese impenderat) ingenuè illud Isaiæ pronuntiarit. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen tanquam Sodoma peryssemus*, &c. Septennio integro post sub finem anni MDLXXXVIII. cum hæretici adhuc gubernacula ciuitatis Magistratumque tenerent, reuisit stationem hanc sed velut in transitu P. Nicolaus Vall Traiectensis cum socio sacerdote ædibus D. Decani Francisci à Vosß receptus, neq; Magistratus, quod mirum, contra quicquam mouit, verum quia nec certus locus nec certa viuendi media ad exercendas Societatis functiones suppetebant, post paucas quas in diuersis Ecclesiis conciones & catecheses habuit, ac institutam inter ciues Diuæ Virginis M. Germanicam Sodalitatem (quam discedens D. Hermanno Vucht Vicario Regio doctrina ac pietate Venerabili commisit) superiores eum auocarunt, atq; ita iam secundò Societatis statio quam hac in ciuitate inchoârat interpolata est: cæterum à discessu prius memorati P. Macherentini duo Priores familiæ Carmelitanæ vterq; Sacræ Theologiæ candidatus successiuè, alter exul ex oppido Geldriæ ac ibidem eius cōuentus Prior Matthias Nisanus (cum quo tamen coniunctim Decanus Vosß non destitit subinde ad populum sermonem facere) alter Aquensis Cœnobij Prior Petrus Michael dictus Bastenach opus Euangelistæ summa cum laude in principe Basilica fecere, partesq; Doctoris Ecclesiastici adimpleuêre: Restituto Dei gratia per sententiam Rudolphi Cæsaris & terrore exercitus Regij Catholico Magistratu in pristinas sedes authoritatemque, tum ferè integro post anno procurante Episcopo Leodicensi Ernesto Patres approbante Reuerendo ac Generoso Capitulo Mariani templi & Amplissimo Senatu sub ingressum anni MDC. rediêre, hæserunt aliquamdiu more hospitum in ædibus D. Decani Ioannis Wormbs à Thomberg, certas tandem sedes commodo loco in platea quā vocant acuta à Magistratu consequuti sunt, vbi primum in conductitia domo Scholas iuuentuti formandæ adaperuere, Ecclesiastica interim exer-

Vulgo Scherpe straß.

citia in superiore testudine B. M. V, obibant, donec amplioribus cir cumcirca aucti spatiis ædes quas à Viro Nobili Magistratus coemerat in templum conuerterunt, quod dicatione facta Deo & militiæ cœlestis Archangelo S. Michaeli suffraganeus Leodiensis D. Andreas Stregnatt consecrauit anno MDCVIII. Scholas nouas aliquot abinde exactis annis ex eadem platea in aduersam transtulerunt, vbi Deo faVente & sVMptV Corrogato aliud splendidius Gymnasio domicilium erexêre, tam expeditè vt cuius fundamenta ann. 1615. iecerant, ipsum anno insequente sub memoriâ omnium Sanctorum frequentari cœperit, dum vero hęc scribimus magno consensu & expensa Senatus amplæ ædes pro area noui templi comparatæ, quibus subuersis ac dirutis fundamenta debito ritu v. Kalendas Iunij ann. MDCXVIII. posita sunt, initialibus nouem saxis, quibus nouem Angelorum ordines insculpti suffraganeus Eburonum Stephanus Strecheus benedixit ac cæteras secundum Ecclesiæ præscriptum solennes ceremonias adhibuit vt area futuro templo in honorem S. Michaelis Sanctorumq; Angelorum ritè dedicaretur, celebritatem auxit clerus ab æde Diuæ Virginis cum sacris vexillis & symphonia procedens, præcipui itidem è circumadiectis Abbatijs Prælati ac viri nobiles qui in locandis primis lapidibus operam ac pia vota sacro huic operi lubentes addixerunt, faxit Deus vt ChrIsto IVVante FVnDaMenta posIta breui vsque ad perfectam Ecclesiæ structuram assurgant.

Fundum vbi nunc Ecclesia Religiosorum Cappucinorum domosque contiguas quondam incoluere fratres Bogardi populari dictione **Webgarten** labore manuum textrino scilicet opere victitantes, qui tametsi laici, certarum attamen regularum communione & obseruantia deuinciebantur, quibus deficientibus locum cum prædio adsito vir pietate multaque virtute Reuerendus nobilis ac strennus Henricus à **Reussenberg** Balliuiæ Iuncitanæ Commendatarius prouincialis comparauit, qui secundus ab illo successit pari laude spectatus Reuerendus Nobil. ac strenuus Dominus Ermundus Hain ab Austenradt demolito funditus vetere ædificio nouum magnificè condi fecit, atque aptari destinauit pijs vsibus Patrum Cappucinorum, qui anno Millesimo sexcentesimo decimo quarto, vicesima prima Septembris à Senatu Ecclesiastico maioris Ecclesiæ ac aliis Religiosorum ordinibus eo perducti lignum sanctissimæ crucis cum insignijs passionis

Dominicæ defixêre in terram ante Ecclesiam, quo in altum sublato de rebus Diuinis ad circumfusum populum sermo sub Diuo institutus, noui porro templi fundamenta Ecclesiasticis ceremonijs vi. Kal. Maias anni quintidecimi supra millesimum sexcentesimum sterni iussit idem Commendatarius sacrante primum lapidem Regalis Ecclesiæ Decano Henrico strauio, quo ædificio ad culmen tendente vi. Kal. Iunij ann. gratiæ 1618. consecrationis ac dedicationis solenne eidem impertijt suffraganeus Leodicensis in magna cleri virorumque nobilium & clarorum ad id accitorum frequentia.

Hoc zelo excitus memorati Commendatarij frater germanus Wernerus Huin ab Anstenradt Iuliæ Ducatus Marescallus promouet summo studio vt sacellum Diuo Iacobo dicatum pro instituti S. Claræ Virginibus accommodetur, quod factum suffragatione Ar-Archipresbyteri Goswini Schrick viri & scientiis exculto & pietatis laude commendatissimo, itemque S. P. Q. Graniaquensis permissu, Virgines autem anno *1617. 3. Kal. Nou. rei Diuinæ in æde sacra Franciscanorum solenni apparatu peractæ interfuere, ac dein sub ductu primæ Matris earum ac Magistræ Mariæ Engelbrets publica supplicatione ad Basilicam Marianam, è qua prece fusa ad eis consignatum locum comitante Clero deductæ, sic post inundationes hæresum malacia Vrbi Aquensi reddita religiosi atque religiosa vitæ morumque integritate ac propitia prece Diuinum numen placare satagunt.

Domus fratrum Cellitarum ordinis B. Augustini qui vulgo Bogardi nuncupantur atraro habitu graues laici sunt & ægris viris de seruiunt passumque mortuos tumulant, Diuum Alexium tutelarem agnoscunt.

Post virorum alterius sexus Virginum Deo sacratarum cœno bialia templa lustrabo.

Primum ad Sanctos Ioachim & Annam indigitatum instituti D. Benedicti, quod Illustri Dominæ Sybillæ Marchionissæ de Branden berg desponsatæ Guilielmo Iuliæ ac Montium Duci à fundamento erigere ac dotare sub exordium sæculi quingentesimi supra millesi mum constitutum erat, certumque æs huncin finem designâtat, verum præmatura morte terris erepta religiosum opus ad tempus præpeditum, attamen deuenêre ad vsus sacrorum vestes à demortua Ducissa relictæ; Cœnobij porro Nobilis Virgo Maria de Gymmenich

prima

prima eius Gubernatrix Vbiorum Colonia è Monasterio SS. Machabæorum (cui aliquot annis præfecta fuerat) veniens ac inde germanas aliasque sorores traducens excitare ac dote locupletare inchoauit, eò paternas ædes amplumq; pratum in Vrbe Aquensi situm applicans, cui pio ardori Coloniense eiusdem instituti Cœnobium ad Machabæos donatione villæ curtisque Hambroch liberali manu subuenit.

Secundum Monasterium Sanctimonialium Virginum quas à vestitu candido Albas nuncupant S. Mariam Magdalenam patronam agnoscit sub regula Diui Augustini, quondam ordinis Pœnitentium hoc incolebant ac lapsæ turpitudine vitæ Virgines inibi pœnitentiam profitebantur. Posteaquam vero cœnobium flamma furente in fauillas & fumum redactum, anno circiter millesimo quadringentesimo cum nouo ædificio successê e noui instituti moniales: B. Iustinæ V. Regis Vngrorum filia corpus hic conquiescit, scapula D. Nicolai Præsulis alijsque sanctorum auxiliarium reliquijs insignitum est, Comitem de Hoen primarium dotatorem recognoscit.

Tertium cœnobium titulo vallis B. Mariæ tertiarias continet, hoc est sub tertia eademque arctiore D. Francisci regula militantes.

Quartum vetus Beginarum sub D. Prothomartyre Stephano curia in qua tenuis hospitalitatis exercendæ fundatio.

Quintum Beginasium S. Matthiæ nuncupatum noua Beginatum curia, in cuius æde sacra vnius ex prætextato agmine B. Vrsulæ dictæ Florinæ pignus humo illatum est, sub eodem tutelari Matthia prisca fraternitas ciuica coaluit, quæ in hoc vsque æuum perennat. Sunt & Cristenses sorores, quas nigras vocant; infirmantibus è fœmineo sexu, amore Dei curam impendunt; quarum sacellum spina coronæ Saluatoris nostri, D. Mauritij, ac soc. vndecimque millium martyrum, plerisq; exuuiis, cæterorumque non exiguo thesauro ex Vbiorum vrbe eo perlato ditatum; ante sæculum quintum supra millesimum hoc sacello necdum constructo sorores norma quidē religiosè viuendi, necdum tamen votorum nuncupatione inuicem adunabantur: sub id temporis per effecta supra naturæ vim & ordinem miranda animumque stupore percutientia ostendit mens diuina scelerum vltrix iustum rectumque iudicium suum in vi ino prælibatæ capellæ conclaui, tum prout hodieque fila ducere adsolebat monia-

lium cætus, eratque in eodem ara, qua Diuina fierent, in ara icon Virginis Matris cum adparatu venusto puta corollis & donariis fidelium circumpendentibus refulgens, vnam è sororum turba incessit cupiditas, vicitque demum sitis furtiua manu subtrahendi aliquod ornamentum imagini; quæ exinde indagatione & examine desuper habito iterum atque iterum attrita fronte pernegat se furti consciam, vehementius pressa ac flagitii insimulata in execrandum votum proruit, cupere nempe vt viua terræ hiatu absorbeatur, si sacrilegii reatu teneretur, ecce vero ape uit terra os suum, deglutiitque viuentem vti sedens pensa filaque trahebat; infrequenter hæc talia permittit diuina bonitas, permittit tamen subinde ne maledictis & abominandis detestationibus quis se intaminet.

Inter ædiculas sacras primum locum sibi arrogat peruetustum almi spiritus sacellum Christianis sacris olim dicatum quod & hospitalem domum præbuit aduenis; antiquissimum itidem est Diuæ Aldegundis, quod ferunt ædificatum à Ludouico Pio Magni Karoli filio, traxit autem B. Aldegundis Virgo ex regali Francorum prosapia originem, quæ spreto illustri coniugio sacrum velamen à S. Amando Episcopo suscepit, ad Sambram Malbodium Monasterium construxit, & turbam sacrarum virginum ibi aggregauit, quibus prædia sua possessionesque tribuit vitæ stadium consummans cum ingenti claritate cœlestis luminis ad vitam migrauit æuiternam, miraculisque post mortem inclaruit.

Melanus.

Capella D. Seruatii contiguaque domicilia in via Iacobea Templariorum quondam seruierunt vsibus, verum eorum ordine extincto ad Dynastas de Schonforst & Sichen iure patronatus pertransiere, à quibus ad Illustrissimos Principes Iuliæ.

In sacello D. Iacobi, quotquot olim S. Iacobi in Hispania petebāt limina aut inde reduces persoluto voto fiebant, ius hospitii reperiebant, nūc B. Claræ familiæ Virgines templum cum loco incolunt.

Ad hunc tractum ad viam Poizetanam vocabulo S. Leonard ædicula sacra etiam spectatur sub patrocinio clericorum sanctæ crucis in tractu Dalheimensi.

Commendatoriæ binæ cum adsitis templis altero sub nomine & honore D. Ægidii Teutonici Ordinis, altero S. Ioannis Militensium militum Aquisgraneis visuntur, quæ Templariorum prædiis ex æquo inter se superiorum permissu partitis constitutæ auctæque sunt.

Bina-

Binarium pariter numerum hospitales domus non excedunt, prius ad D. Elisabethæ, ad DD. Ioannis Baptistæ ac Blasii posterius nuncupatur, talia itidem pauperum receptacula pridem dabantur extra vrbis portas duo, S. Thomæ, & S. Quirini, verum id nunc cessit egenis inquilinis, hoc elephantiasi laborantibus consignatum. Rustici cani duo de triginta vici ditioni Aquensi subiecti quatuor matricibus Ecclesiis puta Wurselen / Berg / Baels / Orsbach subduntur, quæ cæteras eius territorii vti filias cõplectitur, filia insuper est in Wurselano tractu ædicula sacra in Dubach sub vocabulo Beati Salmanni seu B. Salmon, quem ferunt comitem fuisse peregrinationis Diui Iodoci, qui tutelaris etiam nunc est adiacentis Ecclesiæ Widanæ: alii tradunt memoratum D. Salmannum cultu Dei exardescentem commoratum fuisse hoc loco, ibique supremum spiritum agentem cœlo receptum, alii istuc versus solum transiisse (vnde adinstar peregrinantis pera ac baculo instructus colotibus exprimi solet) & cum acri tussi conflictaretur, egisse animam; capellæ eius nomini venerationi ac patrocinio extructæ, collatio atq; fundatio refertur in Comites de Kilenberg / asthmatici ac tussi constricti ad hunc Diuum recurrere solent spe leuamenti. Nunc ad primordia Ecclesiæ primariæ in Porceto municipio teli iactu ab Aquensis vrbis mœnibus dissito versus meridiẽ digredi suadet vir spectatæ pietatis ac peruigilis laboris Molanus, qui ex historia Porzetana tẽpore primæ Abbatissæ literis prodita hæc eruit. *In Porceto depositio venerabilis Patris nostri B. Gregorij Primi Abbatis & fundatoris loci huius, qui filius fuit Nicephori Byzantini Imperatoris, & frater Theophaniæ, quam vxorẽ habuit Otto Secundus: hic Gregor. omnibus posthabitis, sub Abbate quodã Pachomio monasticã vitã amplexus est, eius iussu sacros ordines suscepit, cui etiã morienti in regimine successit: fuit autẽ semel à Saracenis interceptus, & ad mortẽ vsq; grauiter & turpiter vulneratus: cumque varijs clareret miraculis Diabolus cui à calumnia hoc nomen est, aliquot ei hostes dedit, sed vir sanctus eorum insidias Romam fugiendo, declinauit. Vbi prius loca sancta visitauit, quam Theophaniam sororem adiret, verum mox sororis suæ consilio, & sumptibus in vrbe struxit cœnobium S. Saluatoris, in quo dum præesset, multos Romanos à lasciuiis sæculi conuertit, & nobilium pueros cælesti dogmate instruxit:*

Molanus in natali SS. Belgii. vulgo Portscheit vel portzheim. Alii Theophanu pronuntiant. filia fuit Ioannis Nicephori Græcorum Regis. B. Gregorius cœnobio S. Saluatoris Romæ cum sanctitatis laude præfuit.

Nobilis quidam nomine Ioannes decem summarios auro & argento oneratos famulo Dei transmisit, quam eleemosynam B Abbas mox pauperibus diuisit, quod percipiens memoratus nobilis Deo inspirante cœnobium beati viri adyt, & ab eo sacrum habitum, & monasticam suscepit disciplinam. Cum autem Romanis ob sanctitatem, & miracula esset admirandus, Otho Lotharingos adiens (indixerat enim Aquisgrani Principibus suis curiam) virum tanti nominis à latere suo abesse noluit: sed cum dictus Imperator sentiret, eum tædium habere secularium negotiorum, obtulit ei construendum cœnobium extra Aquisgranum Porzeti, eundemque locum tum propter Deum, tum propter virum sanctum, quibus poterat honoribus ampliauit. Ibidemque in senectute bona pater monastery, vitam præsentem in æternam commutauit, pridie Nonarum Nouembrium. Sicut autem in vita, ita & postmodum mirabilia fecit: de quibus multa antiquitate, aut potius negligentia, obsoluerunt. Cæterum Abbas Wolfrannus, quem aquæ Porzetaneæ à calculo non liberabant, per sancti merita radicitus est liberatus, vnde pro sui Medici exaltatione & translatione solicitus, vitę historiam, casu non satis noto combustam, cum Arnoldo successore suo, iterum colligi fecit potissimum ex cortina, quam Theophania obtulerat Coloniæ in Ecclesia Sanctimonialium Beatæ Mariæ quæ vitam pii fratris cum euidentibus capitulis continebat: Arnoldus autem post preces & ieiunia, sacra membra iuxta summum altare deposuit, non enim maiora ausus est, quare authoritate Apostolica nondum canonizatus erat. Epigraphen ad monumentum B. viri hodieque hanc legere est.

Cum Ottone II Imp. ad Comitia Aquisgranum perfectus.

Beatus vir cœnobium Porzeti sub regula D. Benedicti extruit, Deoq; dicat.

D. O. M.

S. Gregorio primo huius loci Abbati Antiquitas posuit.

Continet iste thasos peregrini membra sepulti
Nomine Gregory meritis, studioque colendi
Regis Græcorum natus Gregorius Abbas
Primus Porcetum coluit, templumque locauit
Cuius in hac fossa requiescunt corporis ossa
Spiritus ante Deum laudes resonando per æuum.

Posteritas renouauit anno MDCXI.

Post Primi Abbatis laudabile religionis institutum multo abunde tempore Cœnobitæ Porzetani vitam in virtute ac disciplina Ecclesiastica traduxêre, credentes vti par est fingere Deum laborem in præcepto, vnius Religiosi duntaxat ex Cæsario producam elogium, qui simplicitatis columbinæ & flagrantissimæ in Deum, proximumque charitatis erat, vsque eò vt multoties in balneis aquarum calentium, ibidem scaturientium egenis ac morbidis associaretur, sedulo iis ministerio sordities capitum ablueret, vestium emundaret, dorsaque defricaret, à quibus officiis iussus crebrius ab Abbate, collegisque desisteret, dissimulans meritum in virtute obedientiæ, continuat nihilosecius seruitia cœpta, *ecquis*, inquit, *hos labores per Christi pauperibus subibit, si ego detrectauero?* Iam præfati Religiosi asseclæ Diui Bened. & quamdiu in sanctimonia maiorum perstetêre adauxit etiam Deus eorum facultates Anno quippe Diuini natalis MXVI. Henricus Secundus Imperator Augustus Bauarus ob spem futuræ remunerationis ad Ecclesiam, quæ in loco Burdtscheit nominato nostra deuotione (prout ipse loquitur) constracta consistit Deo & sanctis eius Apollinari atque Nicolao ad vsum Monachorum ibidem Deo seruientium duas curtes id est villam & Curtile quas pius antecessor Otto tertius Imp. de Luzone comite per concambium acquisiuit in proprium donauit cum omnibus appendiciis, &c. quod vberius ipsæ tabulæ docent datæ Duispurgi VIII. Idus Decemb. indict. XIV. Anno gratiæ MXL. vicum Porzetanum cum omnibus annexis ad eum iure pertinentem Abbati & conuentui Henricus huius nominis III. Imper. gratuito concessit: ast post interstitia temporum diffluxêre ad licentiosam vitam, vt ad extremum dispersi fuerint, atque ad Monasterium vallis Dei relegati, vbi sub regula D. Bernardi militant, per Fridericum vero secundum Imperatorem, & Engelbertum Pontificem Vbiorum, cuius diœcesi subsunt suffragante sede Apostolica translatæ sunt Porzetum sub Annum Domini millesimum ducentesimum vicesimum Sanctimoniales Cistersiensis instituti plus minus quinquaginta ex monte Saluatoris seu vt alii malunt B. Syluestri, quæ hoc æuo ibi perseuerant, & anniuersariam natalem memoriam Diui Gregorii primi Abbatis Porzetani celebrant pridie Nonas Nouemb. Anno virginei partus MCCCLI. Abbatissa toparchiam Porzetanam lubens volens vna cum ciuili iudicio trãstulit in S.P.Q. Aquensem, se subditosque ac municipales suos titulo patrocinii & tutelæ in-

Psal. 93.
Cæsar. lll. Mirac. lib. 1.

Hodie Vilen vernaculo idiomate nuncupatur.

clyto senatui committens, in quam transportationem eodem anno suffragatus est Gerardus Abbas de Cleirmont, eamq; probauit. Perspicuum fit ex Cæsario exemplari vitæ integritate in monte S. Saluatoris sacratas Deo Virgines olim degisse, reclusasque nonnullas hoc est ab aliorum alloquio abstractas inibi Diuinis sese mancipasse, inter alia prefert in medium laudabilem Dominæ Holswindis Abbatissæ conuersionem, quæ cum esset Arnoldi Sculteri Aquensis viri opulenti filia tanto feruebat ardore pietatis in tenella ætate vt à Genitrice sua non infrequenter flagitaret, in Monialium familiam, cœtumque sese promoueret. Matreque iam tum conscendente super cilium montis S. Saluatoris, in quo conuentus sororum de Porceto isthoc æuo agebat, filia comes Duxque fit itineris latenter subintrat fenestram, ad dormitorium conclaue peruenit, religiosum habitum corpori circũdat, inde haud se digressuram inclamans, attamẽ emota blanda Genitricis prece educitur, post interuallum temporis ad exortum solis matre iterato montem petente filia rata quod erat in S. Saluatoris ædem sacratam incomitata eam consequitur, denuo habitu reassumpto votaque concipiens firma istinc se nulla vi amouendam, quæ rescíscente eius progenitore, coassumptis germanis fratribus irę impotens, fores vi protumpit, filiam à familia religiosa educit, illa vero firmari in proposito pio & non flecti, ac maiori quam ætas ferret prudentiæ laude parenti responsum tulit ita vt spiritu diuino eam afflatam haud grauatè præsentes compererint: eam tandem catastrophen res sortita, vt Leodicensi Antistiti, patrem & complices sacramento communioneque interdicere necessum fuerit: restituta in pristinum statum filia, vt nouellum germen fructificauit Domino, ac post interstitium haud multorum annorum in Abbatissam lecta est: Meminit idem Cæsarius sanctimonialis inclusæ vt vocant in mõte S. Saluatoris iuxta Aquisgranum cui dens Diui Apostoli Bartholomęi dono obtigerat, quo comperto sacerdos, cuius ipsa sacrificium obire consueuerat portionem sacri thesauri instantissimè deposcit, consensit virgo licet grauatè, ocissimè vero vt suppositum ad scissionem ferrum guttatim sanguis stillans decidit veluti recens martyr in agonia martyrii decertaret, viso portento dens integer reclusæ restituit⁹, cætera prodigia seu raræ virtutis monita ibi perpetrata, ex quibus sub ea tempora regula arctior, disciplina exactior haud obscurè colligitur, Cæsarius ipse suppeditat: sed & in hoc nostrum vsq; æuum

Cæsarius Heisterb. Ill. Mirac. lib. 1.

Cæs. lib. 8. Ill. mir.

mm

memoria perseuerat, qualiter in monte ac Ecclesia S. Saluatoris ad igniculos pietatis ac stimulos compassionis cum Christo Redemptore in quadragesimali ieiunio potissimum excitandos maiores nostri sese mutuò præuenerint, dum à radice montis verticem genibus prouoluti petentes conscensum Caluariæ recoluerunt, in ipso autem templo pro honore quinque vulnerum Christi genuflexiones, humi prostrationes precesque iterârunt, simili deuotionis æstu in ascensu ad Basilicæ Aquensis altum monasterium, retroacto sæculo prædecessores nostri agitati sunt rememorantes probrosum Christi crucis pondere grauati conscensum septenosque casus, quibus ex sententia complurium perhibetur ad terram pressus, sed ea eheu magna ex parte refrixêre: Redeo ad Porcetense cœnobium iuxta Aquisgrani situm, ibi eodem Cæsario memoriæ prodente tabula cubitalis est, imaginem B. Pontificis Nicolai ab vmbilico & sursum in se repræsentans quam B. Gregorius Regis Græcorum filius & cœnobij eiusdem primus Abbas atque fundator illuc aduexit: dicitur *eadem fuisse icon, quam barbarus, sicut in miraculis S. Nicolai legitur, tulit,* & *ad custodiam sui telonii posuit, cuius occasione ad fidem conuersus est, cum sua perdidisset, & casa imagine eadem recepisset plurima per eam virtutes factæ sunt, maximè in prægnantibus: tempore quodam cum ad domum honestæ matronæ in partu laborantis fuisset deportata, & contra eam ad parietem suspensa, ea hora, qua partum edidit, ne parietem quasi attenderet, cunctis qui aderant intuentibus tabula se vertit: Est autem eiusdem imaginis facies oblonga, & exesa, multæ grauitatis* & *reuerentiæ,* & *in fronte caluities, capilli tam capitis quam barbæ candidæ canitiei: nuper vero Monachis cedentibus Sanctimoniales ordinis nostri (puta Cisterciensis) cum tabula locum receperunt.* hucusque Cæsarius: atbi ratur Molanus tabulam illam hodie non exstare, reuera tamen superest integra, excisa vt apparet è muro & argenteis laminis repræsentantibus facti furtiquæ speciem circumuestita, ad collum D. Nicolai pallium est cum crucium imaginibus phrygio opere contextis, hoc insigne Romani Pontificis potissimum, ab eo tanquam summi honoris & potestatis indicium Patriarchis,

Cæsar. Ill. Mirac lib. 8.

Hæc imago eod. Cæs. teste fertur ab eo qui S. Nicolaũ in carne vidit, formata.

Exod. 18.

Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 136.

Primatibus & Metropolitanis impartiebatur, estque indumentum loco superhumeralis summi sacerdotis in sacerdotio Hebræorum ex lana confectum, quod sicut Christus ouem aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris sustulit, ita Magni Pastoris imitatores esse oporteat Episcopos; barbarum alij, alij Iudæum aiunt qui huic iconismo æs & substantiam per fas nefasque quæsitam concrediderat, cum autem eo digresso ædes per fures expilatæ, direptis thesauris reuersus infidelis excanduit in imaginem ceu fidæ custodiæ oblitam, eamque figit ac cædit, qua repentè sanguineo sudore perfusa, ruminat secum nouitatem rei, alijsque retegit, edoctus de prodigio, fidei, Christianæ sagenæ immergitur lubens; hæcque ipsa imago è Græcia à D. Gregorio ad has oras deportata occasio fuit templum antiquitus Porceti excitatum sub nomine Sancti Nicolai dicandi sacrandique, ex quo præter priscum iam collabascens sacellum eo nomine indigitatum hodiè nihil extat, porro quæ iam visitur Ecclesia Diuo Ioanni Baptistæ inscripta est ab eo forsan æuo quo cœtus Religiosarum Cistertiensium Cœnobitis qui institutum B. Benedicti sequebantur successit.

Præter prælibatam iconem coruscat Ecclesia & alijs seu purpuratæ seu russatæ Diuorum turmæ memorijs, Beati vero Apollinaris brachij pars opera Decani Aquensis Francisci Fosi inde ablata, magnaque reuerentia in ædem sacram Collegii inclytæ nationis Germanicæ in alma Vrbe Romana à sanctissimo vertice Apostolico Diuæ memoriæ Gregorio eius nominis XIII. fundati illata.

THERMARVM Aquensium seu Balnearum ortus, qualitas, differentia, ac rectus vsus.

Caput duodecimum.

MISSOS omnino facere, aut certè quam paucissimis attingere Vrbis Carolinæ medicatos fontes propositum erat; sed cum medicinæ Doctor Franciscus Fabritius edito super his

actitu ante aliquot annos viam commonstret, nè communi vtilitadesim mutata sententia visum nunc horum quoque vites, vsum saum, ac abusum producere, ita tamen vt omnia hæc saniori Medicorum iudicio lubens volēs subdam. Balnea, Græcis βαλανεῖα, Romas balneæ, vel Balneatia dicūtur, ad quorum scilicet alueum descenmus sanitatis aut voluptatis causa, vt lauemur, appellantur, ita non ntum loca aquas continentia fornace, seu adscititio calore calefaas, qualia Vitruuius lib. 5. describit, vbi ex frigidariis in tepidaria, & nc in caldaria tantum defluebat aquarum, quantum lauandis corribus & eliciendo sudori sufficiebat, & qualia Romanis & Græcis lim in crebro vsu, verum etiam ea, quorum aquæ natiuum calorem tra artificium aut externum ignem è terra sortiuntur, vnde scatuunt, cuiusmodi sunt hæc Aquensia. Thermæ vero tametsi propriæ cantur, quæcunque loca calida, siue illa aere calido plena & sicta nt, siue calidis lotionibus accommodata, vnde ἀπὸ τῆς θέρμης, hoc t, à calore dictæ Thermæ, quas sudandi fine ingredimur, attamen odo passim pro balneis accipiuntur.

Has nostras Aquenses balneas naturaliter calentes concessit eus huic telluri non solum ad voluptuariæ vitæ oblectamenta, ac elicias, sed etiam ad vtilitatem, ad curandam nempe aduersam & onseruandam valetudinem secundam, siquidem cum tanta intemetie, ac tam diuersis morborum languoribus afficiatur humanum enus, sapienter diuina benignitas imbecillitati humanæ opem fervolens inter alia remedia aquas medicatas è terræ visceribus conuo scatutientes dedit, vtpote quæ infirmos in quauis propemoum ætate, temperamento, sexu grauissime afflictos, & desertos à edicis, qui alia auxilia prius incasso labore tentarunt, semper si on ad sanitatem firmam, profecto ad meliorem valetudinem reucerent, præsertim vero quæ inueteratos morbos discuterent, inde non immerito veteres sacros fontes hos nuncupauerint: Si is naturalem originem horum & consimilium fontium ex se cantium nec calore nec humore deficientium scire aueat, secum exndat, vbi montes, ibi & plurimum fontes: insunt quippe monous complures capaces cauernæ vapore & aere oppletæ, qui si gore condensentur in aquam resoluuntur, & hinc promanant fons, vt planius Aristoteles in Meteoris. Cum igitur in Aquensi solo ntes & fontes frigidam profluentes tam foris pascua & prata irri-

gantes, quam intra vrbem lympha indeficiente scaturientes tam priuatorum ædes, quam publicas vias illustrantes, quorum primarius structura & magnitudine insignis, qui vmbilicum fori occupat, spectabilis etiam antiquitate is qui ante baptismale D. Ioannis Baptistæ sacellum quatuor iugi cursu prorumpit canalibus, nos iis relictis, vti notis, & oculo subiectis solum disquiramus, qualiter calescant Aquenses vndæ, & qualiter medicatæ.

Poetarum quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas fabulosa commenta exsibilanda ac explodenda in hac materia, è quorum vnus sic ludit.

Vnde hic feruor aquis terra erumpentibus vda?
Tela illis ludens ignea tinxit amor.
Et gaudens stridore nouo, feruete perennes,
Inquit, & hac pharetra sunt monumenta mea.
Ex illo feruent, raruso; his mergitur hospes,
Cui non titillet pectora blandus amor.

Alius.

Feruere telluris media inter viscera, lector
Thermarum limphas igne latente putas?
Nugæ: materies per plurima sæcula edaci
Nulla satis flamma ferre alimenta queat.
Vnde igitur calet vnda iugi scaturigine? tinxit
Hic olim paphius feruida tela puer.
Hinc est (si qua fides) calor ille, at mergere lector,
Faxo, tuum feriet cuspide pectus amor.

Maiori veritatis cognoscendæ studio philosophi fontium naturam explorantes arbitrantur in terræ visceribus includi ignium spiracula, quos si præterlabantur aquæ calescunt aut tepescunt, persæpe etiam ebulliunt. Hi subterranei ignes certi cuiusdam fomitis pastu, quasi immortales exsistunt, nec emoriuntur, quã diu materiæ ignem fouentes perseuerant; sunt autem materiæ in quibus hi ignes accenduntur, sulfur, alumen, sal, nitrum, terra carbonaria, bitumen chalcantum, &c. quibus permultum substantiæ igneæ est immixtum, succenduntur hæ vi solis, aut fulminum penetratione, aut attritu &

colli-

ollisione mutua, porro dum aquæ veluti ignis calore animatæ per
iuersa decurrunt loca, ita alienam imbibunt qualitatem, vt medica-
æ efficiantur, quod fit non solum in canalibus, quos fontes cum
rosiliunt interfluunt, sed subinde etiam in ipsarum balnearum
rigine nonnunquam in ipsis venis fibris aut saxorum commissuris,
crepidinibus per quas terra varias aquas absorbet; hinc vlterius
nascitur differentia, vt aliæ aquæ medicatæ sint tepidæ, aliæ calidæ,
onnullæ prorsus feruidæ, & bullientes, ex ignis videlicet intensio-
e, vel distantia, vel approximatione: cum enim insigniter calent
quæ, indicio est subterraneum ignem non solum in canalibus, ve-
um & vicinis locis sulfure, aut bitumine foueri, si non ita calent ar-
umentum est ignem magis procul abesse: rursum inde potior e-
ergit differentia in operationibus, salsedine, sapore, odore, ponde-
e, colore; etenim aliæ aquæ aliis magis lympidæ, aliæ cœruleæ, aliæ
lus vapidæ. Quod si exactius examinare volueris mineras & qua-
m rerum fossilium aquæ medicatæ participes sint, vel illas exco-
ulto in vase, vel in vitrea cucurbita distillato; seu quod nonnulli
lembicationi præferunt aquas ad solem exsiccato, vt ea quæ subsi-
ent in eis remaneant, deinde in tabulam sparsa diligenter in sole
spicito. Nam omne succi concreti genus si vnum aut alterum ex-
periis solis calore magis coagulatur, & eius lumine redditur illu-
rius; quod igitur candicat salem esse coniecturamus, quod vero
æruleum aut viride apparet, atramentum sutorium, quod Græci
χάλκανθον vocant, agnoscimus, quod ex albo ad fuscum modice de-
linat, alumen credimus, quod luteum auripigmentum, quod fla-
escit cum virore sulfur, quod rubore quodam rutilat sandaracha,
uod salsum cum amarore nitrum indicat; cæterum nitrosæ a-
uæ vt ad operationem progrediar, pituitam educunt, vterum
onceptui habilem reddunt, strumas imminuunt, neruorum vi-
is, distillationibus in pectus medentur, cutem expurgant, scabiem
nant, inflammationibus aut tumoribus auxiliantur; aluminatæ
entriculum vomere solitum firmant, vesicæ vlcera sanant, inordi-
atas mulierum purgationes & crebros abortus prohibent, ore ea-
em aquæ retentæ vlceribus eius opitulantur, & tumorem gingiua-
m tollunt, tonsillas gutturosas auferunt, vrinam prouocant, &
ertiuæ venarum sunt, stomachum confortant, & appetitum ex-
tant: Sulfureæ calefaciunt, siccant, discutiunt, euocant, exterunt,

emolliunt neruos: bituminosæ consimili fere facultate pollent; quæ æris naturam referunt, oculis, tonsillis, columellæ, & gingiuis conducunt; quæ vero ferratæ sunt, stomacho ac lieni præcipue salubres sunt: Inrer has qualitatum differentias Aquenses fontes vniuersos generatim comprehendo sulfure, nitro, sale, alumine, & bitumine potissimum imbutos crediderim, Embdensium propemodum more feruentes, nisi quod Embdenses plus nitro & alumine, hi plus sulfure & bidumine redundent, quæ quidem qualitates humorum redundantiam desiccant, calefaciunt, nec non incidunt, extenuant, abstergunt, trahunt, dissipant, discutiunt: ex his autem sulfur & nitrum & bitumen emolliunt, & quasi resoluunt, alumen vero, sal, æs, & nitrum adstringunt & roborant, secundo ordine calefaciunt, ac siccant. Sed libet ad magis specialia descendere, quomodo balneæ Aquenses sanent, quibus morbis, & quibus naturis prosint. Balneæ hæ calefaciendo ventriculum digerunt cibum, & auferunt cruditatem omnium morborũ matrem, etenim cum innumerabiles pene morbi, quibus ordinarie humanum genus cõflictatur, ex repletione subnascantur, quod plus assumatur, quàm vel natura requirat, vel stomachus possit perfecte concoquere, ideoque euacuatione tollendi sunt, balneum humorum fuligines in tertia concoctione relictas per spitacula cutis euocat, & eatenus per sudores extenuat, aperit item venas mesaraicas, humores copiosos crassos, & viscosos maturat, subtilitat, & incidit, sanatque vel maxime ægritudines frigidas vel humidas coniunctim aut diuisim: quocirca curat scabiem, vlcera, & alia cutis vitia, lepram, elephantiasim nondum inueteratam, pruritum, impetiginem, œdemata, lentiginem, vitiliginem, inflationes, tumoresque alios contra naturam, præmissa tamen debita totius corporis purgatione, & causæ internæ ablatione, ad hæc ad neruos resolutos, tusos, contractos, tremulos, spasmos, paralyses, dolores coxendicum, & aliorum artuum, ad membra rigentia, torpentia, trementia, ac palpitantia, articulorum dolores, vti chiragram, podagram, nec non ad ventriculi frigidam intemperiem prodest, chiragra tamen, podagra, & erisypelate laborantes non sine medicorum consilio balneis se credant, iecoris obstructioni, lienis duritiei auxiliatur, edendi appetentiam reparat atque excitat, intestinorum, lumborumque cruciatus placat, pituitosa vitia emendat, quasuis corporis lassitudines discutit:

capitis dolorem vetustum, eiusque vertiginem, resolutionem, conuulsionem, lethargum, catalepsin, suffusionem aurium, tinnitum, tussim humidam, asthma, catharros (quamuis nonnulli asthmaticis balnea ob copiam exhalationum difficultatem spirandi causantium interdicant, ratione tamen sulfuris cunctis pulmonum affectibus vtilia creduntur) ventriculum pituita plenum, aut resolutum, iliosum cholicum, nephriticum, icterum, aquam intercutem in principio morbi, stomachi dolores tollit, sterilitatem remouet dum vteros mulierum calefacit, vtque facilius concipiant habilitat, menses cessantes promouet, lubricitatem etiam nimiam sistit: denique cachexia hoc est malo corporis habitu laborantibus medentur hae aquae, quin efficaces sunt contra luem gallicam, quam alij hispanicos ficos nuncupare malunt, adhibitis simul alijs remedijs praesertim si necdum altas radices egerit, in his omnibus aquae cum ijs corpus immergimus nobis prosunt: quando autem potui inseruire queant, quamuis ex medico solerti & fido sigillatim cognoscendum sit, tamen generatim constat humidis & obaesis corporibus conducere balnea magis, quam aridis, siccis & extenuatis, aut calida intemperie laborantibus, vel siti excruciatis, incommodant etiam erysipelate inflammatis, biliosoque affectis morbo, voci, quia eius instrumenta exsiccant, Febribus praecipuè tertianâ correptis, veteres quidem in febre curanda vsi sunt balneis, sed eo tempore homines temperantius viuebant, hodie quia maior ingluuies, id medium periculosum.

His praemissis Aquensia balnea in triplicia diuido, quaedam sunt extra muros in vico suburbano, alia intra moenia, & horum sunt Regia, alia Corneliana, discrepantia qualitate aquarum tam inter se, quam à Suburbanis:

Regia seu verius Regium balneum à Rege Karolo nomen trahit, qui id restaurauit, & maximoperè deditus fuisse perhibetur aquarum medicarum insessui, qua de re multoties citatus Einardus in hunc modum pronuntiat: delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cuius adeo peritus fuit, vt nullus ei iustè potuerit praeferri, ob hoc etiam Aquisgrani Regiam extruxit, ibique extremis vitae annis vsque ad obitum continuò habitauit, & non solum filios ad balneum, verum Optimates & amicos aliquando etiam satellitum & custodum turmam inuitauit; ita vt nonnunquam centum vel eò amplius homines vnà lauaren-

tur: hoc balneum priscis temporibus intra Palatium Magni Karoli comprehensum fuit, quod Henricus VII. Imperator anno gratiæ MCCXXVI. indict. XV. Regni ipsius anno sexto cum omnibus appendicijs Regali Ecclesiæ B. Mar. V. ad communem Fratrum ibidem Deo famulantium vtilitatem imperiali largitione contulit, ac perpetuo possidendum duxit, verum Aquensis Ecclesia idipsum balneorum feudum hæreditario iure duobus balneatoribus anno salutis 1240. concessit pro annuata decem & trium marcarum Coloniensium pensitatione; palatium itidem tali forma, qua post Nortmannicam cladem fœde ferro & igne exustum, quod factum * anno 881. remanserat, munificentia Imperatorum comprimisq; Frederici II. Imperatoris memoratæ Basilicæ attributum, quod quidem ex vna parte mediante porticu templum cõtingebat ab altera in longa spatia protendebatur, tametsi hoc nostro æuo nihil eius ruderum superfit, præter solam memoriam iam nominis quã tita semita ex templo ad Balneas Imperatorias deducens vsq; huc detinuit auff dem Hoff patrio sermone: aula porrò vnà cum thermis regijs diruta sunt Normannorum sæuitia, nouissimis autem temporibus publica Ciuitatis impensa hæ restauratæ, vsque eò vt nostra ætate vnus idemq; puteus aquę feruentis tribus diuersis ædibus aquam suppeditet, qui ita per canales in singularum domuũ alueos plures & receptacula influit, vt ad summum labra eorum adimpleat, dein mora communiter refrigerata, & ad teporem reducta aqua lauaturos excipit; sub vesperam aut noctẽ ablutione peracta tota aqua per subterraneos tubulos emittitur, pauimẽtumq; à residentibus sordibus scopis expurgatur, ac tũ denuo recens aqua adinfluit, quæ in alteram lucem temperata ablutioni deseruiat; quoad qualitates exteriores lympida quidem est hæc aqua coloris tamen immutationi obnoxia, adeo vt subinde viridescens, nonnunquam subcærulea iuxta aeris varietatem videatur : quoad internas sulfurea vi ac admixtione nitri modici prædita est.

*882.

Cornelianum Balneum quondam fullonicam exercentibus potissimum deseruiuit, quod tandem à Cornelio ciue quodam, à quo & nomen mutuatur, ad vsus lauacri adaptatum est, aqua eius sulfurea est, salis ac aluminis portionem admixtam habens, quin & bituminis nõnihil inesse deprehenditur, adspectu magis turbida magis cærulea est, quã sit Imperatoriarum Balnearum, qualitates huius aquæ intensius ac validius calefaciendo, exsiccando, extenuando, discutiendo,

emol-

emolliendo, operantur, adeò vt sæpenumerò debiles vel harum diuturno solum odore offendantur: eapropter mora insessus in his aquis nō protrahēda est tam diu quam in cæteris seu Regijs seu Porcetanis, & vel maximè ad hos experti Medici præuium iudicium æger scrutari ac explorare debet, sanis autem si sint frigidæ & humidæ complexionis, & corpore carnosi nō magnoperè officiunt, at gracilibus, calidis ac siccis naturis facilius, iuuenes & extra morbum robusti his balneis tutius vtentur. Valet etiam hæc ipsa aqua epota contra stranguriam, & renum calculos, soluitq; omnem arenosam materiam: est huic ædi & lauacro additum das Rosenbadt/ & aliud dictum das Comphausbadt/ quod anno Christi 1318. coemit sibi Senatus à Wilhelmo Comite Iuliæ decem marcarum annua pensitatione, vsibus pauperum modo aptatum idipsum est. In colle, qui ad meridiem huic Vrbi imminet stadij circiter spatio à mœnibus municipium est Porcetum dictum in cuius valle cōplures erumpūt natura calidarum aquarū scaturigines, visuntur hic nōnulli putei ita ebullientes, vt obsonia concoquāt, ac in riuo in prata delibante, quod mirū visu iuxta decursum frigidæ, aliū fluxum calidæ percipimus, aquæ harū thermarum inter se haud multū discrepant, ab Vrbanis verò permultū, lympidæ quippe ac claræ cōtinuò ferme persistunt hæ eatenus vt nummum in fundo vitrea dignoscas sub vnda, neq; multū tetri halitus vel odoris spirant, dein sulfurea facultas nō tanta inest hisce, verū salis ac aluminis concurrentia eā temperat accedit quod Vrbanæ balneę exedūt atque cōminuant petras in marginibus alueorum collocatas, ast Suburbanæ porcetenses arenosam materiā iuxta limites aggregātes tophos generant; cumq; qualitates horū fontium moderatè sese corporib. humanis insinuent apprimè cōgruunt ijs, qui prospera fruētes sanitate voluptatis ergo abluere se gestiunt, vnde diutissime citra vllum nocumentum immorari possunt, ægritudine verò adfectos curant quidem sed tardius vim exerentes tardius ad vires, & vigorem pristinum deducunt: Egenorum quoque atque inopum sanitati salubriter prouisum, ac in valle hac Porcetana sub dio lauacra ijs destinata, in Vrbe iuxta Cornelianas sub tegmine tecti, vt prius dixi aquis medicatis absque vlla impensa vtuntur, fruuntur.

Inuitat nunc me sanus vsus Balnearum, vt obseruationes nonnullas subjiciam; quod enim alij à balneo vlceribus infestentur, plerique febribus corripiantur, cæteri aliis infirmitatibus ac sympto-

mat bus subiaceant, inde est quod tempus modumque balneis in remedium vtendi non habeant exploratum, quocirca hæc tibi breuia præcepto sunto.

1. *Subiturus balneum seu grauiter affectus, seu valens animi curas ac perturbationes, iram mærorem, similesque affectus seponet, qu a animæ accidentia tristia desiccant corpus, Prouerb. 17 Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa, salibus igitur iocis lepore conditis, lusu venusto cantu in balneo & ante spiritum oblectabit: Caueat ne corpus immodica Venere, vigilia, solicitudine, lucubratione ingenij, fatigatione aut aliquo grauiore exercitationis genere sit exhaustum aut debilitatum, vnde nequaquam probârim eorum consuetudinem qui peregre aduentantes recta ab itinere etiam pedestri ad aquas ipso aduentus die se deijciunt, expectandum consultius in alteram aut tertiam diem.*

2. *Si infirmus balnea petas adi prius Medicinæ peritum, industrium expertum, quã aquis te committas, qui quidẽ medicus perspectas habeat qualitates medicarum aquarum, ægri itidem mali eiusq; corporis temperamenti non sit nescius, ex vtriusq; scientia an & quod balneum expediat rite consulere debebit; vti autem inualitudine aut valetudine affectum non temere aquas calentes in potum arripere, sic nec Medico temere in potum eas præscribere conuenit, siquidem Thermæ hæ externis potissimũ vitijs abstergendis dicatæ sunt, quanquã ad interiores etiam intemperies conferre nõ negarim; quod si Medicæ facultatis gnarus ad haustum aquas ordinaret, scitum sit ægro eodẽ die non esse etiam insessu illis vtendum, adhæc postepotam aquam non statim sopori indulgendum, ne defluxioni catharrorũ ansam præbeat, ad extremum sub prandium cœnamq; non largiter cereuisiam ingerat, ne ex aquis mineralibus* & *cereuisia plus nimio refrigeretur.*

3. *Nec inedia debilitato corpore, aut medicinis nimis extenuato, nec repleto alimentis vel crudis, vitiosisq; humoribus redundante lauacra subire oportet, si igitur primis duobus modis exhaustum corpus instauretur selectis edulijs si oppletũ expectandum quoad cibus pridie sumptus probe concoctus sit, si peccante materia inficiatur, expurgetur*

periti

periti Medici administra opera medicamentis leuiter euacuantibus, si morbus aut morbi causa indicet, venæ etiam sectio præcedat, quanquam non sine vrgente causa.

4. *Cum necessitas premit nullum tempus ad lauationem subterfugiendum est, si illa absit deligendum tempus balneis magis accõmodum, generatim quidẽ quando temperies aeris inuitat, hoc est quando aer nec frigidus nimis nec nimiũ calens: immodice frigidus corpus balneis calefactũ facile offendit, dũ per apertos poros subintrat frigus, immodice calidus vires corporis dissoluit: tempus magis temperatũ est Ver & Autumnus, Aprilis, Maius, & Iunij potior pars, deinde post æstũ Canicularis syderis vsq; ad bonã partem Octobris sunt menses magis propitij, inter partes dierum horæ etiam temperatiores quibus aquis te committas secernendæ, eæ sunt æstiuo tempore orienti, & occidenti soli vicinæ, orienti potissimum, nã in exortu solis aer à nocturnis vaporibus expurgatus est; brumali ad meridiem accedentes, &c. Porro quoad cæli tempestatem & aspectum, anno bissextili, & cum pluuiæ circa ver continuo durant, frequentesque grauidarum abortus contingunt, ac arborum fructus corrumpuntur, balnea non sunt salutaria, sed subinde noxia, itemque anno sexagesimo potissimum plurimis obsunt, verum non vbique nec semper, nec in omnibus hæc regula locum obtinet, venti quoque & imbres nõnunquam viciant medicatas aquas, à syderibus etiam corrumpi contingit, & tum vitandæ,*

5. *Ingressurus aquas in exortu solis ab omnibus excrementis prius corpus emunda, leui motu ac inambulatione singula membra dispone balneum vide vt sit temperatè calidum, tum lento gradu ac pede idipsum subeas.*

6. *Vti in vniuersis rebus sic in Balneis mediocritas optima, nec enim nimis frequenter nec nimium diu aquis insidendum, frequens balnearum vsus corpora emollit, enervat, naturam soluit vires frangit, lippitudinem & cæcitatem causat, si nimis diu inhæreatur calor naturalis ab extrinseco calore vltra modum debilitatur, ac sic vires exhauriuntur, notat hæc vetus ac verus versus.*

Balnea, vina, venus, corrumpunt corpora nostra,
Restituunt eadem balnea, vina, venus.

Nimirum restituunt moderatè vsa; sed quomodo determinabilis fiet mora balnei & hora, cum quod vni est multum durationis, alteri est nimis exiguum? Aio imprimis Cornelianas Thermas, ob aquarum efficaciam tolerari vltra horam commode vix posse, Regias diutius, Suburbanas ad plures horas citra nocumentum, secundo suaserim imbecillis semel in die lauari dimidiata hora seu paulo diutius, robustioribus etiam priusquam balneis assueti non ferant longam moram vltra assignatum spatium, altera die perseuerare poterunt ad horam aut sesquihoram, & balneum calidius aptari sibi curent, insequenti vice continuabunt quoad absque languore poterunt, nihil tamen tentabunt vltra vires: pro corporum autem statu haud difficulter quiuis deprehendet lauationis tempus sibi congruum, calidi enim, epatici, imbecilles, vel origine vel morbo, macilenti diu balneis præsertim calidioribus insidere non debent, obæsi, carnosi, frigidi, humidi, bene habiti & fortes diutius, mulieres diutissime immorari possunt, neimpe in aurora duabus tribusue horis, in vesperam similiter; numerum etiam dierum certo præfigere non valemus, sed quiuis eum experietur in se pro complexionis suæ robore, vel imbecillitate, totq; diebus balneum frequentabit, donec functiones naturæ vegetiores redditæ.

7. *Non omnes ægri vni alueo insidebunt, sed diuersa balnea intrabunt, secus si sani.*

8. *An balneum sit profuturum notæ est, si venter statim primis diebus versus spinam contrahatur, sin autem infletur, aut torminibus affligatur, vel si quis primo ingressu vri rodi intus videatur, deinde horrere incipiat inutile erit balneum.*

9. *In balneo se ingurgitantes cibo replentes cruditate, cholica infestantur, febribus corripiuntur, lippitudine hebetantur, viribus concidunt, quod si vehemens infistet sitis, malo citreo, prunis damascenis fragris, cerasis aliisque refrigerantibus ea sedabitur; debiles nihilosecius ac ad animi deliquium proni in ipso lauacro re-*

fici

fici debent, hos etiam nec diu balneis immorari nec fortiter fricari expedit.

10. *Egressus aquas aerem frigidum* & *humidum pluuiasque deuitabit, in tepidario calidis linteis abstergetur, & inuoluetur, exinde in conclaui à ventis & aere tuto lecto decumbet, sudabit ad semihoram, somnumque breuem à sudore si volet captabit non antea nullatenus vero prætermittendum caput exsiccare, & leniter confricare.*

11. *Absterso sudore indutus vestimentis in aerem temperatum & purum egredietur, donec iterum sensim refrigescat, aut in cubili modice obambulabit, aliove leui exercitationis genere artus, totumque corpus recreabit.*

12. *A balneo non immediate plenis buccis sumenda esculenta aut poculenta, sed post moram, inambulationem exercitiumue memoratum, cibus vero primus sit sorbilis qui aluum emolliat, venas non obstruat, nec ventrem flatuoso distendat spiritu, deinde solidior boni succi,* & *concoctu facilis, parcior tamen quam alias consueuit, pro virium, morbi, aeris* & *temporis ratione, cruda, acida, salsa, dura, frigida, opilantia, astringentia, glutinosa, lactaria vitentur, deuitetur itidem frigidæ potus, nam caput tentat, vinum album, moselanum, tenue non acerbum, clarum modice astringens conducit, similiter cereuisia probe concocta ac defæcata minimeque acida.*

13. *Quibus voluntas aut consuetudo bis in die balneis lauari quinque vel sex horis à primo cibo sumpto interlapsis, expectent quoad rursus sub inclinantem diem aquis se credant*

14. *Venereis indulgere ijs, qui sanitatis causa medicatas aquas, frequentant prorsus interdico.*

PERNITIOSÆ CIVICÆ factiones Regali Aquisgranio.

Caput tertium decimum.

CIVITATEM dictam aiunt, quasi ciuium vnitatem, non modo quod vno aggere vel vallo circumagatur, sed quod eodem velle, eodem nolle, eiusdem fidei symbolo, earundem ciuilium legum ac ac iustitiæ nexu coalescere ciues & velut inuiscerasci debeant, tam fœlicibus cathenis innodatum ceu in virili toga substitit aliquando Aquisgranum, florentissimum vidit populum ac frequentissimum, benè beateque viuebatur, in quo vrbis flore delectu incolentium & lustratione habita Anno 1387. recensa fuêre duodeuiginti millia, sexcenta viginti sex capita, præter iuuenes innuptos, omnes militaribus armis instructissimi, ac ne tum ex multitudine operariorum pannificio vel maximè & textrinis operis vacantium confusio suboriretur, consuetudo recepta est vt hora vndecima adulta die, & hora nona iam inclinata signum ære campano daretur desinendi operis, qui mos etiamnunc obtinet: Negotiatores huius vrbis in varijs emporijs sumptuosas ædes mercium & aduentitantium, instructumque commoda receptacula habebant, qualis illa fuit Venetijs & apud Antuerpos loco vbi nunc templum Societatis Iesu Patrum, indigitata quondam domus Aquensis, enimuerò partim nostris seculis, partim salutis quadringentesimo supra millesimum seditionibus obuolutæ intestinis Aquæ Graneæ, verticibus dico inexplicabilibus, vti humana omnia variam in faciem sunt mutari obnoxia, vrbibus quippe atq; ædificijs non secus ac hominibus suum quoque senium suaque mortalitas sequitur, labe ac fœda impuritate respergi cœpêre, vsque eò vt ob subortos sæpenumerò motus internos vacuata ac viduata pedetêtim numeroso habitatore vrbs, seminarium autem turbarum vel fuit idem quod apud Romanos, nempe quod mixtim è patribus plebeque Senatus legeretur, vel hæresis: & posteaquam hæc irrepsit, creberrimè Ach Aach atris ac funestis tumultuum fluctibus exarsisti in promptu causa est hæreses, scelera,

alii 19626.

schis-

ſchiſmata & ſeditiones ſeſe mutuo gignunt, vniuerſa quæ immunitatis gratia, omne bonum Baſilicæ Marianæ acceptum ferre debebat, quo deuenisti alienatione facta à fundamento priſcæ fidei, fundamento Ædis Principis & Auguſtæ? in mille labyrinthos errorum præceps ruiſti, in mille anfractus factionum ſciſſa es, inquietum factum eſt mare & turbidæ aquæ tuæ, naufragis ſcopulis oppletæ & quomodo ſerenabis fluctus, malatiaque conciliata enauigabis, niſi ceu poſtliminio reuertaris ad ſacri templi quod deſpexiſti vinculum, vinculum dico animorum in vnitate religionis vt ſint vnanimes ciues tui vnum omnes loquentes & idipſum ſapientes. Pindarus mihi hic in mente; Facile eſt cuiuis mouere vrbem, ſed in tranquillũ ſiſtere ſine Dei auxilio nemo poteſt: proferam ſeditiones ordinatâ ſerie atque à ſqualidis & vetuſtis illis exordiar, dumq; ſedatas omnes perſpicimus in Dei Optimi eiuſdemque matris Virginis tutricem dexteram cum gratiarum actione referamus. a Philip. 2.

Anno Saluatoris MCCCXLVIII. enata ciuica procella, & vero confeſtim ſopita: trecenteſimo ſexageſimo octauo ſupra milleſimum duo facinoroſi morte damnati à plebeis, citra conſuetam iudicij normam Scabinis & Magiſtratui competentem, eodem anno ſub Conone ab Eychorn & Iacobo Colyn Conſulibus qui fullonicæ & textrinæ artis conglomeratim accurrunt ad Diui Petri coquentes contra Rectores ac optimates Vrbis conſilia, deligenteſque quatuor factionis ſuæ anteſignanos, magiſtratus in eos facit impetum, ac quatuor primaria tempeſtatis rebellionumque capita capite truncari imperat, eatenus pax ciuitati reddita.

Falſæ nouæque doctrinæ delyria hiſce temporibus ſub vocabulo Bogardorum & Beginarum Aquis propagatæ, facilè etiam vrbem commouiſſent, ſed prout aliis naſcentibus hæreſibus Diui Imperatores ſpeciali ſolicitudine in id ſemper aduigilârunt ne Regia ac coronationis Regum Rom. ſedes adulteri dogmatis tabe pollueretur, ſic in hac ſupprimenda Imperator Carolus Quartus ſolerter adlaborauit præcipiens anno Diuini Natalis MCCCLXX. Magiſtratui in Aquis vt Ludouico de Caliga inſtituti Diui Dominici à ſede Apoſtolica hæreticæ prauitatis inquiſitore deſtinato ope & beneuolentia ſuccurrat, vt infauſti hæreſis iſtius palmites quantocitius ſuccindantur.

Anno MCCCCI. ante D. Ioannis Baptiſtæ ſcriptum quoddam ad balnea populari vocabulo Compbausbadt ſuffixum turbarum ac

diſcordiarum faces ſubminiſtrabat, ſed deferbuit rebellionis æſtus ſupplicio reorum.

Ipſa memoria D. Laurentij anno 1428. communitas Aquenſis coadunata contra Magiſtratus ſcitum conſtituit decem artificium collegia delegitque nouitium Senatum qui congreſſione facta intra ſepta Cœnobii Auguſtinianorum inter alia decernit præter lanienam antiquam eamque vnicam erigenda inſuper tria macella, Magiſtratus vetus ac verus tametſi prima facie conuiueret, cunctaque rata habere ſimularet, attamen haud longè poſt conſilio deſuper captato Nobilem virum Conradum de Eychorn cum nonnullis aliis ablegauit ad Comitem Gumbertum de Newenar, Comitem Ropertum de Vyrnenberg & Dominũ Ioannem de Lohn Dominum de Hinſperg oratum vt ſuppetias venirent coercerentque inſoleſcentem plebem, qui Comites citra longam moram ſubditorum ſuorum coaceruantes manum, ſub peregrinorum tegumentis, (vt latentis doli ſuſpitio procul foret) alios diſcriminatim ab aliis Aquas progredi recta iubent, quib. in vrbem receptis ſic clandeſtinè manipulatimq; diſpoſiti vt aduẽtantib. ſub atræ noctis ſilẽtio memoratis comitib. vna cum eorum auxiliarib. copiis nempe mille quadringentis equitibus circiter porta patens eſſet, cerneres hic trepidantes ciues, cedo quid fit? ad primum ingreſſum exteri militis altera nẽpe Octobris inſequentis anni 1429. ſoli regionis Iacobeæ ciues accumulati in cœmiterio, reliquis magis magnanimi belli ſigno dato, campani æris dico ſonitu ad defenſionẽ præſto ſunt, è quibus prima velitatione quatuor & viginti plus minus ceciderunt, cæteri indigenæ omnes virib. ſuis diffiſi ſubmittunt ſe victorum gratię, quorum imperato quatuor primarii Vrbanorum motuum ac defectionis primipili poſtridie pœnas dederũt, dãnatiq; publicè in foro capitis: reſidui attracto ſanguine S. Stephani ꝓthomartyris fidelitatẽ Magiſtratui debitã religioſè iurârunt, ꝑter has tumultuationes an. 1435 rurſum ciuiũ exulcerati animi cõtra legitimum Senatum verũ poſt aliquot mẽſium interuallũ cõcidit nouitium regimen.

Anno 1439 noui fluctus ac ciuicæ procellæ contra magiſtratum quod is communitates nemora ac prata quædã ad portam D Iacobi ſita pretio abalienaſſet ex quib. parochq eiuſdẽ D. Iacobi Eccleſię decimæ exſoluebãtur: hæ tamẽ ita compoſitæ vt magiſtratus memorato paſtori 40. modios frumẽti annuè pẽderet quib. ille hodieq; fruitur.

Nec certè minore difficultate magiſtratus perpetuus à ciuib. eſt agi-

tatus hoc nomine quod ære alieno se obstrinxisset hinc idē ann.1437. ex quolibet collegio ciuiū sex viros ad consiliū adlegerat vt secū maturè expēderent, de remedio vlceri ferēdo cū autē malū hoc decursu tēporis in peius iret, adeo vt etiā ciues tutò foras negociari vix possent, expostularentq; quod qui magistratus perpetui munia obirēt, nullas rationes accepti & expensi redderent, hinc demū noua tēpestate concussa ciuitas an.1450. exorti tū motus ilicò sopiti fuêre siquidē Magistratus antefatus tumultuariis culpā ignouit, cōmunitatē Aquensem sollicitans vt in debiti contracti extinctione auxilio esset, quod cū ciues annuissent ipse magistratus dignitati suæ perpetuæ renunciando vndecim trib. seu collegia iisdē ciuib. ratificauit, statuitq; fuit Consulum, Scabinorū, Magistratus, tribuū & artificum totiusq; Reipublicæ Aquensis vnanimi cōsensu ac volūtate cunctas priscas antiquitasque cōsuetudinis vrbis, iura tā in politicis quā Ecclesiasticis inuiolabiliter obseruāda, vt quotannis instauratio fieret magistratus ex dictis tribubus ipsa memoria D. Ioānis Baptistæ, rationes quoq; redderentur, vt nullus vnquam in senatum coopteretur nisi qui legitimo thoro natus, laudabilis vitæ, famæ, existimationisq; habeatur, aliaque fierent iuxta formam literarum desuper eod. anno pridie quam Martyrem Catharinam veneratur Ecclesia confectarum quas vocant vetera concordata sodalitatum seu ciuicarum tribuū vulgo der alt Gaffelbrieff.

Licet vero an.1477. post turbulentam nouam sectionem decretum fuerit quod totū Scabinale Collegium vna cum quatuor viris ex quolibet membro Reipub. (quorum nouem in Aquis, populari dictione nuncupata Graffschafften) magistratui hæreditario iure incorporarētur arbitriū curāq; vrbis exercerēt, nullaq; deinceps restauratio Magistratus fieret, attamē qa & hoc regimē plus æquo sibi suisq; cōfœderatis amicis quos indigitabāt die Ketten eorūq; lucris ac quæstib. in vino aliisq; reb. venū exponēdis inhiaret q̃ vtilitati publicæ studeret, p̃sertim cū cæteri ciues insolitis exactionib. magis magisq; aggrauarētur, ob id nō diu subsistere valuit hæc administratio insequenti tq; tēpore an.1513. per modū factiosæ tumultuationis qua populus rationes exigebat iam secundo sublata, ac gubernaculum vrbis ad normam antiquorum pactorum præmemoratarum literarū ann.1450. restauratum fuit, q̃ quidem pacta siue Gaffelbrieff etiā postmodum diuerso tēpore iterū iterumq; ratificata ac in hoc vsq; æuū obseruata: custodia mācipati fuerāt in hac seditiōe Petr⁹ de Inden Cōsul & pleriq; primarii ac

opulentiores ciues Senatoresque sed relaxati post præstitam cautionem aut exsolutam pecuniæ mulctam, non pancorum etiam facultates arresto detentæ; quæ omnia dissidia strenua opera Reuerendi ac Vener. Viri Theodori Menartshagen ad D. Adalbertum in Aquis Præpositi ac Consiliarii Principis Iuliæ composita, deputatusque à nouo Magistratu Ioannes de Belderbusch ad Cæsaream Maiestatem pro initæ pacis confirmatione: eodem anno Wilhelmus Beissel cum quodam complice conuitiis Magistratum pro libidine insectatus fuerat, ac tribus plebeias in eundem illexerat, quibus duobus morte damnatis mox dulcis quies: & præscriptæ ferè omnes ciuicæ commotiones ante iam nunc retroactum seculum hæresis omnigenæ feracissimum.

Extremis his annis allophyli colluuies plebeia aliunde ob hæresin profligata & Aquis specie priuilegiorum quæ in occasionem dant carnis admissa per diuersas factiones ceu furiarum inundationes circa medium æstiuorum mensium vtplurimum vaferrimè inchoatas haud infrequenter intentum suum machinata est, & quidem sub quæsito prætextu Senatus edicti pactorumque ann. MCCCCCL. sectarii sæpenumero ad Magistratum aspirârunt per ea sibi aditum minimè præcludi arbitrati, ast prorsus inani fundamento subnixi, siquidem hæresis inter summa crimina reputatur eiusque sectatores excommunicati sunt à sede Apostolica, & omnibus priuilegiis honoribus; beneficiis iuris destituti, eorumque incapaces censentur, quinimmo tam Diuorum Imperatorum constitutionibus quam sacris Canonibus infamia notantur, adhæc sub tempus memorati Senatus edicti haud præcognitum erat hominum genus quod sub speciosi nominis Christiani seu Euangelici exteriori superficie cariosam venenatamq; spargeret doctrinam, ac mille errorum fluctibus obuolueretur, sic nihil sub sole stabile, vniuersa sensim in desuetudinem & prauos mores ni otius occurratur declinant degenerantque, priuilegia ciuica solis catholicis bona fide sineque elargita quamdiu in auita doctrina persisterent conuenæ ac turbatores isti cupidè studuerunt seruire pro effrenatorum hominum asylo, veruntamen auertat Opt. Max. Deus ne eis gaudeant quibus est velamē malitiæ libertas, neue solum regale locumque coronationis inuolent violent aut exscindant religionis hostes.

Vt autem euidens fiat quam subdolè & plusquam vulpina fraude

ad Gal. 5.

C de hære. l. 1. C. de S. Trinitate & fide Cathol. 6. q. 1 infames C alieni. 1. q. 7.

subinde & latenter, alias tumidè, nonnunquam audenter absque omni metu, semper tamen de facto contra iuris ordinem processerit seditiosa hæresis, è diuerso quanto nisu restiterint veteris Maiorum Romanæque fidei, quâ viri Principes, quâ subditi & inquilini: quam videlicet leniter in puniendo Cæsar, quam vigilanter Rex Hispaniarum tanquam Burgundiæ ac Belgicæ Dux, quam cordatè confines adsitique Duces, atque intemeratæ fidei Catholicæ ciues, adsignabo quam concisè per annos stupendas metamorphoses; eadmq; simul Ecclesiarum Lutheri & Caluini Hæresiarcharum in Aquis origines, cum omne genus ad originem suam censeatur necesse sit teste Tertulliano; inde clarum fiet quod hæreses de nostro fructificauerunt non nostræ, in confessum veniet hoc illis vt vbique sic hic negotium fuisse non ethnicos couertendi sed nostros euertendi, nostra suffodiendi vt sua ædificent, miraberis lector mendacio syluestres plantas quas non plantauit pater cœlestis, & vero nec hæresis nec pseudoprophetæ & adulteri euangelizatores vires habuissent nisi ab iis qui in fide infirmi erant recepta fuisset. Tertull. de præscript. adu. hæret.

Anno MDI. crucis signa supernè Aquis decidêre in vestimenta mortalium præsaga equidem signa inimicorum crucis Christi iam iam adfuturorum quorum finis interitus: postea & aliud portentum in persona ipsius Lutheri conspicuum Vrbi Aquensi factum, priusquam enim Martinus Lutherus in Germania sementem spuriæ doctrinæ (si tamen semen dicendum quod spinas & tribulos germinat & ad cuius sationem in hanc vsque tempestatem multorum labra dentesq; amaricati sunt) disseminasset, militiæq; religiosæ Augustinianorum castra adhuc sequeretur, à Prouinciali Ordinis Doctore Poebgen Visitaturo Aquense eius instituti Cœnobium comes adlectus est: Aquas Graneas adueniens Lutherus, vti passim adsolitus bibliothecam citra moram perlustrat, admiranti autem hoc cuipiam ac percunctanti Visitatorem, quid ita studiis deditus esset socius respondit, quis huius (Lutherum innuens) exitus quandoque futurus equidem nec capio, nec assequor, quippe quoquo versus, cum ipso appello, accurrit ilicò ad pulpita bibliothecarum, ibique deterioris notæ mucosi olentiorisque succi libros versat ac peruoluit: hæ ludicræ velitationes, exercitiaque portendebant maioris noxæ aculeos, ac veluti Scarabæus in equino fimo, sic Lutheri iuuentus in impuritatibus, fe[illegible] libris v[illegible] batur tam diu quoad olidis vaporibus inde

promanantibus multorum nares petitæ,oppletæque,vt amplius non valeant discernere verum.

Cum iam post interuallum temporis nouæ sectæ idolum factum esset Lutherus,quidam ex eius discipulis Albertus **von Münster** indigitatus,quem natione Westphalum fuisse ferunt,an.1524.in Aquensi solo & vrbe alienigena non erubuit ciues prauarum opinionum dogmate ac toxico imbuere,docens imprimis Catholicam priscamque fidem longè aberrare à regula veri,secundò Deiparam Virginem nec præcellere nec anteire quamuis aliam fœminei sexus,sanctitate vel dignitate personam: tertiò Diuorum intercessiones flocci pendendas: quartò actionem Lyturgicam inutilem esse in Ecclesia magisque fructuosum vnicum verbum à concionatore prolatum,quam mille mysticæ in Missa operationis: quintò, exuuias Sanctorum quas Magnus Carolus huc traduxisset,eas præsertim,quæ per côdictum septennale Iubilæum exponerentur palam conspiciendæ,haud magis venerandas quam communes vilesque centones: sextò satius peregrinis in publicè merentia prostibula, quam itinera tam longinqua oblationes & æs insumere: septimò expiationum publicarum,quas Indulgentias nominamus æque in haris ac aris sacrisque ædibus participationem fieri,immo se earum plenum, his aliisque fœdis scurrilitatibus quas honestatis causa hic non commemoro & morsibus, vt fert genius talium,nouum spurcumque Ecclesiasten acerrimè proscindentem Catholicam doctrinam Magistratus abducit,iniectis vinculis, impactisque ei compedibus,haud longè post vita moresque neoeuangelici in confessum venerunt: gliscente etenim fama capturæ, Traiecto mulier Margareta de Heze tabellione vrbis comitata aduolat, hunc Albertum, quem loco artis suæ mimum circulatorem, & agyrtam agere consueuisse aiebat,cædis reum incusat filium suum nempe Matthæum de Heze punctim nefaria manu enecuisse publico instrumento vrbis Traiectinæ ad Mosam sub dato 28. Iulij Anno 1524. testificatur,superuenit alia dirioris facti insimulatio à Senatu Wesaliensi exarata postridie Diui Pantaleonis præfato anno, scilicet, eundem Albertum Münster in caupona ad insigne Æthiopis Wesaliæ homini simplici insonti & innoxio pectus à summo ad imum fidisse,ac dissecuisse,pro salute anxium fugam arripuisse ad septi religiosi immunitatem,inde ob delicti patrati enormitatem abstractum in carceres & cathenas: verum cum duobus alijs effracta custodia

dilapsum, subnexa postulatio Senatus Wesaliensis continebat, vt eundem captiuum peruigili cura custodirent, vtpote in repagulis comminuendis, seris reserandis mirè dextrum: quæ omnia non diffidebatur reus, attamen palinodiam cantabat, venenosorum fidei iaculorum in vulgus antea immissorum, flagitabatque in Catholicæ fidei confessione mortem oppetere, quam ob causam, Magistratus sententiam capitis in reum pronuntiauit, cuius & damnatus est subditis gladio ceruicibus, traditoque corpore terræ eodem loco nempe ante portam D. Iacobo sacram, deductius planiusque acta & exitus prodromi Neoeuangelicorum ex libris senatoriis in Aquis hauriri poterunt, hæc ita carptim prout & iis haud absimilia Balthasar Münsterus S. P. Q. Aquensi de nunc à secretis non indiligenti opera studioque peruestigata è diariis obseruationibus mihi lubens volens suppeditauit.

Anno MDXXX. quando Augustana vt vocant confessio Cæsareæ Maiestati exhibita, missis Augustam vindelicorum Arnoldo Wymmer & Ioanne Bull Vrbs inclyta Aquensis inuicta perstitit in veræ & auitæ fidei petra separans sese à Principibus statibus, Optimatibus & Ciuitatibus Augustano dogmati deditis.

Diceres extincto insano insulsæ doctrinæ anteambulone prius facto Alberto de Münster dogma nouitium ipsum pressum, verum quod in prouerbio est hydram secârant, radiculæ inspersorum Euangelicis frugibus carduorum in cordibus incautis sensim repullulabant, siquidem anno MDXXXIII. quidam qui se prædicantem seu Magistellum Lutheranismi venditabat conuenticula fouit in popinis ædibusque Laurentii Teschemecher & veluti ranuncula fumos opinionum Lutheri & Alberti von Münster liberè coaxabat, Senatus vt has nebulas dispelleret, ipsum auditoresque carcerum mancipatione corrigendos edixit 3. nonas Ianuar. è vestigio præco iste muliebri pallio veloque ad talos promisso furtim ex vrbe se proripit, quo fuga dilapso Magistratus vice fugitiui in duos Ioannem Holzwergen & fenestrarium condictum Mottenkopgen viæ ductores ac itineris Comites inicit manus.

Vt verò non latius serperent lethalia nouarum hæresum apostemata publico senatus edicto ad resonantiam nolæ anno dicto mense Ianuario & Aprili itemque insequuto anno 1534. altera Septembris vti motis in con[illegible] sub interminatione exemplaris animaduersionis

cautum, ne quispiam clandestinis explanationib. Euangelii adsit, iis subscribat, vel oratores earum, potissimum autem anabaptistas recipiat foueatque, & quoniã promiscuum vulgus assolet confertim nouis rebus cito ac tenaciter adhærere, pleriq; ex eo Ioannes Crantz, Matthias Koeffer, Tonger Hensgen delusa Magistratus inhibitione in contrario flagitio depræhensi anno 1535. gladio plexi.

Psal. 61. Neque tamen sic destitit tabes aut emarcuit infectio sed partes vulpium facti, qui supererant sectarii sub prophanis cineribus prius crematorum flammam nutriunt, suo tempore crepitandam, venenum sub frigore fouent angues, opportuno tempore euomendum: ad templa Catholicorum fucata mente procedunt, diuinis intersunt, ne senatu & vrbe propulsentur; interim negotiationum suarũ (quas in Flandriæ & Artesiæ tractu exercebant lanificijs vulgato nomine dictis Worsset/ Caiant Arreß /) quæstum concinibus suis supra modum deprædicant, atque quidem opulentioribus suggerunt filios eò amandent, ad artis notitiam hauriendam, quibus tenuiores erant facultates instillant, vt mechanici isti Aquas Graneas accciantur, susurrantes ad viginti & amplius istius operæ esse magistros locupletes, qui in figendo Aquis domicilio & in perdocenda arte haud forent difficiles &c. omnia hæc molimina eò vergebant vt iuuentus Aquensis maturè combiberet hæresin, & aduentantes extranei ad defectionis præcipitium iuuarent inquilinos: Senatus non subodorans dolum Anno 1544. quatto Nonas Octobris annuit triginta familijs exteris, sub manuarij sedentariique artificij velamine ius ciuicum; promotores dictarum familiarum (siquidem omnibus propemodum res angusta domi vel mendici vel precario vitæ generi erant proximi) mox disseminant in vulgus resarcienda aduentitiis itinerum impendia, tantumque importuna instantia indepti vt magistratus erga allop ylos istos munificentia centenorum aliquot florenorum quos Carolinos vocabant sit vsus, neque solummodo domum illis, opificii exercitationi vulgo das Klanderhauß auff der Baach aliasq; ædes accommodas gratuitò consignarit, verum etiam multa millia nummorum iisdem ad primam inopiam subleuandam mutuò crediderit, illi è contrario (vt assolent homines triobuli de fœce incõditæ plebis dum surgunt in altum) eò tumoris turgidæque insolentiæ processerunt, vt tributorum & indictionum persolutionem legitimo suo Senatui detrectârint: haud lõgè post promicantes ex iis hæresum globi,

ad

ad lucem & notitiam venerunt, vsque eò vt ad querulas voces Synodalis iudicij per Senatusconsultum Ioannes Rouuier & alij lanifici purgare se iussi coram dicti Præside iudicij, & de abolitione spuriæ confessionis edocere, interea complures iuuenes certatim, qui tam extra quam intra Aquense solum manuarium hoc opus didicerant, compluresque ciues occæcantur fascino sectæ nouitiæ, inescatus etiam apparente esca lemurum noui Euangelij quidam vir primarius è Senatorum collegio Adam de Zeuell, qui huic negotiationi se immergere studebat, excitatis eum in finem proprijs ædibus arti aptis populari dictione: Klanderey Hauß / inescatus inquam familiari & cotidiana conuersatione infectorum, amansque periculi incidit in illud siquidem ipse primus duas familias hæresi conspersas aliunde huc accierat & quasi coemerat pretio ijs dato, hinc iam omnigenæ variorum idiomatum cantilenæ cantillari cœptæ ad suggillandos Ecclesiasticos & articulos fidei Catholicæ eneruandos.

Inaudiit hæc dolenter Sacra Cæsarea Maiestas Ferdinandus Primus Imperator & antecessorum insistens tramiti, pro conseruatione Sedis Imperii & ciuitatis Aquensis solicitus Antistitem Atrebatensem, Doctoremque Hase Aquas amandat, sanxitque in alienigenas sectarios sedulo ac gnauiter indagandum ac pro modo flagitii aut excruciandos supplicio, aut proscriptione multandos; ii 10 Iunii Anno 1550. commissionem planam fecerunt coram Consulibus Senatuq;, qui examine habito vitæ & morum quosdam relegarunt, decernentes neminem de cætero in senatorium ordinem cooptandum, vel ad aliquod publicum munus assumendum, nisi septennii incolatu fidei Catholicæ professionem omnibus testatam fecerit, pari modo neminem deinceps ciuico corpori aggregandum nisi documento prius producto anteexactæ vitæ.

Posteaquam anno MDLII. prælibatus Adam de Zeuell (qui interius tabe nouæ sectæ ictus erat, quod ipsum Catholicos latebat) in Cōsulem delectus esset magna affusi lætitia aduersarii veræ religionis gestiunt: ipse autē Zeuel vt intentum suū prosequeretur, electione facta, cōfestim ex Aquis ad villam suam in Bardenberg se proripit simulans Consularium fascū onere se prægrauari, nisi Senatus recessui an. 1536. conclusi (in quo tamen nulla religionis memoria mentioq;) firmiter inhæreatur, stabilisq; senatorii ordinis reformatio inchoetur, in spē erectus hoc medio se fructuoso finē haudquaquā frustratum iri.

Ipsa festa luce Vrbani 25. Maij dicti anni qua Consules ex more sacramento religiosè se obstringunt, amicè citat aduocatque Magistratus ex vicinus Adamum de Zeuel edisserens se nihil antiquius ducere quam laudabilem ordinem politiamque in suo Collegio spectare, & eo omnibus etiam neruis collimare: pridie Calendas Iunii sistit se personaliter Zeuel iureiurando Consulari præstito, ac simul oblata noua quam mente conceperat ordinatione stylo scriptisque expressa ad telam exorsam pertexendam ductrice; Senatus tantisper quoad tribuum & artificum sodalitates desuper conferant differenda hæc respondet, sagaciterque prospicit vrbi periclitanti.

Tametsi anno MDLV. quando pax religionis cum Protestantibus in Imperio sancita, permissum vt vbi præfuisset vtriusque religionis Catholicæ & Augustanæ obseruantia, ibidem citra perturbationem persistere posset, attamen vel hilum non potuit dimoueri Senatus Aquisgranensis de constantiæ statu; ablegato etenim ad diætam istam vrbis Syndico Gerlaco Radermecher viro quà ob eruditionem, quà ob industriam commendatissimo apertè enuntiari voluit, se nihil prius ducere, aut antiquius quam in auita maiorum orthodoxa Catholicaque fide fixum firmumque perstare: in hoc proposito perseuerans anno in sequente MDLVI. cum pannifici aduenæ irreptitii sub prætextu quod pastores germanico idiomate sermonem de diuinis facientes haud satis caperent fulti præsidio secundum Consulis Adami Zeuel deposcerent suis impensis Gallicanum Ecclesiasten in Aquis admitti, incunctanter 26. Ianuarii id aduersæ parti denegauit, eodem anno nonnullos inauditæ antea catabaptisticæ sectæ sede regali regnoque Aquensi relegauit.

Cum deinde anno MDLVIII. plerique anabaptistica lue correpti spreto Senatus edicto reuersi essent ad vomitum hoc est ad nocturnas coitiones & sermones, veniam sceleris impunes nanciscuntur, aliis non modo gratia ista denegatur sed iniecti in rogum viui vstulati sunt, tremefacti complices consortesque tredecim numero fuga disperguntur, qui demum ad multam precem, proposito facto non relabendi in pristinam sentinam vrbe & patrio priuilegio redonantur.

Scribebant anno iam memorato Principes & status Augustana nouitate illaqueati intercessionales ad Magistratum Aquensem pro

loco&exercitio suorum dogmatum in Aquis adipiscendo, qui excelso&infracto animo recusauit, sub idem tempus à Licentiato Amando Wolff, Doctore Christophero Hoff, Lic. Martino Rexard, Doct. Ægidio Mommer supremi Imperialisque Spirensis Iudicii Aduocatis& respectiue Assessoribus compactum ac conflatum consilium iuris prodiit eo sensu quod licitè templum& præco noui verbi nouæque Euangelicæ explicationis permitti possent, quod simul porrectum est Magistratui Aquensi à nouatoribus in Aquis degentibus vna cum supplice libello, verum Magistratus inflexus mansit.

Non absimili pertinacia anno MDLIX. 12. Cal. Februar. nouarum sectarum præstigiis imbuti Aquenses suppliciter deposcunt sua impensa prædicantem, incasso tamen labore, non obstante quod affectatione splendidorum titulorum se tum palliârint, esse se fidos, morigeros, pacificos Christianos, confessioni Augustanæ ex diuino afflatu subscripsisse, eoque nomine Deo Optimo Maximo immortales rependere grates, quod in nouissimis hisce temporibus pura puta Euangelii luce sua corda illustrarit &c. omnibus his verborum inanis ex propriorum phantasmatum nubibus expulsis nihil impetrârunt.

Accessère eod. ann. 19. Martii alia promotorialia scripta Francko-furto emissa ab Ottone Henrico Palatino Rheni, Augusto Saxoniæ, Ioachimo Marchiæ Brandenburgensis, Principibus& Electoribus, Wolffgango Palatino Comite in Veldentz, Christophoro Duce Wittenburgico, in quibus petebatur, vt locus conueniens & orator, qui verbum exhortationis ex nouæ Euangelicæ explicationis præscripto in Aquis formaret indulgeretur.

Ad quæ & alia ann. 1559. imperatum à Magistratu serio & seuerè communitati toti Aquensi, vt iuxta priscam Religionem vnicam & solam iam inde à sep ingentis annis& quod excurrebat à conditæ vrbis incunabilis cultam, & super cuius basi vrbs primitus fundata, quilibet vitam institueret, securè eum ambulare, qui in fide pronitorum suorum ac timore Dei procederet, dulci somno mortis conquiescere, iusteque inferri eum in sepulchra patrum suorum, à quibus vitæ instituto, & morum integritate non declinasset, vel deuiasset.

Spe lusus lapsusque grex erroneus dat sibi inuicem dextras artiori se vinculo illigat, nec otio torpet eius primipilus Adam de

Zeuel sed misso anno MDLIX. ad Augustanum Comitum filio suo Goswino Zeuel & Arnoldo Engelbrecht à Principibus & statibus suæ cathenæ innodatis suoque cœno conspersis opem implorat: illi Iurium Licentiatum Wenceslaum Zuleger ad Aquenses functionem Legati obire volunt, qui 19. Iunii literas fiduciarias quas credentiales vocant Magistratui exhibuit: Consul Zeuel vt assequeretur cum oratore quod orabat 20. dicti mensis instructionis litteras Legati primò deinde fœderis religionis in Imperio an. 1555. sanciti tractatum pleno Senatu prælegi iubet, sed malo gubernaculoq; sapientiæ directus Magistratus nō fluctuat, instat alter stylo & oretenus, & saltem designationem Parochialium Ecclesiarum curatorum & omnium Ecclesiasticorum, eorumque vitæ & morum documentum sub sigillo Senatus deposcit, ad subuersionem religionis priscæ: cuncta hæc dolosa iacula dispulit Senatus: necdum posse se nouitiæ religioni admittendæ adsentiri, nec posse aut velle itidem de Ecclesiasticis suis testificationem communicare..

At iuigilârat ad hanc commissionem Sacrata Maiestas Cæsarea Ferdinandus & XVI. Iulij præueniens oratorem scripserat ad Senatum, ne incautus illi adstipularetur in eiusque sententiam descenderet, sed in pristino statu omnia ad aduentum Legatorum suorum conquiescere sineret..

Nec minus excubabat Dux Iuliæ Wilhelmus anxius pro finitimis clientibus, qui XXVII. eiusdem mensis scripto Senatui patefacit Wenceslaum Zuleger feruido conamine, magnisque instantiis, sibi aurem vellicasse ad supportandum auxilium, quò D. Foilani templū ad vsus nouatorum panderetur, ipse autem Dux contraria cohortatione quam Legatus, ciuitatem extimulat, scilicet ne sacris Christi desertis transfuga fiat, commonefaciens vt in sola orthodoxa religione perennet..

Cæsarea Maiestas paternæ insistebat curæ Reuerendissimis Ioanni Gebhardo Archipræsuli & Electori Coloniensi è Mansfeldicis Comitibus oriundo, itemque Ruperto von Berge. Antistiti Leodino serenissimoque Duci Iuliæ Wilhelmo committit vt per suos Subdelegatos Vrbem adlaborent in gremio auitæ fidei Matrisque Ecclesiæ retinere, quod factum 12. Iulii anno 1559: ac noua sponsione vrbs firmauit Cæsareæ Maiestatis monitis se obtemperaturam, omnemque sectariorum exundantem perfidiam explosuram..

Haud

Haud à prioribus absimili suasione ac impulsu ad præpediendas remorandasque primas sacramentariorum machinationes Maiestas Catholica Philippus Rex Hispaniarum vti Dux Burgundiæ, adfinis & collimitaneus, ac vigore contractus icti cum Aquensibus anno 1479. vsa ad Senatum per deputatos ad eam functionem Iacobum von Boonen & Franciscum Ou larr, datis vnis ex vrbe Bruxellensi 15. Maii 1559. & aliis literis Gandauo 20. Iulii, insuperque postulans vt pulsi è suarum ditionum finibus, Aquisgrano etiam exturbentur, constitutum sub id tempus erat ipsi Regi Hispanias adire, sed adeo cordi curæq; fuit res fidei pio Principi, vt prius responsum ab Aquensibus præstolari maluerit, quam itineri accingi, Senatus excelso ac imperterrito animo responsorias dedit per Legatos quod in fide Catholica immobilis ac stabilis permanere iugiter cogitaret: rescribunt itaque Maiestates Imperialis & Catholica gratam sibi obedientiam & constantiam, hortanturque denuo vt nullatenus sinant se à concepto salutari proposito diuelli.

Ex diametro contra Fredericus Palatinus & Elector Wolfgangus Palatinus, Christophorus Dux Würtenburgicus Augusta vindelicorum 18. Augusti hortantur Magistratum vt exteros Christianos aliũde profligatos tutentur.

Ne vero ad tam crebras legationes, & requisitiones vtrimque habitas commotio ciuica efferuesceret, Magisttatus 29. Augusti indixit, vt omnium anteactarum commissionum tenores hoc est cohortationes Maiestatis Imperialis, Regis Hispaniarum, omniumque Catholicorum itemque Principum & statuum nouæ fidei nouiter affixorum, quin etiam pass uiense fœdus in causa religionis, &c. scripto simul adnotentur & in singulis Collegiis artificum & tribuum proponerentur, expectata desuper omnium ac singulorum sententia, cumprimis autem quid circa conuenas aliunde relegatos statuendum foret. Quæ cum ita comprehensa essent 30 Augusti è gremio Senatus selecti Ioannes Ellerborn Franco Block, Iacob de Bee, Matthias Bleienheur, Adamus Schorer & Stephanus VVolff, quibus onus incumberet, prælibata perlustrati, & si ita visum aut placitum in meliorem seriem redigere: Interea adhuc consedente & consultante Sanatorio ordine querimonia defertur non obstantibus tot inhibitionibus in ludificationem despectumque edictorum Senatus, conuenticula latenter agi, quibus etiamsi Adam de Zeuel pa-

trocinari adniteretur. attamen deputati à Magistratu ad reuidendum acta & scripta commissionum laborem omnem functionemque constanter renuerunt suscipere nisi prius fractores pacis publicæ & elusores superiorum suorum condigna pœna mulctarentur, atque ita communi Senatus decreto è vestigio conclusum vt Hanß de Bohemia hospes Clandriæ, hospites bini in der Keyart & alter in dem Wetenberg custodia publica arctarentur.

Quibus præuijs cum plebeiæ tribus ad propositas prælectasque Magnatum legationes & commonefactiones sese resoluissent, sectarij visis omnibus sibi aduersantibus, in vnum clandestinè conueniunt nouas pactiones inuicem conflant, de medijs despiciunt, quibus vel procella ciuica ebulliat, vel Senatus à conciuium ejectione absterreatur, quo fine Iudæum seditiosum cui nomen Ioannes Leuita, subornant, qui fama & rumorum vi falsò peruulget in Aquis cõplures ciues nitrato puluere, armis Martisque signis ædes suas probè instruxisse ad seditionem coquendam; quæ fama eo fine sparsa vt nonnullorum innocentium Catholicorum ciuium domicilia, de quibus & Iudæus susurrârat, simul visitarentur, sicque innoxii hac diffidentia exacerbati vnà pariter cum sontibus hæresi contaminatis ad commotionem ciuilem ciendam excitarentur: memoratus Iudæus deinceps ex Magistratus iussione per D. Gerardum Ellerborn & Hupertum Münsterum istum è Scabinali Collegio Consulem hunc vrbi à secretis Falckenburgi criminaliter accusatur mortique adiudicatur posteaquam prius baptismatis lauacro tingi petijsset.

Iam tempus appropinquabat quo discordiarum face vniuersa succenderentur, quocirca regens Consul Adam de Zeuel 22. Sept. anno 1559. Senatui Cæsarea rescripta ab vna, ab alia parte recessus senatorios ob oculos ponit, reiteratque: Magistratus replicat tribuum sententiæ firmiter inhærendum, irreptitiosque exturbandos; qua inaudita sententia haud pauci nominatim Carolus Gronendal, Ioannes von Sieg/ Henricus Garqwiller/ Cornelius von Wirdt/ Petrus Valengen/ Matthias von der Banck/ Petrus Gronbusch & Ioannes Caweling prius clandestinè adulterina ista fide sorditati, nunc se prodentes palamque è consessu Senatus assurgentes abitum fecere, quos eadem hora procaci ausu insequuti Franciscus von Inden vinimagister, Ioannes Schrick/ Ægidius von der Cammen vterque ædilis, depositis repentè clauibus ratione functionum ipsis commissis:

nemis-

nouissimè ipse Consul actu gubernaculum vrbis tenens Adam von Zeuel recessit, sese excusans quod isto turbido æuo consularem dignitatem obire haud posset, omniaque hæc eorum calida consilia eò respiciebant, vt vel Magistratus à proposito flecteretur, aut tempestate turbida ciuitas quateretur. Non mouebatur hac proteruia ordo Senatorius, sed citra moram Franconem Block, ad vicariam nauandam operam Consulatus cessi cooptauit, pariter decernens ne deinceps memoratorum è Senatu turpiter dilapsorum quispiam amplius ad consilium consessumque acciretur sed in eorum vicem alij surrogarentur.

Rursum præstituta die, quæ fuit 22. Septemb. edicto Senatus ad resonantiam tintinnabuli, prout ab antiquo moris publicatum, vt cuncti aduenæ, qui ciuium corpori necdum associati anteactæ vitæ & pacifici recessus ex loco vbi victitauêre, item documentum Catholicæ Religionis ederent, interstitio dierum decem & septem, secus vrbe Imperijque finibus excederent, idipsum edocendum ab ijs, qui in ciues iam aggregati: cautum insuper ne quis Scholas, quibus iuuentus in hæresi formaretur, obiret, in excubijs magis numerosiore commanipulatione maiorique peruigilio agendis leges sancitæ.

Satis superque euidens ac perspecta vniuersis erat mens Consulis Adami de Zeuel, verumtamen à Magistratu 26. Septembris iteratò ad ea quæ muneris sui erant capessenda amicè inuitatur, quo reluctante ac tergiuersante Franco Block summa animorum consensione in locum sufficitur, edito religiose sacramento, dein fit acrior indagatio in allophylos, quique vltra præfixam diem moram traxerant, aut carceribus mancipantur aut ilicò vrbe expelluntur, supplicanti Secretario Mathiæ Ratlig von Limburg oriundo & aliis vt abiuntibus saltem testimonium vitæ ciuiliter & honeste anteactæ concederetur recusa um est à Senatu, ne alias vrbes sub pariformi frico fidei Christianæ (iam tamen in illis arefactæ) dolose inficerent prout Aquasiam infamicârant.

Fuit inter ciues extorres vnus cui nomen Nicolaus de Rompelmondt / qui tactus pœnitudine super crimine admissæ hæresis, Ecclesiæ reconciliari petiit Catholicaque dogmata reamplecti, suppliciter poscens gratiam reditus in vrbem, quod eatenus Senatus indulsit, si sacramentis pe seueraret, & expiationis publicæ loco Dominica

die in Basilica Principeque Ecclesia D. Virginis velle alba amictus processionem, quæ tum circumagitur concomitaretur prægestans duas faces cereosue ardentes in manibus.

Haud absimilem pœnam obtulerunt alii extranei se voluntariè subituros, sed nec sunt auditi, nec fides iis habita qui sub pallio fidei semel circumuenerant.

Decimo quarto Calendas & ipsis Calendis Martii anno 1560. insistens Magistratus prioribus decretis, eorum suffragia valida non esse conclusit, immo secludendos è Republica, qui contagio nouæ doctrinæ suspecti vel conspersi forent.

Nonis Martii rursum concordibus vocibus & votis itum in hanc sententiã: Cum præterlapsis haud pridem diebus Senatorii ordinis nonnulli feroci proteruia è sedilibus consurgentes muneris sui desertores facti sint, plerique ob exigentiam culpæ exauthorati, & iam satis per experientiam in confesso sit cum irrestaurabili detrimento & iactura, quantam nouatores fidei, diffidentiam animorum, quas diuisiones rixas & exasperationes pepererint, hinc etiam haud difficilis sit coniectura, quod extrema pernicies, exitium, & interitus exspectandus sit; congruentibus votis concludimus ac statuimus vt non modo in transfugarum loca viri firmamento auitæ maiorum fidei ab exordio vrbis hic cultæ immobiliter innitentes cooptentur, sed inhibemus ne deinceps vel vacillantes vel desertores Religionis capaces sint vllius administrationis senatoriæ; & vt hoc Senatus decretum firmius robur sortiretur æuiternumque permaneret, declaratio & ratihabitio eius vniuersis artificum collegiis ac Vrbanis Tribubus singulis capitatim proposita est, quæ omnes subscripsere: si ethnici scriptores suam gentem vel maximè deprædicent quæ ægerrimè Deos Patrios & priscas ceremonias dimiserit, quanto magis à Christianis extollenda est tamdiu & tam variis modis tentata constantia eorum ciuium qui in Euangelica lege Christi Saluatoris purpurato sanguine plantata nihil vel in verbi Dei explanatione vel ritibus Ecclesiæ Romanæ priscæque immutatum iri voluerunt, circumspiciebant & ecce sacratas tot ædes, tot cruces confixum in eis Christum repræsentantes in viis publicis exemplo Constantini Magni antiquitus Aquis erectas, tot simulachra Deiferæ Virginis Diuique Augusti Magni Karoli tutelarium vrbis iuxta d. finitionem secundæ Nicenæ Synodi regionatim seu ad aditus flexusq; viarum præcipuarum seu in

Vtinam decretum hoc tam constans fuisset quam pium erat & æquum.

præ-

prætorio ac vrbis portis, fontiumque calidorum scaturiginibus pridem posita, hoc est, lapides vel tacẽdo conclamantes cernebant nouatores nouitatemque omnem confundere, & nec latum quidem vnguem dictitabant declinandum ab Euangelicis oraculis Christiq; placitis, prout vnanimi consensione SS. patrum Ecclesiæ afflatu Spiritus sancti rectorum pridem dilucidata: E diuerso doctrina noua ex se ad omnem carnis licentiam & conscientiarum libertatem (quæ reuera turpis mancipatus est) iter sternẽs, ad omnem leuitatem mutabilitatemq; diffluens, simulata pietas & sub ouina pelle latens lupina rabies aucupum Neoeuangelicorum satis concionabantur ciuibus firmiter ac inconcusse consistere in viis Patrum suorum. Recessu Senatorio ita fœliciter concluso citra longam moram surrogati Catholici in vicem fugitiuorum, quoniam vero post hoc decretum sæpe fatus Adam de Zeuell 13. & 25. Maij pro corona senatus in apertam contumeliam linguam soluerat, potestatem & superiores sibi à Diuino numine præordinatos ore & stylo per conuicium lacerarat, eodem Anno extrema Maij ex gratia Senatus eum in omne æuum & ætatem vrbe finibusque Imperii Aquensis proscripsit.

Anno M.D.LXI. duo legati, alter à Summo Pontifice Pio IV. alter à Romanorum Rege Ferdinando Aquas appulêre, quorum commissio, vt denuntiarent concilium generale & œcumenicum reassumendum esse circa enatas fidei controuersias, ac simul indicerent, vt fœlicem successum ac finem rei adeo salutaris ac necessariæ supplicationib. eleemosinis & expiationibus delictorum fideles iugiter promouerent, eodem anno de mandato Synodalis iudicii in singulis Parœciis proclamatum, vt omnes indigenæ iuxta ritus Catholicæ Romanæq; Ecclesiæ, vitã & actiones componant, secus si quispiam supremum vitæ spiritum editurus ex contemptu sacramẽtorum & in de defluentium gratiarum viatico salutari Eucharistico pane refici neglexerit, sepultura asini sepeliendum, & qui in viuis communionem cum Catholicis detrectarit in morte itidem ab iisdem separãdum. Prodigium quod in sectario Anabaptistico sub hoc tempus diuinum numen ostendit non prætereundum reor, ad portam interiorum vrbis mœnium populari dictione new pfort eius fæcis homo animam trahebat, ac ne, Ecclesiasticæ sepulturæ communione arceretur secluderetur q; hostia salutari præmuniri simulanter poposcit: datur: Verum ad linguam hærente Eucharistico pane, non valuit ani-

mo nec corpore æger panem viuum glutire, vnde excipienda eius ore fuit, atque postmodum in fata concessit: Anno qui sequitur in villa zur Wyden ad confinia vrbis Pseudoapostolus ad se populum allicit falsa doctrina, Ecclesiæ priscos ritus suggillans, per quem cum nonnullorum ciuium infantes baptismatis vnda abluti essent, Magistratus eorum parentes, alios quidem custodia portæ mulctat, alios vero in infidelitate & hæresi ex hac luce migrantes non in sacratis locis, sed pomœriis & olitoriis hortis præcipit tumulari: Insequēti anno 4. nonas Iulii Petrus Weigel alias dictus der dicke Peter è complicibus parricidalis ac funestæ coniurationis Grombachianæ à quodā Kogelbart in iudicium capitis Aquisgrani vocatus, quod Wurceburgensem Præsulem Melchiorem à Zobel fœde trucidari iussisset, aliisque sceleribus coopertus esset, proin meritas luit patratæ cędis pœnas capitis supplicio. Prolabentibus annis, posteaquā in primis motibus Belgicis Ferdinandus Aluarez Albæ dux Belgicæ administrationem suscepisset, rigidiusque in alienatos à fide catholica animaduertisset, complures ex iis relictis sedibus suis Aquis Graneis domicilia fixerant, ea spe freti, liberius ibi non minus quam impunius se acturos, qui ad referendam meritam gratiam seu nouam aucupādam senatum Aquensem munere scyphi aurati honorant, cui superincumbentis peregrini cernebatur imago incisis his inscriptionibus:

La parole de Dieu demeure eternellement Isa. 40. 8.
Hospes fui & collegistis me Matt. 25.

ad pedem: Tū ū outrageras & n'oprimeras point l'estrangier Exod. 22. 21.

Anno M.D.LXXII. 4. Kal Maii ad instantiam Ducis Albani per senatus edictū iubentur omnes Regis catholici rebelles, qui, cōtra statūs Regi morigeros & S.R. Imperium stipendia meruissent, atq; è Belgio profligati Aquas se recepissent, altera die ex vrbe Regnoque Aquensi ac municipio Porcetano secedere: demandatur itidem tam consulibus actu gubernaculum tenentibus, quam proxime adlegendis (qui fuere Leonardus vom Hoff & Petrus Holtzmart) vt exequutionem eius edicti grauiter promoueant. Anno millesimo quingentesimo sept. tertio, quarta & vigesima Febr: Balthasar Marie anabapti-

ſticæ ſectæ prædicans ad pulſum tintinnabuli vrbe ac territorio Aquenſi deportatur.

Cum aduerterent deinceps aduerſarii fidei & veritatis, qui remāſerant in Aquis, de rigore ſenatorii receſſus & plebiſciti nonis Martii Anno M.D.LX. formati nihil remitti laxariue, ad fraudes & verſuta conſilia denuo conuertuntur, ſuggerunt hinc inde conciuibus, quā operæpretium ſit reipublicæ & vrbi, vt conſpicuis fama atque exiſtimatione viris adminiſtræ operæ in ſenatu pariter cum aliis committantur; vrbis negotia iam tum in tuto fore, neq; ita examuſſim penſitanda in æquilibrio quæ ſpectarent ad religionem, habito præſertim temporis, perſonarum ac ſtatus publici reſpectu, imo eatenus tollendam fore omnem animorum diffidentiam alienationemque inter ciuicos & c. illecti quidem haud pauci ad hæc blanda promiſſa, attamen 29. Iunii Anno M.D.LXXIV. perſtitit adhuc ſenatus in cōcepta iam ſemel, vtinam ſemper, mente & edicto, verum accreſcente in dies ſingulos numero à fide apoſtatantium, dum pollicentur nihil nouitatis vel diuerſitatis in religionis cauſa introductum iri, paſſuros per ſe vel ſuos, precibuſque minas regaliter addunt, an temporum iniuria, an incuria & inſcitia vel improuido conſilio, num hæretico ære & aſtu, ſeu vrgentis neceſſitatis ac periculi vi (prout reſcriptum & reſponſoriæ ſenatus literæ anno 1575. 25. Martii ad paterne commonitorias Illuſtriſſ. Iuliæ Ducis directæ continebat) equidem me clam eſt; 23. Iulii præfati anni 1574. cum prius paulo ante eodem menſe Senatus hanc ſollicitationem ad tribus plebeias remiſiſſet, ad importunas ſectariorum crebraſque inſtātias ac quietis publicæ, vt putabatur, cauſa ſtatutum, deinceps in Senatum adlegi poſſe, qui vel Catholica religione vel Auguſtana confeſſione imbuti eſſent, ſaluo quod fidem facerent nihil in negotio religionis immutari ſinerent vel cauſarent: hoc indulgentiæ ac nimiæ licentiæ oſtio aperto admiſſi complures excatholici in ſenatum ſub ſpecie Auguſtanæ Confeſſionis, & hi alios ſacramentarios & Caluiniſtas frequēti numero ſub eod. pallio attraxerūt, ſicque conglomeratim recens aliunde profligatis diuerſæ religionis fuligine tinctis etiam Anabaptiſtica aditus præbitus ad ius ciuicum: en totum ſeminarium gliſcentis indies magis magiſq; hæreſis, hinc iā pars Luthe. colere ac canere, pars Zvvinglium, alii Calui. alii Muncer. vt dicere licuerit onocrotal⁹ & ericius ibis

& coruus habitabant in ea; omnes res nouas moliri, Gallico flandrico peregrinisq; idiomatibus latenter sermones facere: circa hanc tempestatem immutata Iuramenti Senatorii consueta formula, prius siquidem diuino Numini & sanctis, deinceps Deo & Euangelio conceptis verbis iurabatur: Vidit Deus ab alto hoc confusum chaos, in labyrinthum sectarum defluxisse Aquas, & spiritu vertiginis fascinatos qui currerent inibi, calicem iræ suæ diffundit in vrbem, percutit eam vlcere pessimo in condignam vindictam, nempe pestilentiæ t .rum cruciatū desæuire permisit ab anno MDLXXVI. continuo vsq; in annum MDLXXIX. inclusiue, æstu contagionis taliter depascente omnes, viros præsertim, & viduante vrbem, vt in Cæmiteriomaiori iuxta Basilicam Marianam, complures altæ amplæq; foueæ recipiendo cadauerum cumulo defoderentur, ipsumque Cæmiterium ex aggesta terra superhumatorum multitudinem trium aut quatuor pedum altitudine.. intumuerit ac increuerit, immo quod inauditum, vt à die XXIII. Junij vsque ad VIII. Octobris dicti Anni MDLXXIX. tot senatorii ordinis viri absorpti sint, quod necessum fuerit quater tantillo temporis interstitio Magistratum restaurare ac redintegrare: exordio anni MDLXXVIII. grex & fex populi Diui Petri Pareciæ in Aquis subdita religiosum profugium à familia & instituto Carmelitarum vti leuem in nomine, sic in fide & moribus sub id tempus se nuncupantem Henricum Beyer de Capella, prius in monastica professione compellatum nomine Henrici Pici Geldriensis in Superintendentem Curionemq; maximum istius Ecclesiæ extollit, contra Ecclesiasticæ potestatis, authoritatisque inhibitionem, Anno qui sequebatur MDLXXIX. Princeps Parmensis Dominum Rysbrock & Licentiatum Desiderium Sestich Aquas amandat, qui Magistratui ante oculos ponant vetera fœdera domus Burgundicæ & vrbis Aquensis, ac qualiter ea pacta infringantur demonstrent, dum ab Aquensibus aliqui Regii milites internecioni dati, plerique grauiter sauciati, &c. Idem Parmensis mense Septembri iam tum currentis & Januario sequentis Anni MDLXXX. commonefacit Senatum per internuncia scripta, ne exercitia sectariorum vlterius gliscere sinat, sed succidat eorum germina, solamq; orthodoxam fidem propag.et.

E contra hæreseon labe contaminati validius res suas stabiliunt in Aquis, semina nouæ luis in viscera Reipublicæ disseminant, con-

fisiq;

fisiq; plerosque è Magistratu voluntati eorum haud reluctaturos anno MDLXXX. mensibus Aprile & Maio libellos supplices exhibent, in quibus vrgent & veluti suo iure imperando poscunt liberum suorum dogmatum exercitium conuenientemque ei locum: mox desertor sacræ militiæ è familia Diui Augustini Monachus conciones auspicatur, cui Ioannes Kalberner arte aurifaber viceDiaconi subseruiebat, de quo deinceps fusius. Contra hos ausus Cæsarea Maiestas, Eburonum Antistes Cardinalis Gerardus à Groisbeeck ordinarius ac diœcesanus, Illustrissimus Iuliæ ac Cliuorum Princeps, præfatusque Parmæ Dux vti Belgicæ Gubernator per frequentes commonefactorias, Decanus maioris ædis Franciscus Foss Vir nobilis & magni zeli, (qui postmodum legationes varias tam ad sedem Apostolicam quam Cæsaream Mai. ad refractarios Aquis exturbandos obiuit) Collegium Canonicorum ac Scabinale, vna cum Magistratu ipso, vniuersaq; ciuium Catholicorum communitas defectionis nescia ac pugnacissima pro fide auita infracto pectore se tanquam murum pro domo Dei opposuerunt, repulsis protestantium precibus: Et quidem eundem in finem sexto Nonas Maij Wilhelmus Iuliæ Dux Wernerum de Gimmenich & Doctores Henricum Codoneum ac Gualterum Fabricium Aquas legat ad recens subortas religiones de sapientia sæculi natas pessundandas, earumq; buccinatores turgidos, tanquam temerarios interpretes diuinæ naturæ & dispositionis eliminandos: ad quorum commissionem stylo postea, ipsis nempe Nonis Iulij respondit hoc sensu, quod tametsi iuxta pacta & fœdera in religionis differentia iam ante icta in Imperio, sibi licitum exercitium vtriusque confessionis admittere, necdum se tamen vsq; huc precibus protestantium annuisse: Subinfert mox Iullacus Princeps, non posse Reipublicæ Aquensi patrocinari conuentiones à statibus Imperii in dissidio religionis sancitas, siquidem earum mentem hanc esse, vt sicubi vtriusque religionis exercitium præfuerit, ibidem toleretur, vbi vero nouitiæ spuriæque sectæ infausta semina necdum sparsa iactáue, nec vi earundem concedi; monetque studiose expendat senatus iustaque trutina examinet, quæ & quantæ ærumnæ, extremæ pernities, discordiarum faces, animorum pestes ebullierint, vbi nouarum istarum opinionum & dogmatum virulentæ fæces accitæ aut permissæ in vrbes repere. Hoc eodem incarnationis Christi anno MDLXXX. duo falsi præ-

dicatores, alter lutheranismo alter Caluinismo imbutus disceptandi ac concertandi prurignie tacti, pridie Kalendarum, ipsis Kalendis & altera Augusti disputationem Graniaquis instituêre de duobus articulis fidei, scilicet de persona Christi Domini, & de sacra cœna. ædes in quibus in arenam descenderunt erant designatæ im Löwenstein: qui è schola Lutheri contendebat ex vnione hypostatica in Christo id sequi, vt attributa diuina nominatim omni præsentia & omnipotentia communicata essent realiter humanitati Christi, qui Caluini humores imbiberat, id ipsum inficiebatur volens dicta ab aduersario fulciri testimoniis è monumentis diuinarum literarum promptis: Lutheranus pleraque producit, quæ omnipotentiam adstruerent nempe id Gen. 3. *Ipsum conteret caput tuum*: Io. 1. *Verbum caro factum est & habitauit in nobis &c.* Matth. vlt. *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, &c.* Verum Caluinista Minister negat ea competere humanitati Christi, sed personæ, Lutheranus haud agnoscit discrepantiam inter verbum homo & humanitas, quod antagonista ei demonstrat, docens hominem personam indicare, humanitatem naturam, id non satis capiens vbiquitista, & nec dum sibi plane pleneque satisfactum queritans, in re maxime ardua prouocat ad populorum circumstantium examina, iudiciumque auditorum ex institorum & mechanicorum cumulo ibi aggregatorum, sub finem huius concertationis iterato ad verbum Dei & circum fusam turbam prouocatio facta.

Calendis Augusti de cœna Dominica sermo institutus, Lutheranodogmatista super hac confessionem suæ fidei edit præmittitque, credere sese nimirum corde ac ore profiteri, quod cœna Domini sit verum & naturale corpus ac sanguis Christi mediatoris nostri, quod sub specie panis ac vini manducetur & bibatur, iuxta verba institutionis *Accipite & manducate, &c.* Badius Caluinisticus preco autumat, illam descriptionem cœnæ Domini non adeo proprie formatam esse, secundo authoritates è sacra pagina haustas poscit ad validandam doctrinam, quod nempe simul cum pane verum ac reale Christi corpus contineatur sumaturque: Tertio scire auet, num decimum articulum Augustanæ Confessionis amplectatur Aduersarius Christianus Gerardi; qui cum stomacho grauatim tulit definitionem à se prætextam descriptionem compellari exigens vitiosas partes; Badius genus definitionis demonstrari sibi cupit, subinfert

alter, hanc rem diuinam esse transcendereque omnia dialecticæ præcepta, neque id sibi in votis vt habeatur à popularibus Dialectices peritus, res diuinas non necesse haberi per dialecticen diiudicari, tametsi verba hæc corpus & sanguis Christi loco generis profiteatur, Antagonista si, inquit, Christi cœna transcendit Dialecticam, igitur & definitionem & genus quæ eo spectant, hinc sequuta logomachia contendente Lutheranæ sortis ministro excedere Dialecticen, aduersario autem contra nitente & adseuerante descriptionem antehabitam impropriam, cœna Domini est corpus &c. confitente nihilosecius se in cœna Christi, veri corporis & sanguinis Domini per fidem participem fieri, & quo pacto, renuntiat Lutherodogmatista, quomodo improprius erit sermo saluatoris ore prolatus? nō habuit aliud corpus Christus mediator, quam verum & naturale, non spirituale aut phantasticum, quale Manichæi somniârunt, quocirca nec aliud dedit vel obtulit: aiunt vnum è primariis Caluinistis audito quod tacite Manichæorum hæresi vna cum suis insimularetur, manum gladio admouisse tanquam vlcisci parantem & abstergentem à se hanc iniuriam, alii aliter aliaque ansa apprehensa id factum enarrant; haud longe post deducta digladiatio quidnam designaretur per hoc, pronunciante Christo, hoc est corpus meum, num solus panis, an integra cœna panis & vinum iunctim cum corpore & sanguine Christi, & desuper prompta ventilataque testimonia ex heterodoxi Lutheri libris, è factione Caluini solum panem, ex mente verbisq, Lutheri, Lutheranus integram cœnam notari vult. Altera Augusti denuo Lutheri testimonia in quam partem faciant, super denotatione particulę, hoc, excutiuntur, & ventū rursus ad præfixum primo thema, repetente & insistente Christiano Gerardi suæ enunciationi Christi nempe verū ac naturale corpus & sanguinē in cœna præsentē & realiter sumi; ferměti vero Caluinistici satore ac fractore inhærēte suo sensui, puta quod in recto vsu Dominicę cœnę veri corporis & sanguinis Christi particeps quis fiat per viuā fidem: at, inquit Lutheranus, nullus ibi sermo Christo de fide, sed de manducatione sumptione, præsentia; secus edoceatur, quid sit panis & vinū in cœna Domini: Caluinian⁹, panis, inquit, est sacramētū corporis Christi; cui alter, tenor verborū Christi institutionisq; cœnæ nullaten⁹ est, panis est sacramentū corporis mei, sed est corpus meū, & rectiore loquēdi methodo Dei filius vsus quā cūcti mortales; replicat qui indutus erat

Caluino,tametsi Christus non sic expressim pronunciet, panis est sacramentum,attamen non inde consequens perperam dictum, neq; suffragamur nos,ait,verum corpus Christi ore sumi, sed duntaxat per fidem,additque,maximis ampullis adstruens in cœna esse res duas panem & corpus,apostolos ore sanctum panem māducasse, sed corpus per fidem,quæ promissionem Christi in se recipiat:econtra Lutheranus si res ipsa præsens,iam desinet promissio,super quo articulo vterque dilucide fuseque Lutheri,& Augustanæ confessionis verba citat ac pro se quisq; ea infiectere adlaborat: vlterius Lutheri placitis imbutus declarat, sibi neutiquam esse sermonem de vsu,verum de essentia dominicæ cœnæ:Caluinista demiratur tantam discriminationem fieri inter sacramentum & eius vsum,quoniam,ait,Sacramenta extra verum vsum non sunt Sacramenta, sub finem Lutheri partes sequens diserte edisserit,desiderare se coram diuino numine Christianam vnitatem fidei inter ipsos coalescere, in quantum conscientiæ ratio permitteret ac dictaret,quoniam vero illius stimuli refragentur, vrgeantq; in contrarium, proloquitur cum magistro suo Luthero,maledicta sit eiuscemodi vnio in abyssum inferni:id ipsum & aduersarius asseruit,se per hanc disceptationem media vnionis fidei indagasse.

Hæc concertatio ab vtriusque sectæ asseclis subsignata fuit, pro Lutheranis M.Christianus Gerardi,pro Caluinianis Ioānes Otxenradt,Theodorus von Hillensberg & Matthias Duppengiesser subscripsere:è quorum numero Ioānem Otxenradt sub id tempus prædicantem in Aquis signatim & obiter notarim, quod cum persæpe consuesset maledicere diei festo,quem augustissimo ritu Eucharistię anniuersarium Catholica colit Ecclesia,ipse eodem die insperato & misero mortis spectaculo oculos illi diei totique mundo clausit, euocatus ad tribunal supremi Iudicis.

Animaduertit prudens lector quod studium insederit animis sectariorum horum præfatam digladiationem instituendi, nempe vt caudis nexi, hoc est, cōiunctis erroribus crassis & liuidis contesserent se adunarentque, quo eo fortius oppugnarent matrem Ecclesiam,conspurcarent germanam orthodoxamque fidem, ac gregem Christi dilacerarent;sed non est pax impiis semper discentib. & nunquam ad scientiam veritatis peruenientibus permittit diuina prouidentia eos vatiniano & implacabili inter se dissidere odio,concurre-

seque

reque haud raro Ægyptios contra Ægyptios, vt illorum bellum fiat pax Ecclesiæ.

Quarto nonas septembris iterato Dux Iuliæ Ioannem Luntzen & Zeuel per epistolam cohortatur vt pollicitationi sibi præstitæ firmiter stent, nempe conciones insolitas districte inhibeant, omnesq; pro suggestu oblatrantes priscæ fidei veluti apostemate ac lepra correptos exturbent, deuenisse ad aures suas, quod pospositis promissis sibi factis in D. Bartholomæi festa luce conciones eiusmodi fuerint habitæ, quinimmo instituti D. Augustini monachus transfuga inductus sit coram agmine hæreticorum ad opus Euangelistæ implendum, præterea cum in eodem conuentu quidam, qui vix ex ephœbis excesserat Ioannes Kalckberner aurifaber opificio, Diaconi functus munere, prælectione populares instruxisset, & ad se pellexisset, cuius nomine ab Aduocato Maioreque loci custodiæ fuisset mancipatus, eundem nihilominus opera consulis Zeuel aliorumq; temere relaxatum; commonebat proinde omnia in pristinum tranquillumque statum sisterent, &c. Ita profecto res erat, vti Iuliacus illustrissimus Princeps scripto intimabat, nempe aliud ore & promissis, aliud Aquenses te ea tempestate agitasse, siquidem delusis Principum virorum seriis monitis, spreto Senatus interdicto, impudentia & audacia illi iter aperire, è latebris prorumpere, prurientes auribus conciones auspicari, religionis nouæ Zizania sementemque iacere, genuinos ciues noxia doctrina corripere & corrumpere, scholas pro eorum iuuentute adornare, Synodalis Iudicii Iurisdictioni derogare, &c. 2 ad Ti. 4.

Magistratus partim iam memoratorum principum consilio, partim proprio motu ac authoritate sartam tectamque auitam religionem semper tutari volens nunquam satis laudata constantia interdixit, ne quispiam huiuscemodi factiosis concionibus aures præberet.

Rescíscunt dolosas machinationes Hæreticorum Principes in confiniis, præsertim Philippicarum ditionum Gubernator, qui ob antiquam vrbis cum domo Burgundica confœderationem Cæsaream Maiestatem de argutiis hisce certiorem reddit, eiusque authoritatem, vt tanta audacia pœnis condignis coerceatur, implorat; Cæsar caussæ cognitionem Episcopo Leodicensi ac Duci Iuliæ Guilielmo committit, qui consiliarios suos magnis impensis Aquas Gra-

num legantes toto propemodum anno incassum laborârunt in negotio fidei, pacis ac tranquillitatis publicæ: Legatio etiam ab ipso Imperatore ad Aquenses directa omnes serio commonefecit, vt iuxta Senatus decretum Anni LX. se se continerent, Prædicantes, qui potissimum desertores religionis fuerant, & refractis pudoris, reuerentiæque claustris per summam nequitiam, sacriligo ore audebant Ecclesiastes agere noui euangelii, proscriberent, post proscriptionem redeuntes pœnis mulctarent.

Exeunte hoc anno XVIII. Octob. Catholici ciues apud Magistratum iniuriam deponunt, quod mercatores qui conflando cupro questum in hac vrbe faciunt pleriq; omnes hæretici suæ sectæ hominibus omnes operas deferrent, quodq; ipsi ad consuetum id manuale opus non amplius admitterentur; immo erogationes eleemosynarum à Catholicis licet prædecessoribus fundatarum sibi denegarentur, impensa simili stipe in Lutheranorum & Caluinistarum mendicabula. Nouembri mense subdelegati Cæsareæ Maiestatis Commissarii Aquas appulêre Gerardi à Groisbeeck præsulis Eburonum & S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Henricus à Vlatten Præpositus Basilicæ in Aquis & metropolitanæ Leodiensis Canonicus, dein Godefridus Taxis Lic. dicto Antistiti à consiliis legatione functi, ab illustrissimo Iuliæ Duce Wilhelmus de Harf Dominus de Alsdorff Kerpen & Hurdt, Wernerus de Gymmenich Dominus in Gymmenich; ac Gualtherus Fabricius Doct. & Consiliarius directi; hi multis inculcant Senatui ea, quæ tam Cæsarea Maiestas, quam finitimi Principes pro conseruatione vnicæ eiusdemque Catholicæ & extirpatione ei aduersantis religionis prius significarant, monent vt quæ Senatus Anno MDLIX. Cæsari Ferdinando, Regi Hispaniarum, Iuliæ Principi, aliisq; sancte addixisset, re ipsa adimpleret, memores item reddunt redarguuntq; Magistratum edicti sui anno MDLXXIV. promulgati, quod temere contra priora senatusconsulta & promissiones permiserint subdola hæresi conspersos viros in senatorium ordinem, ac proinde ipsum penitus rescindi mandant: Rationes quibus commissarii inducere conati ad proscriptionem omnis spuriæ degenerisque fidei à veritatis nucleo alienæ hæ potissimæ, quod iam tum à primo exortu Lutheranismi tot dissidia inter nouatores tamque densas offudissent tenebras, vt iam videri non possit quæ pro genuina Confessione Augustana permissa in Imperio habenda sit-

à natura autem constat non esse verum quod variat, ac licet eadem luculenter dignosceretur, veruntamen de ea exsufflanda & non recipienda fidem iam ante fecisse senatores ipsi Iuliæ Principi iureiurando interposito: dein ob ius competens Iuliaco Duci in constituendo Aduocato & Archypresbytero seu Plebano in vrbē Aquensem, citra eius consensionem inualidam receptionem exoticæ cuiusuis religionis aiebant, extremum præiudicium Diœcesani Leodiensis obstare in contrarium: Eidem legati semel atque iterum in senatum congressi vota singulorum perscrutati fuere super his trib. punctis, primo an. Cæs. Maiestatis præcepta sarta tecta habere velint. secundo num quiuis sufficienter secum animo voluerit in antiqua fidei integritate perseuerare, tertio an senatus decreto anno MDLX. nonis Martii concluso inhærere eis constitutum sit: Cum vero sectarii tam acriter se premi viderent tergiuersando occasionem arripuerunt super istis consilium ab aliis ciuitatibus Imperii captandi.

Decembris tertiadecima Senatus in Aquis ad Cæs. Mai. dat literas quibus significat, subdelegatos S. Ma. commissarios ab Eburonum & Iuliæ Principibus directos retulisse Magistratum Aquensem turpi fœdaque nota à Cæs. Mai. signari, veluti qui damnatos sectarios in Reipublicæ venas immitteret, quo nomine eidem commissarii acerbius quam priuilegia ciuica & consuetudines permitterent, acriusque quam in libera Imperii vrbe licitum esset se exagitassent, cum immerito & sinistre prorsus ea concepta suspicio, velle se igitur propediem destinare legationem, qua detergatur ea macula, petere se denique ne vlterius à Cæs. Mai. aut mandatis seu nouorum Commissariorum submissione grauetur terreaturue priusquam per suos de veritate rei edocuerit.

Anno ab exordio salutis MDLXXXI. tertio die Ianuarii Rudolphus Imp. Aquensi controuersiæ sedandæ incumbens ad litteras factiosorũ perbenignè respōdit, percepisse se summa animi voluptate q̃ in orthodoxa Catholica fide, & veteri politico statu, omni nouitate seposita, permanere contestentur, prestolari se nihilo secius legationē Aquisgranensium, ex qua fusius & dilucidius ea quæ ad defensionem suam sint producturi. Interea cũ tam Commissariorũ Imperialium, quam aliorum vndecunq; spectabiliũ virorũ & auctoritate pollentiũ scriptis ad suã Maiestatē querelę de Aquensib. multiplica-

tentur denuo XI. mensis eiusdem ad Aquenses litteras dat Cæsar, cõstare sibi iam, quid hactenus in dissidiis illorum actum esset, quod que caussæ innocentia se non ita habeat, prout illi prætendebãt, præsertim cum sua Maiestas edocta sit, Magistratum contra fidem atq; iuramentum præstitum in venis & visceribus Reipublicæ homines extorres, seditiosos & hæreticos alere: schismaticas cõciones in vrbe fouere, neq; eas à Magistratu inhiberi, sed potius earũ assensu & conniuentia hoc vnice spectari, vt bona ciuium pars istas nouellas sectas combibat, & quod hæc omnia laudabilium priuilegiorum suorũ vmbra detorta interpretatione tegere & propugnare non erubescant, Mandare itaq; se illis, vt promissam legationẽ quantocius decernant, reipsa quam linguis & litteris pollicetur obedientiam præstent, nouitios præcones & fallaces buccinatores eorũq; dogmata explodant.

Nec longe post paterna Cæsaris vigilantia tertium Aquisgranensibus scribitur, cum seuero hortatu, ne legationem & purgationem differant diutius, tempus creandi noui Magistratus præ foribus esse, caueant ne quid inusitatum vel prius inauditum moliantur, veteres consuetudines in electione non prætergrediantur, & siquidem patrii maiorumq; ritus violati, eos redintegrent.

Paulum interualli temporis dilapsum quando quartum Cæsareũ Rescriptum Aquensibus destinatur, in quo priora reiterantur eo iuncto, nisi ab exitiosis hæreseon concionibus destiterint, ministros earum vrbe relegauerint Cæsarea indignatione mox feriendos, securim ad radicem iam iam ponendam; His talibus monitis priscus Magistratus morem gerebat, sed repugnanter actum ab aduersa parte, peruicaces enim Caluinianorum animi inflexiles in sua sententia persistebant vti quorum proprium fidem, & vt cum Apostolo loquar, dominationem spernere, Maiestatem blasphemare, ac XVII. Martii prout & XXIX. eiusdem obfirmate statuerunt hoc religionis dissidium coram Imperii vrbibus ventilandum, earũ opem consiliumq; deposcendum, quem in finem conceptam scripto huius rei deductionẽ senatus sigillo munire volunt, atq; ita ad Imperii vrbes destinare, verũ pro tẽpore Catholicus consul Leonardus ab Houen infracto pectore se opposuit, præsertim quod istiusmodi scriptorum cõtenta orthodoxos celatũ irent, vrgẽt protestantes minis & fastuosis præstationibus; quæ cũ pari cõstantia retorquerẽtur in capita aduersariorũ fidei, insedit eorũ animis errorũ obstinatia induratis aliud

consilium, nempe alios auitæ fidei è senatu exturbare, alios verborum lenocinio in suas partes pellicere, cui proposito inhærentes 28. Martii per Seruatium de Colonia supplicem libellum obtrectationibus refertum senatui exhibent, quo consulis Houen honorem & famam in summum discrimen adducunt, subornantes insuper alterum falsæ nouæq; doctrinæ Consulum Petrum de Zeuel, nec non Theodorũ von Hillensberg, vt eundem Houen cum plerisq; innoxiis senatorib. tanquam seditiosos patriæ & patriorum priuilegiorũ infractores proscinderent, in eam spem assurgentes hosce munis suis vel pure pleneq; dimouendos, vel certè eousque, quoad via iuris sese perpurgassent, interea vero alios ad se omni conamine & studio allectassent.

Septimo Kalendas Maii à vera religione extorres duos operarum Præfectos de nouo eligunt, è sua farragine homines, hoc est carnali hæresi inuolutos Matthiam Peltzer & Iodocum Beck, quorum prior lingua in contumelias soluta plaustra earundem euomit in Catholicos consulem, Scabinos, vniuersumq; senatum, qui protestando de conuitiis retorquent ea in authores, nec ratam gratamue habent primam electionem contra Cæsarea iussa: criminosa altercatione hac necdum diluta ad querulas voces vicinorum principum Cęsar. Maiest. quinto Imperialia rescripta ad tumultuarios Aquenses dirigit cum literis fiduciariis & instructione sub data XV. April. à M.D.LXXXI. in quibus Ernesto Bauaro Leodiensi Præsuli, Iuliæ Duci Guilielmo, Philippo Baroni in Winnenburg & Philippo Nassouio Dn. in Bilstein mandatur, vt cum Diui Vrbani festa dies (qua Aquisgrani magistratus creatur & renouatur) immineret, aduigilarent, Principes quidem suos in vrbem delegarent consiliarios, posteriores vero duo personaliter ibidem comparerent, constitutiones creandi magistratum pristinas restaurarent, nouitates earumque capita, ministros ciuitate pellerent, in Senatum nemo nisi Catholicus cooptaretur, cæteraq; ad salutem Reipublicæ & concordiam conductura omni studio ac opera promouerent.

Protestantes detersis oculis conspicantes rem cordi ac curæ Cæsari pro genio gentis prolixum scriptum excusatorium ad Imperatorem destinant, ac primo quidem loco contestantur se mentem Imper. maiestatis liquido perspexisse, at partim suam maiestatem ipsius Reipublicæ constitutiones latere, partim ab inimicis suis perperam

eam informari, deinde longo verborum tractatu edocent, quæ religionis electionisq; mutatio in magistratu obtigerit, non diffiteri se à principio conditæ vrbis vsq; in annum MDLIX. fidei varietatē nec auditam, nec visam, eo a. anno inquilinos haud paucos adunatos extraneis Augustanæ confessionis exercitia, & ne quis deinceps in magistratus electione fidei respectus habeatur, postulasse; verum à Ferdinando Cæsare repulsam passos; subaddunt priscum id decretum de nemine in Senatū assumendo, nisi qui se Catholicum propalā vita & moribus profiteretur, id inquam edictum anno MDLX. innouatum, à tribubus confirmatum & ad annum MDLXXIV. inuiolabiliter obseruatum, sed eo ipso anno cum nouæ confessionis homines libellos supplices, vt in senatum asscriberētur, porrexissent, primū quidem postulata repudiata, instantium tamen importunitate & vehementia victos Catholicos petitioni annuisse; abinde igitur vsq; ad annum 1581. etiam alios à Catholica fide alienos in senatum receptos, ac tum abrogato nouo edicto (nouum vocant annis octingentis & vltra vsitatum atque receptum, cui præscriptione quinq; vel sex annorum præiudicare anhelabant) inuito magistratu alterius nouæque religionis exercitia publica inducta esse, neq; se id præpedire valuisse, seu verius, noluisse, demum quo offensam maiestatem Cæsaream placent, pertenues suas fortunas explicant, vt eatenus clementiam magis quam correptionem erga se promoueant. Quocirca orant Imperatorem, vt sese totamque Rempublicam Aquensem perbenigne complectatur, atque in suam tutelam recipiat, polliceri se reciproce Catholicam religionem obseruaturos (cum adiecta clausula politica, quantum fieri potest,) ad hanc tam speciosam deductionem renuntiat sua maiestas gratum sibi acceptumque quod religionem auitam & obedientiam polliceantur, compertum sibi nihilosecius tum relationibus scriptisque, tum eorum factis & attentatis fuco mero phalerisque verborum eos vti, vt interea res suas stabiliant, ea propter mandare se iterum atque iterum, vt aboleant nouitates; secus acerbiora propediem præstolentur.

Præ foribus iam erat Vrbano sacer dies, quo senatus noui electio Aquisgrani ex inueterato more haberi consueuit, ante quem hæc præludia furoris futuri antecessere 8. Idus Maii alteri consulum è sua factione sectarii committunt, vt portæ vrbis militum excubiis exacte custodiantur muniantùrque, quatuor duntaxat portæ in-

terdiu aperiantur, Capitaneus eorum aliquam vim militum conflet, curant præterea quantocius scribi ad Imperii ciuitates vt sibi subsidio esse velint & ne vrbs extrema perpeti debeat, in delectione noui magistratus Catholicos iunctim secum ad regimen cooptandos cæteroqui arma se iam semel induisse, neque temere ea posituros: die præstituta electioni, non quidem Diuo Vrbano sacra prout ab antiquo moris, sed decimi septimi Maii scissa in diuersa studia plebs, Caluiniani sua fuligine conspersos viros Ioannem Luntzen & Simonem Engelbret in Consules nominarunt, contra expressum Cæsaris rescriptum violatis priscis magistratus electionis legibus, eoque audaciæ progrediuntur, vt quidam eorum primarius non sit veritus, vulgare illud ceteta in senatoriis ædibus consignare, nempe, Si dolere me vis flendum tibi est primo; Catholici autem, Catholicos, nempe Albertum Scrick & Ioannem Fibis delegerunt, præsto tum erant in vrbe Cæsareæ maiestatis Legati ac subdelegati Philippus Nassouius Dominus in Bilstein, ex parte Leodini Pontificis Henricus de Vlatten Præpositus, Godefridus Taxis Lic. ex parte Iuliæ Cliuiorumque Ducis Wilhelmus de Harf, Wernerus de Gymmenich, Gualtherus Fabricius & Henricus Codoneus Iurium DD. aderant pariter Catholicæ maiestatis Hispaniarum Regis Commissarii N. de Horn liber Baro de Bassignii & Boextel, Desiderius Sestich Brachbantinus Cancellarius, & Wilhelmus Candriess, omnes hi coram pleno senatu legationum suarum capita proposuere, irrito tamen successu. Factio hæc cum ad Imperatorem esset perlata ratus ipse mandatum de quo prius nullatenus differendum, misit idipsum è vestigio, in quo exponit hoc primum ac summũ mentis suæ decretũ, vt quicquid contra Catholicã fidem veteresq; vrbis laudabiles consuetudines subintroductum esset, ipso facto citra moram cassetur, annihiletur ac infringatur, delectis ab hæreticorum grege haudquaquam pareatur, Catholicis vero honor & obedientia debita deferretur, &c. Mandatum hoc in omnibus concionibus tam intra vrbis septa, quam vniuerso districtu regnoq; Aquensi promulgari iussum, qui dicto facto non obsecuti veluti perduelles omnibus immunitatum gratiis exuendos, alios iis quiete gauisuros; subscripserunt mandato sic euulgato legati subdelegati prælibati, magistratusque Catholici suffragia lata rata habuerunt. 16

Iurati

Iurati in verba confeſſionis Caluiniſticæ hæc omnia in quo impatientiq; animo tulere, & ad motus ciendos propenſionem ore vultu habituq; corporis prodiderunt; commiſſarii vt eos intra officii & modeſtię cancellos continerent, per bis ſeptenos dies variis conuẽtibus impigre ac ſtrenue adlaborarunt æque blando ac amaro ſermone; è Regiis vnus Seſtich videlicet conſulem Lüntzen perduellẽ, tumultuarium, ac diſcordiarum architectum libere compellat, ac proinde vinculis & compedibus haud immerito arctãdum, &c. Vn-
29 de 30. Maii commiſſarii pro corona ſenatus ſeuerius ac acerbius priora reiterarunt vrgentes, vt ſectarii ſe muniis omnib. abdicarent, claues vrbis, ærariique ſibi conſignarent, prout Catholici ipſo facto iam tradiderant; eodem die ignem ciuilis commotionis expirauit Caluiniſmi ſpiritus, populares atque plebeios homines omni ſcelere coopertos, quibus aliud nihil in corde, quam vt iura legeſq; euerterent ad Martia ſigna corripienda concitat; claues vrbis, ærarii, armamentarii, curiæq; à magiſtratu vero & vetere extorquentur; forum, mœnia, turres & propugnacula vndequaq; partim interno partim adductitio milite armis inſtructo complentur, vicatim ingenti fremitu curſitatur, machinæ bellicæ ad fori meditullium pertrahuntur, iam nullus erat reſpectus aut ſupremæ maieſtatis Cæſareæ aut poteſtatis metus vel reuerentia præſentium legatorum, diceres furiis & faſcino omnes agitatos, tam effuſa frequentia vndiq; concurſabatur, en tibi fructum Senatus decreti nimiæq; indulgentiæ & conniuentiæ anno MDLXXIV. permiſſæ: præfata inſania magis magiſque increſcente, dum Catholicorum alius internicioni datus, alius plagas & vulnera ſubit vniuerſiq; præſens vitæ diſcrimen exformidant, magiſtratus priſcæ fidei diuiſionem fecit, ac bona pars Senatorii ordinis, cumplures etiam aliorum modeſtiorum ciuium (quod æuiternæ memoriæ laudibus iugiter deprædicandum) maluerunt patrio ſolo extorres fortiter exilium & ingens facultatum ſuarum diſpendium perpeti, quam vel in patria videre fidem orthodoxam opprimi ac deſpectui duci, ſeu regimini intruſi ſenatus nouitii, qui veterem tribunali ſuo deiecerat ſubſcribendo & propriis fruendo poſſeſſio-
Heb. 11. nib. turpem ſeruire ſeruitutem, h. e. quod ad Hebręos refert Apoſtolus, magis eligebãt affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimantes theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: euenere iſta menſe Maio Nonis Iu-

nii turbones ac pacis publicæ perturbatores veriti electionem Consulum à se factam haud diu fore firmã, rescissa ista per nouum delectũ Ioanni Luntzen & Ioanni Fibis, isti sectario, huic Catholico fasces consulares imponunt vt sub hoc colore persuaderent Cæsareæ Maiestati minus atrociter contra Catholicos actum; inspectãtant Cæsaris ac tantorũ Principum Commissarii tam præcipites hæreticorum ausus à iugo disciplinæ alienos, quare rẽ indignissimã vt par fuit continuo ad Cæsarem retulerunt, quæ quidem omnia eiusdem exasperationem ac condignam pœnam promerebantur, sed quis neget verissimum esse illud Ouidii.

Quo quisq; est maior magis est placabilis ira
Et faciles motus mens generosa capit. — Ouid de Trist. lib 3. Eleg. 4.

Lentis passibus processit Rudolphus Imperat. intellectaq; nefariorum contumacia ad instar boni pastoris palantem gregẽ reducere volens rursus per litteras sub data 21. Iun. vehementer coarguit reos motuũ Aquensium, præsertim ꝙ post tot amicas paternasq; monitiones, nõ resipuerint, sed in peius dilapsi sint, enormitatem facti ob oculos ponit; nihilominus vt perditorũ ac profligatorum hominum, (qui Cæsaream Maiest. vrbi male velle comminiscebantur) mendacia retegerentur, in priori sua clementia Cæsar persistit, noxamq; omnem se dimissurũ significat, dummodo recessui legatorũ finali morem gerant, omnia in integrum restituant, magistratũ adulterinum officio moueant, nouitatẽ omnẽ è medio tollant, eiectos aut qui metu territi vrbe excesserant reuocent, extraneos aliunde ob flagitia pulsos vna cum pseudoapostolis buccinatorib. neoeuangelii exturbent: quib. rite peractis scribebat Imperator vt ad suã aulã legationẽ destinarent, quæ de paritione cõpleta infra sesquimensis spatium fideliter testatũ faceret, quod si præstiterint suam Maiestatẽ propitiam sensuros, si vero in suscepta semel insolentia & perduellione permãserint, vniuersorũ indultorum & immunitatum gratiis irrecuperabiliter priuandos ac proscriptionis spiculo feriendos in fide Cæsarea denuntiat; in spem assurgebat Cæsar tam inaudita clementia colliquatis cordib. Aquisgranensium tandẽ aliquando ad meliorem frugem redituros: literis perlectis pleriq; è factiosis non absq; ratione præsenserunt forsan tarditatẽ supplicii grauitate compensandam, eapropropter duo edicta pacificatoria promulgant: primum quod ex propria ipsorũ officina prodiit continebat turbarũ, iniuriarũ, conui

tiorum summam esse debere obliterationem, ab armis deinceps ad dulcem quieté quisq; se componeret; alterum quarta Octobris sub nomine quidē consulum Scabinorū ac Magistratus Aquensis, opera tamen Commissariorū à ciuitatib. Imperii potissimum Argentorato Vlma & Francofurto prodiit, qui cū Iuliacum Principē Eburonumq; Antistitē prius nullo sperato successu interpellassent, deinde cū neq; meliori euentu Porceti vtramq; partē exules internosq; Catholicos cū aduersariis turbatorib. vrbem regentib accersentes incasso labore dirimere discordias ac in tranquillū sistere omnia nisi fuissent, tale mandatū proponendū esse suggerebant; Inter hæc quoq; per literas protestando intimant Cæsari tempestatē fluctusq; in Aquis quasi fatales fuisse citra datā à se causam, iam tamē maiori pro parte sedatos Cæsareā Maiest. perperam informatā, non posse se nisi cū vrbis exitio in religionis dissidio examussim rescripto Imperatoris obtemperare, præsertim cū nullius sectæ ab Imperio proscriptæ affines sint, verum puri puti dogmatis Augustani cōfessores, claues vrbis per vim minime extortas, Catholicos Ecclesiasticosue haud quaquam cæsos vel læsos &c. opem itidē Saxonis & Brandenburg. Electorū implorās & sub vmbra religionis rebellionis suę patrociniū sagaciter inquirūt, existimantes aures Principū rectas & ex sua natura alios iudicantes facile cuniculis mendaciorū subuerti posse, Principes vero hi vtpote qui persentiscebant speciē facti subodorabanturq; veritatē, rectæ rationis flabro reuulsis à se falsarū persuasionū fumo ac fœtore, summā rei ipsi Imperatori cōmendârunt, compositionē totius cōtrouersiæ ipsius prudentiæ cōmittentes, eidem etiā Augustus Saxoniæ & Ioannes Georg. Brandenburgi Electores vna cū literis à se exaratis supplicē Aquisgranensium libellū ad manus Cæsa. Mai. consignârunt; pro quib. Maiest. Imperialis gratiā Electorib. dicens eis ex diariis legatorumq; suorū relationib. plenius exponit purgationē Aquensium inani fuco phaleratorū verborū subniti, suę Maiestati nihil antiquius quā vt Aquisgranū in gremio Imperii conseruetur, inq; omnib. statutis, priuilegiis, immunitatib. antiquis illæsum permaneat, altioriq; principio negotiū reuocans, à Carol. Magno Catholicā Romanā religionē inuiolatā ac illæsam in hoc æuum pstitisse ex vrbis Carolinę statuto electionē Magistratuū concernente demōstrat quod est tale: *Consules, Scabini, totusq; senatus Cæsar. Maiest. & Regiæ sedis & ciuitatis Aquēsis inposterū (sicut & hactenus) vnam & solam Catholicā religionem*

gionem profitebuntur, neq; ad Magistratum vel Reipu. officia alios quam qui stant ab ead. religione, admittent, id decretũ vsq; huc in vsu viguisse perspicue deducit, cõsequenter edocens qualiter nouissime hæreses, schismata, & seditiones cũ legum ac priscarũ consuetudinũ præuaricationibus illatæ: de cætero enarrat Imperator legationes suas multiplices impendia & labores duob. annis retroactis insumpta ad reipublicæ istius quietem conciliandã, petitq; ne hominũ nefariorũ aliunde profligatorum imposturis ac studiis peruersis, larua nudorũ promissorũ obuelatis plus quã veritatis succo medullæue ad sentiantur. Sub idem ferme tempus nouo Cæsareo mandato rationi & æquitati cõsentaneo Aquenses qui 8. Kalen. Aug. excusatoriis demulcere mentem Cæsaris intenderãt, terrentur, scribit Cæsar. Maiest. se haudquã dilationes & vanas pollicitationes acceptare, cum facta scriptis minime cõcordent, nihil se laxare de cõcepta fixaq; menti semel sententia, Magistratũ subreptitium destituãt, Catholicũ agnoscãt, irreptitios præcones territorii finib. eliminent, collapsa restaurent, omniaq; pristino nitori restituant, &c. Hac Imperatoris denuntiatione cõmoti, cum neq; verborũ vafricie circumuenire Cæsarẽ, nec solidã suæ rebellionis caussam producere valerẽt, à nonnullis Principibus, vrbibus & statibus Imperii, intercessionales ad Cæsare. Maiestatẽ eliciunt, & cum illorũ legatis iunctim suos nempe Bonifacium Colyn Scabinũ Petrum Vercken, & Syndicum vrbis Theodor. Hillẽsberg. I. V. Lic. ad Cæs. ablegãt supplicatũ, ne mãdati executio præcipitetur &c. Catholici Senatores & ciues in Aquis cũ perspicerent, Cæsarea rescripta parum proficere, sectarios dicto audientes nõ esse, sed protelationib. & ambagib. rem differri, R. ac Nobilem Domin. Francisc. Vossium Basilicæ Aquensis Decanũ, Albertum Schrick Cõsulem & Scabinum, & Ioannẽ Thenen vrbi à Secretis, oratores mãdarunt ad Cæsarẽ mense Decembri dicti anni 1581. qui præposteros refugarum à fide conatus propalã facerẽt, obsecrarentq; impensissime, vt Catholicos denfenset, in refractarios inanib. verbis veritate viduatis fultos mandati executionẽ minime differat, eorumq; legationẽ iusto libramine expendat ac põderet, criminationib. eorum ac ementitis rationib. fidem nõ adhibeat, &c. hi Cõmissarii post aliquod interuallum tẽporis in responsis habuere, pergratã esse istã ipsorum obedientiã suæ Maiestati, studiumq; ꝙ pro fide auita cõseruanda propagandaq; nauant, nulla vnquã apud se obliuione sepeliendum, ne

quicquam ambigerent, quin in proposito firmiter perseueratura sit decreto; quē in finem alios legatos in vrbem sit submissura, qui non modo de refusione expensarū, sed omnibus omnino Catholicorum votis sint facturi satis. Data est hæc cōmissio Anno insequente. Gebhardo Præsuli Coloniensi & Ioanni Treuirorum Electorib. nec non Philippo Baroni in Winnenburg, & Philippo Nassouio Domino in Bilstein, qui eam Aquensib. illico insinuârunt, ac simul denuntiârunt subdelegatos suos è consiliariis eo destinaturos esse, confidere se quod placidis eorum consiliis prompte sint obsecuturi, cunctasque turbas ex æquo composituri.

Ineunte iam an. 1581. auctoritate Cæsarea Aquēses per regios milites ab Ernesto præsule Eburonum submissos obsidentur & infestātur: 5. Idus Mart. responsorias mittūt Aquenses ad Mai. Cæs. id vnice exoptare se intimantes, vt de statu controuersiæ ipsorū ac mali seminario ab hominib. æquis & in neutram partem propensis cognoscatur, verūtamen cum iam legationem ad suam maiest. expedierint, cum syndicus vrbis apud Saxon. & Brandenburgicū principes adhuc moretur, cū Landgrauius Hassiæ & permultæ Imperii ciuitates ipsorum causæ apud Cæsarem patrocinium sollicitēt, negant se quicquā cum legatis ipsorum agere posse in præmemoratorum absentia, sed & vrbē, inquiunt, tam arcte obsideri à Burgundionib. Leodicense & Iuliæ principib. (quibus Cæsar videns magnificis promissis sua mandata eludi, executionē in pertinaces demandarat, & qui contractis aliquot copiis vrbem circumfuderant) vt consiliarios & adsessores hinc inde pro alloquio euocandi nō esset facultas, insuper quoniam instaret Cæsar & Legati, vt exules in vrbē reciperentur, & inter illos ad magistratum adlecti pro senatorib. agnoscerentur, renuntiāt, penes exules nullum legitimum esse magistratū, neq; expediēs illos in vrbem referre pedē, ne tāquam omnis calamitatis architecti, & causæ ærumnarū, quib. Respubl. sex iam mensium arctissima obsidione premeretur, à furore ciuiū, (quos magistratus cohibere non posset) ad internecionem quærerentur: orant tandem vt Electores cōmissioni suæ supersedeant, quousq; ipsorum Cōmissarii reditum fecerint, & mitius à Cæsare responsum detulerint, interim ipsi Princeps apud Iuliæ Ducem & Burgundos instāter suo nomine interuenirent, precarenturq; vt diutina ista obsidio soluatur: Electores Agrippinatiū & Treuirorū his acceptis haud obscure animaduerterunt, Aquisgranen-

nenses legationis Cæsareæ executionem prorogare & procrastinando illudere velle, tamen quia sub id tempus Truchsesius defectionẽ ab Ecclesia moliebatur ac proinde clam factiosorum partibus faueret, maluerunt silentio quàm refutatione friuolæ Aquẽsium purgationi respondere; quo silentio perduelles minime contenti secundas ad eosdem in eandem sententiam exarant literas, in quibus veterem suam repetunt cantilenam, rem suam cum aliis ordinibus Imperii communem esse & citra eorum præscitum, conditionib. obligari, iis vel maxime, quæ priuilegiis suis, Imperii constitutionib. & paci religioni datæ derogent, sui non esse arbitrii, rogare se denuo ne legationem præcipitent, sed cunctanter procedant, ac reditum commissariorum suorum præstolentur.

Appetebat I. Aprilis dies ab Electorib. legationis executioni pstitutus terminus, & quia binas Aquensiũ literas Electores aspernari videbantur, tertias minarũ plenas cõscribunt eidẽ sectarii, mordacem stylũ figunt in principes; futurum vt si legati in vrbẽ accederent, populus furore agatur, cęde atq; sanguine omnia misceat, & polluat, persensisse id anno superiore Philip. Nassou. nunc magis exasperandos populares, si exulũ reductio intendatur, quare cõsulto facturos, si Burgũdicos legatos ante obsidionẽ solutam in vrbem minimè adducant, si exilio relegatorũ reditum minus vrgeãt & si quid inter obsidentes ac obsessos tractare cõstituerint, plerosq; ex vrbe euocent, cumq; iis in adsito municipio Bortziet conueniant, hæc & consimilia aculeosa, portentosaq; verba diffundunt, & quoniã ipsi status Imper. tanq̃ iudices implorarant, expedierunt quantocitius ad Comitia Augustana eod. anno cõmissarios suos, qui plerosq; Alamaniæ principes p se inflecterẽt, ab alia parte è Catholicorũ numero ablegatus eo primũ sine comite Ioan. van Tienen Secretarius vrbis, postmodũ submissi Decanus regalis eccl. Francisc Foss, Leonard. ab Houen, Iacob. Pastoir & Anton. Wimmer: principes vero ordinesq S.R. Imp. 25. Aug. in his Comitiis Aquensium dissidia à se longe remouerunt, declarantes ad Cæs. maiest. eorũ decisionẽ spectare, cum hoc tamen suasu, nõ abs re fore, si eadẽ maiest. citatis vtriusq; partis controuertentis directorib. eos cõcordi nexu illigare rursum tentaret, abeuntẽ ex Augustano comitio Imper. Decanus memoratus Foss, Pastoir & Tienen profecuti sunt, vt patrocinio iustæ causæ instarent. Cæsar ꝙ Aquenses prouocassent ad status protestantes Imper. ęgerrime indi-

gnissimeq; ferens maxime ob sui inobedientiã ac despectum potuisset haud immeritò inquietũ hominum genus in Aquis omnium immunitatum libertatib. exuere, veruntamẽ hoc ipso anno innata mãsuetudine vsus decernit denuo per media pacis rei diremptionẽ animorumq; cõpositionẽ tentandã, ea propter citatur Viennã Austriæ vtraq; pars in 12. Decembr. Catholici iussis obsecundantes per cõsulem Arbert. Schrick, Iacob. Pastoir vtrumq; scabinalis iudicii adsessorem & Ioan. von Tienen à secretis vrbi cõparuere, aduersæ & auersæ factionis omnes cõtumaciter emãsere, quorũ antesignanus Ioan. Luntzen non est subueritus petulantissima lingua effari, φ si Cæsar mulũ sub mole literarũ & mandatorũ fatiscentem Aquas directurus esset, se nequaq̃ cõmouendum: Dissimulata hac proteruia Imperator iterũ in trimestre accersit vtriusq; partis Aquenses, Catholici è collegio scabinali præfati vice suorum se corã Cæs. mai. sistunt, illi & Imperio perduelles regentes vrbis Aquensis eo destinant secretarium suum Matthiã Duppengiesser & quendã iurisperitũ Noriber. cõmittentes vt intra audiendi & expiscandi limites solũmodo sese contineant, q post expirationẽ præstituti trimestris termini demũ ad aulã regiamq; appulere, conquisitis variis colorib. moræ & tarditatis suæ, multisq; obreptitiis exceptionib. sua pallliantes, dein tacite nõ expectata Cæsarea sentẽtia recessere, quorũ exceptiones à Catholicis veritatis rationib. exsufflatę ac subuersæ. Inter eos qui Aquẽses turbones seditiososq; fouebat nõ infimus erat Alensonius Dux Brabantiæ per status vnitos renũtiatus, is quo sibi arctius alligaret ac deuinciret Aquensium animos, impetrat illis à Rege Galliarũ innouationẽ prisci priuilegii à Carolo V. Francorũ rege in honorẽ ac memoriã Mag. Caroli Imper. anno 1368. Aquensib. indulti, quo & personæ & bona mercesq; eorum per vniuersam Galliã immunitate gauderẽt, nec iudicẽ alium, vti volebat, q̃ vrbis suæ magistratũ agnoscerent, rexq; iis omne auxilium cõtra quoscunq; pollicetur. Anno ab exordio salutis 1583. senatus ex hæreticis conflati cõsultum & edictum prodiit præter Germanã orthodoxamq; fidem, pariter August. professionẽ in Aquis admittendã, ad hunc scopũ, sollicitati principes aliquot vt pseudoapóstolos p̃conesq; huc destinarent. Cum iã fama incesseret Cæs. maiest. præpropera nimis festinatione in perduellesAquenses veluti inauditos ꝓcedere cõstitutum esse, vt hæ tenebræ veritatis luce dispellerentur eadem sacra Maiest. 11. Cal. Nov. 1533 nouam cõmissionẽ

desi-

designat, quæ datur Treuirorum Pont. & Duci Sax. vt extremã industriã nauent, quo p media Imp. constitutionib. cõformia vtraq; pars in Aquis vinculo pacis recolligetur. Interea sectarii Aquẽses ꝑ senatu decernunt è numero exturbatorum Cathol. fidei cõciuium reassumẽdum neminẽ in ciuium vel reipubl. mẽbrum, nisi actu regentes primum pro vero legitimoq; magistratu recognouerit, receptionẽ & admissionẽ suppliciter poposcerit, cum ꝑuia stipulatione se deinceps fidum morigerumq; iis superiorib. iussaq; eorum expleturum, si q̃spiam id detrectabat, iudiciumq; Cæsareum ꝑstolari malebat, aut vrbe proscribebatur, aut ciuili custodiæ mãcipabatur nihil obstante Cæsareæ Maiest. præcepto, quo paulo ante districte factiosis inhibebatur, ne vllatenus Catholicos in exilio degentes seu in negotiatione aut pacifica fruitione facultatum suarum alioue quouis modo inquietarent: Subdelegati Principum Electorum iam recensitorum commissionem suam à citatione omnium interesse prætendentium exorsi sunt, imprimis partem vtramq; vrbis à se inuicẽ scissam, dein Antistitem Leodinum veluti Diœcesanum, tum Iuliæ Ducẽ tanquã Aduocatum in Aquis citârunt, coram iisdem legatis Catholica Maiestas vti Burgundiæ Brabantiæ & Limburgiæ Dux & qui certum fœdus prius cum Aquisgrano sanxierat, præpositus, Decanus vniuersusq; senatus Ecclesiasticus vrbis ius suum deduxere querimoniasq; diffuse deposuere: Omnib. singulisq; auditis subdelegati Commissarii negotium vsq; adeo implexum, mentes ita alienatas depræhenderunt, vt in tranquillum sistere non valentes circa pleraq; capita videlicet Religionis exercitium, administrationem reipubli. exulum damna & reductionem, principum vicinorũ querelas &c. recessum sub data 7. Idus Apr. an. 1583. formarint, ad Cæsaream supremamq; Maiestatem atq; eius decisionem cum consensione vtriusq; partis hæc & alia dissidia diffidentiasq; remittentes.

Post decessum Commissariorũ non in melius sed in deterius impuriusq; relapsi perduelles, moxq; magno numero conciones suas adauxere, aliis Lutheri aliis Caluini colore & errore pro libidine se induentibus, & hæc quidẽ hæresis adeo fœcundo cespite coalescebat vt sub Gallicano & alemanico idiomate verba fierent ad populum, neq; catabaptistarum ibi desiderabatur sentina, Principi Iuliæ eiusq; Iudici & præfecto in Aquis Ioanni von Thẽn, quem recens ex functione secretariatus vrbis ad Iudicii præfecturã adegerat procaciter

refra-

efragabantur, hæc tamen & alia apparentibus quæsitisq; excusationum inanis apud Cæs. Maiest. scripto tegebant, ratione cuius 9. Kal Aug. an. 1585. mandatũ cõmonitorium rursus emanauit à Cæsare, eo fine, vt desisterent factiosi ab exercitiis religionis virulentis, conturbationib. nouis & facinerosis, exitiosis machinationib. vt Archipresbyterũ Scholasticũ & aduocatũ in Aquis à sereniss. Iuliæ principe constitutos minime impedirẽt in iis, quæ eorum munerũ esse dignoscũtur. Quæ imperata nõ modo nõ adimpleta sed Cæsareum rescriptũ quantocyus ad ciuitates Imperii, dein ad diuersos legatos qui Vlmæ coiebant, postremũ ad plerosq; è protestantib. principib. emissum, addita imploratione vt interueniãt apud Cæsar. Mai quo istiusmodi mandatorũ articuli diluantur ac eneruentur: interea cõtumaciter acta agunt rebelles Graniaquenses opponendo sese legitimis potestatib. & officiatis, proscribendo traducendoq; alios, attentando & accumulando res nouas in dies singulos, atq; hæc vniuersa vana verborum vafritie apud principes Imperii protestantes in rectum sensum facta exponunt. Iuliacus princeps & qui in Aquis læsi oppressiq; anno 158x. indesinentẽ proteruiam Aquensium, vt qui iugum disciplinæ detrectarent planeque exosum haberent Cæs maiest. patefaciunt, sacra maiest. inhętens priorib. mandat remandatq; hoc anno, mense Decemb eadem, quæ ante trienniũ retroactum præceperat, intimaturq; Imper. voluntas per deputatũ ex regia Georg. Ebrenpreiss, verũ dolose elusa est, subreptitius senatus & nouę doctrinæ traduces in peius semper dilabuntur, à Duce Iuliæ designatum vicemajorem Ioan. von Thenen ad id munus acceptare recusant, &c. Iterato igitur illustris princeps Iuliacus missa legatione remedium apud Cæs. M. sollicitat, Cæsar anno Christ. 1590. pridie Idus Ian. nouum mãdatum per Heroldũ suũ omnib. ac singulis senatorib. rectoribusq; vrbis Aquensis nominatim sub intermінatione Bãni decernit, quo imperatur vt auitæ fidei ciues nulla tenus in substãtiis mercimoniis alioue quouis modo turbẽtur, Ioh. von Thenẽ prætor abs Iulię Duce tanq̃ legitimo vrbis patrono & protectore institutus nuper fœdo ausu pulsus recipiatur, honor debitus ei deferatur, conuenticula noxia & alia exercitia religioni Germanæ contraria cassentur & annullẽtur, aliunde profligati rursus ex Aquis exturbentur, iudicia quà spiritualia, quà ciuilia haudquaquam præpediantur, sed in pristinũ cursum restituantur, iuuẽtutis efformãdæ directio scholastico *Marianæ* ædis, ad quẽ ab antiquo spectaret, relinquatur, &c. Mandatum hoc eod. anno Febr. 1.. frequenti senatu *Heroldus* intimat, eumq; paratum se Cæsareæ iussioni obtemperare scriptique testificatione confirmare receptionem Advocati & *Maioris* senatus promitteret, ipsis Idibus Februarii Iudex Ioannes von Thenen vna cum Iuliæ ac Cliuorum Principis Commissariis ingenti Catholicorum applausu Graniaquas ingreditur, alteraq; luce ad senatorias ædes deductus promiscue à Catholicis ac hæresi contaminatis magna adgratulatione excipitur, intermedioq; iureiurando pro more ab eo religiosè præstito cœpit cum scabinali collegio pro tribunali consedere, iustitiam administrare, de reliquo parua fides dictis factiosorũ in Aquis inerat, siquidem in iura senatus Ecclesiastici inuolabant, hoc ipso anno cœmiterii maioris partem prophanis vsibus applicabant, acceptoq; pretio alienabant, dissectis muris ac terra egestis demortuorum fidelium ossibus ædificia noua superstruebant, ob leuia delicta rigidius æquo in Catholicos animaduertebant, aut ciuili custodia dolenter affligendo seu inusitatis exactionibus opprimendo.

Et

Et quia per idem tempus questi fuerant apud Præsulem Eburonum Ernestum Canonici Regalis Insignisque Ecclesiæ Aquensis libertates ac immunitates suas per Magistratum rursum ad vomitum reuersum contra omnia iura lædi, cœmiterium in prophanos vsus conuerti, muros dirui, sepulchra mortuorum violari, ossa ex iis impie extrahi; Præsul tam ordinaria sua, quam etiam sibi specialiter à Cæsare commissa auctoritate mandat omnia attentata reuocari, his verbis:

Quocirca nos Ernestus vti Episcopus Princeps & conseruator antedictus considerantes huiusmodi attentata prorsus libertatibus & immunitatibus Ecclesiasticis iurique diuino & humano aduersari, cupientesque Reipublicæ Christianæ tranquillitatem, insuper & afflictis nostram, imo Cæsareæ Maiestatis opem implorantibus subuenire volentes, eos Burgimagistros, Viceburgimagistros, Scabinos, Senatum deputatos, & *communitatem antedictos, ac quemlibet vestrum in solidum, auctoritate Cæsareâ, nobis, vt præfertur, commissâ serio monemus, vobisque districtè præcipimus, quatenus intra sex dierū spatium, post notificationem præsentium, siue in personas vestras, siue per edictum, vobis factam immediate sequens, quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos vobis duos* & *cuilibet vestrum in terminum peremptorium assignamus, omnia* & *singula prædicta, vsurpationes, distractiones Cœmiterÿ, murorumque & appendicum* & *quæcunque in libertatis Ecclesiasticæ, nunciationisque noui operis, aut aliter quouis modo præiudicium attentata* & *innouata aduersus antedictæ nostræ Ecclesiæ, libertates & immunitates, reuocetis, cassetis, & annulletis, nullaque inualida* & *illicita, seu attentata declaretis, & declarari faciatis, iniuriamque illatam resarciatis realiter* & *cum effectu, ac in futurum ab his & similibus abstineatis, & abstineri faciatis, ilico post præsentis nostræ, imo verius Cæsareæ monitionis ac man dati executionem, vobis factam sub pœnis Constitutionum* Re*alium ac aliarum in priuilegÿs antedictis contentarum,* & *commi natarum; intimantes vobis & vestrum cuilibet, quod si secus feceritis, aut aliquis vestrum fecerit, nos contra rebelles seu rebellem, ad præ-*

tactarum pœnarum & aliarum condemnationem & exactionem auctoritate Regia ac Cæsarea prædicta procedemus, & procedi faciemus iustitia mediante, nisi causam vel causas, rationabilem, vel rationabiles coram nobis proposueritis, cur ad præmissa minimè teneamini, ad quam seu quas allegandas vobis hoc nostro, imo verius Regio seu Imperiali mandato in suis vigore & efficacia permanente limitamus sextam diem post præsentium executionem aut insinuationem factam in concilio nostro Secreto Leodiensi hora prima alioquin ad videndum & audiendum declarari vos pœnas constitutionum Regalium, & alias in prædictis priuilegijs insertas & comminatas incidisse nec non contra vos seu vestrum quemlibet in præmissis rebellem & rebelles ad exequutionem præinsertarũ & aliarum prætermissarum vt supra literarum tenorum realiter & cum effectu procedere & procedi mandare brachio nostro seculari & aliorum per nos quatenus opus fuerit (vnde vos per præsentes duximus certificandos) implorato, suscipientes nihilominus ponentes & constituentes dictam nostram Ecclesiam Aquensem nec non præpositum Decanum & Capitulum eorumque Vicarios & Capellanos, operarios & seruitores & supposita ipsius Ecclesiæ & eorum Xenodochia & bona in Cæsareæ Maiestatis totiusque Sacri Romani Imperij ac nostram protectionem specialem, saluiguardiam & tuitionem. Harum vero nostrarum immo verius Imperialium literarum notificationem & exequutionem prædictam Ianitori primo nostro aut alijs Scultetis Ammannis & locorum quorumlibet officiatis Notarijs & tabellionibus publicis prædictis S. R. Imperio aut nobis subiectis desuper & requisitis demandantes. Datum in ciuitate nostra Leodiensi anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo mensis Maij die decima octaua.

Insequente Mense perduelles in Aquis pro arbitratu suo synodalis iudicij adsessores & Imperialis iudicij Aquensis Scabinos auitæ fidei loco & sede mouent vrbe relegant ac proscribunt, eoque licentia eorum progressa vt quidam vir primarius mense Iulio in loco immunitatis audenter pronuntiauerit, non fore quietem Aquisgrani nisi cum nonnullis incolis Catholicæ fidei dediris actio insti-

tuatur eo tenore quo cum Templariorum ordine processum.

Illustrissimus Dux Iuliæ Cliuorum ac Montium non ferens turgidos immorigerosque Aquensium spiritus non cessat rursum instare exordio anni MDXCI. apud Cæsareā Mai. vt intricatos hos motus pridem sperata finali sententia decidat, in consimilem sensum & alij Imperatorem sollicitabant; vnde 4. Nonas Iulii prout etiam ipsis Kalendis Augusti grauibus ac seriis scriptis Cæsarea Maiestas ad obsecundandum imperio suo, regimen tenentes in Aquis cohortatur, præsertim vt demolitionem noui operis in loco religioso cœpti non tardent, insolitis impositionibus neminem exhauriant, Scabinos vrbe proscriptos quantocitius reuocent ex urbanis nouitiis in eorum locum suffectis, sedi ac dignitati restituant, constitutum iam Suæ Maiestati esse præuia tamen citatione partium causam capitalem principalemque legitima conclusione terminate.

Quibus talibus Imperiis, clementissimæque supremæ potestatis minis, verborum arte dextrè satis contraitum responsumque à turbulento hominum genere.

Hoc eodem anno 23. Octobris Rex Hispaniarum vti Dux Belgicæ in suspenso tenuit omnia ac singula indulta libertates priuilegia Aquisgranensium in suis ditionibus eo quod impunè alterius quam Catholicæ religionis exercitia permitterent quodque hostes suæ Catholicæ Maiestatis contra pacta antiqua penes se receptarent ac fouerent, quæ suspensio quinta decima mensis Ianuarii anno MDC. demum remissa.

Incarnati verbi anno MDXCII. citatur à Cæsarea Mai. vtraque pars Aquensis diffidens sententiæ decisiuæ promulgationem mense Augusto anno proxime insequente excipiendam quæ per deputatos mandato obsequuta compatuit.

Clementia ac longanimitas Cæsaris in æquitatem versa tam de plenitudine potestatis suæ & vltronea remissione statuum Imperii ad suam Maiestatem, quam Commissariorum Principum Electorum Treuirensis Præsulis & Saxonum Ducis relatione tanquam directus & competens Iudex partibus huic inde sufficienter audiis sententiam definitiuam tulit quæ insequente anno 6. Octobris emanauit hocque ferme tenore publicata est.

Nos Rudolphus huius nominis Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, &c. denunciamus vobis quod anno post millesimum quingentesimum octogesimo primo, in sede & ciuitate nostra Aquisgranensi prætensis subornatis electisque Consulibus & Senatoribus, vestrisque Successoribus, postquam in causa Catholicorum Consulum, Scabinorum & Reipublicæ Aquisgranensis accusantium seu actorum ab vna parte, aduersum vos accusatos seu reos ab altera Illustrissimi quoque Wilhelmi fœlicis recordationis & nunc Ioannis Wilhelmi Ducis Iuliacensis, Cliuensis & Montensis charissimi nostri auunculi, affinis, cognatique nostri, vt cuius magni interest, negorium vestrum maturè & prudenter ponderauimus, vobis accusatis ante persæpe Cæsareas admonitiones nostras scripserimus, Legatos magni nominis, minas quoque & pœnalia mandata nostra miserimus, ac randem sub Sacri Imperii excommunicatione seu proscriptione vobis præceperimus, vt omnem nouitatem, vim, & iniuriam accusantibus intentatam aboleatis, eosque in integrum restituatis, nihil effecimus. Vos enim nullis nostris monitis, mandatis aut minis parere voluistis. Quare tandem post nostram probatam ab Imperij ordinibus in vltimis Comitijs Augustanis, ad vtrumque Electorem Treuirensem & Saxonem editam commissionem post. Subdelegatorum anno 1584. in vrbe vestra recessum, actaque omnia ad nostram aulam Cæsaream transmissa, post denique citationem nostram ad vos vndecimo Aprilis Anni XCII destinatam, definitiua nostra sententia huius anni XCIII. Augusti 27. die coram nostra persona publicata, secundum omnes iuris allegationes iudicauimus, vobis accusatis seu reis nullo modo competere, aut licitum esse, in Sede nostra, Regia vrbe Aquisgranensi, in causa Religionis vllam introducere, aut introduci permittere nouitatem: sicuti, nec vestrum magistratum, vrbisque administrationem de facto vobis vsurpare: sed potius quicquid hactenus à magistratu, Scabinorum iudicio, & alibi constitutum abrogare & reuocare; omniaque vt ante introductam innouationem iuxta præscriptum Anno LX. decreti ab omnibus Tribubus atque Magistratu approbati & in executionem missi fuere, restituere. Actores quoque ad pristinum statum admittere, eorumque personas ad Magistratum, aliaque officia iuxta pactum eiusdem anni LX denuò assumere, & eorum expensas in hoc negotio factas refundere, omniaque damna resarcire: quemadmodum nos respectiuè cognouimus aboleuimus, reuocauimus etiam restituimus & damnauimus: excipientes prætereà pœnam, quæ vestro delicto debetur, quærelis etiam & actione aduersum vos Ducis Iuliæ; & actorum; quæ secundum iura simul aut seorsim decidentur. Omnia secundum publicatum Imperiale nostrum iudicium, cuius etiam Legato, vestro Procuratori, ad ipsius postulationem, ex Imperiali nostra Cancellaria apographum dabitur: quo accepto æquum est, vt pronunciata sententia in opus mittatur, quod vt fiat setiò volumus.

Quare vobis ex R. Cæsaris potestate, etiam ratione iuris imperamus, vt nisi nostram indignationem, Imperijque proscriptionem incurrere velitis post acceptas has literas sex sequentibus septimanis prædictæ nostræ definitiuæ sententiæ, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & partibus obediaris, satisfierique faciaris, absque vlla mora seu negligentia: neque vllam vlteriorem

con-

controuersiam moueatis: si modo nostram Cæsaream indignationem, Imperijque proscriptionem declinare volueritis. Hæc enim seria nostra voluntas est. Citamus nihilominus vos virtute eiusdem Cæsareæ potestatis, & volumus vt transactis prædictis sex septimanis, infra dies triginta, quos vobis pro primo, secundo, tertio & tandem peremptorio termino constituimus, aut si dies is iuridicus non sit, proximo die iuridico, in aula nostra Cæsarea vbicunque tunc ea fuerit, ipsi aut per Legatos vestros compareatis, & mandato nostro satisfactum esse doceatis: aut videatis, audiatisque prædictam pœnam præscriptionis vobis irrogari, vosque illius reos esse declarari. Quod si interim non compareatis, sententia nihilominus aduersum vos pronunciabitur, quemadmodum id iure & laudabili consuetudine hactenus obseruatum est. Secundum hæc vobis consulite. Datum in arce nostra Regia Pragensi, sexto die Octobris Anno recuperatæ salutis post millesimum quingentesimum, nonagesimo tertio, Regni nostri Boemici decimo nono

Sententia hæc publicata est coram D. Ioanne Ellerborn Archipresbytero, Wilhelmo Wylte Scabinorum seniore & Francisco Widdenradt deputatis Catholicorum vrbis Aquensis, atque ab aduersa parte coram Syndico sectariorum; mense Nouembri eadem Aquisgranensibus transmissa intimataque est, protestantes ii qui Augustanæ confessioni dediti vehementer perculsi sunt, reliqui è castris Caluini mandata similia flocci pendere didicerant, quippe iam antea videlicet 17. Sept. insolito more à Cæsare malè informato ad ipsum dilucidius informandum & ad Sacri Rom. Imperii Electores, Principes, Comites, reliquosque status appellârant, plebeios ad interuentionem pro se faciendam subornabant, Consules, adsessores Senatoresque priscæ fidei stylo & oretenus contumeliis lacerabant, ac proscindebant veluti ipsi vrbem vrbanasque libertates in subiectionem Burgundiæ & Iuliæ Ducum consignassent, vnde eos eorumque complices Reipublicæ rectè regulatæ turbatores, alieni Magistratus falsos vsurpatores, priuilegiorum, statutorum, Iurium & immunitatum patriæ violatores, regiæ Sedis & vrbis Aquisgrani hostes declarabant, dignos qui in exemplum irremissibili pœna ferirentur.

Ac licet plerique status Imperii in Comitio Ratisbonensi anno MDXCIV. super hac Cæsarea declaratione qua Aquenses icti quærimoniis & expostulatione vsi, attamen posteaquam hinc inde vlterius ab Aquisgranensibus coram Cæs. Maiestate res ventilata & excussa, replicationesque aduersæ partis diu utæ anno MDXCVI. quarto Idus I[illegible] interloquutiones omnes interdictæ, atque sententia prius à S. M. Cæs. lata in rem iudicatam abiit confirmataque est, proinde

anno incarnati verbi millesimo quingentesimo duo decentesimo mense Iunio Cæsar Aquensibus à fide refugis suæ Maiestati totique Imperio refractariis aqua & igni interdixit, sententia talis erat.

Postquam pro tempore in regali sede vrbis Aquisgrani de facto regentes Consules & Senatus ad instantiam & prosequutionem Catholicorum Consulum, Scabinorum, Senatus & ciuium ibidem, ac Ioannis Wilhelmi Ducis Iuliacensis tanquam interessentis ob eorum continuam contumaciam & non paritionem S. Cæs. Maiestatis literarum executorialium ijs debite insinuatarum & reproductarum, quodque desuper sequuta sententia non obedierint in Sac. Cæs. Maiestatis Domini nostri clementissimi & sacri Imperii bannum per sententiam declarati sunt. Idcirco nomine & vice suæ Cæsareæ Maiestatis publicamus & denuntiamus eosdem pro tempore de facto in dicta ciuitate Aquensi regentes Consules & Senatum simul & separatim pro bannitis publicis ita vt à pace & fide Imperii exclusi à prædictis actoribus & eorum consortibus vel quibuscumque aliis tam in persona quam rebus impune offendi possint. Publicatum Pragæ 30. Iunii anno 1598.

Exequutio huius sententiæ Principi Electori Vbiorum Ernesto demandata fuit vt perduelles ad parendum vi militari compelleret cui S. Maiest. Cæsarea significat se Treuirorum Antistiti, Archiduci Brabantiæ Germano suo, itemq; Ioanni Wilhelmo Duci Iuliæ perscripsisse ad suppetias auxiliaresque ferendas si necessum foret.

Aderat ilico postea Heroldus Cæsareus Mathias Pierenpaumer qui ante Senatorias ædes Banni denuntiationem omnibus singulisque perlegit. Ciuium animis hoc insperato ictu perculsis ac suspensis Senatorum alii cumprimis qui se hoc mandato peti persentiebant profugiunt, cæteri Magistratus & publicis muniis de communi sententia tribuum , ad quas Imperii ac gubernaculi summa delata, se abdicant, Ecclesiastes doctrinas hominum de ingenio ac sapientia sæculi natas seminantes profligantur: Interea Limburgicæ ac Iuliacenses copiæ agros finitimos occupant, inde pecora abigunt, prædasque agunt, ciues de facultatibus suis fluxisque rebus solliciti cum viribus ad vim depellendam diffiderent per internuntios Archiepiscopum Coloniensem obtestantur vt imminentem à ceruici-

bus suis tempestatem clementer auertat, tantisper quoad controuersiæ omnes sopitæ, Cæsareisque & Imperii mandatis fieret satis.

Is consentiens cum Illustrissimo Iuliæ Duce transigit vt res citra armorum extrema exitia vastationesque componatur, qua constitutione facta nomine Iuliaci Principis Nobilis vir Zelo auitæ fidei propugnandæ præcellens Wilhelmus de Waldenburg dictus Scinckern Iuliæ supremus officiatus Aquas Graneas cum aliquot peditum manipulis subintrat Consulem Albertum Scrick aliosque deportatos exilio ad patrium solum reducit, ad quorum ingressum in argumentum lætitiæ campanum æs marus virginis Matris personuit colligens & reuocans dispersos ad Marianam Principem ædem vt cantici Ambrosiani ibidem modulationi & gratiarum actionis diuinæque laudis carmini ante omnia adsisterent.

Archipræsul vero ac Princeps Elector Vbiorum Generosum ac Nobiles Dominos Philippum Comitem de Marca & Manderscheit, Arnoldum von Freng Coloniensem Marescallum Adamum von Effren de Sechten Præfectum Brülæ ac Theodorum Bisterfeldt I. V. D. Cancellarium vi commissionis susceptæ Subdelagatos Cæsareæ Maiestatis Aquas amandat, hi gubernaculum vrbis, prætoriæ domus, armamentarii, portarum custodiam in se suscepêre, artificumq; tribubus hanc propositionē fecêre. Quod tametsi Cæs. Maiestas non leuia rationum momenta haberet priuandi ciues omnibus libertatum ac indultorum prærogatiuis, attamen ex ingenita ipsi clementia eam gratiam præstare vt si Imperatis Cæsareis per omnia satisfacere procliues fuerint, de rigore iustitiæ pro merito remissionem facere velit ac eo casu siquidem in quouis Artificium collegio tribuque decem & quatuor personas idoneas præsentauerint, decretum sibi esse ex eis iussu Cæsareæ Maie. Magistratum instaurare pristino legitimoque more. Acceptata hac summa gratia ab indigenis animi submissione & obedientia qua par erat, reipublicæ dignitates Catholicis restituuntur, ab iisdemque sacramentum præstatur Cæsareæ Maiestatis sententiæ anno MDXCIII. latæ ac Senatus decreto anno MDLX. efformato consentaneum, neminem deinceps in Senatum cooptandum nisi qui vita ac moribus se Catholicæ fidei dogmatibus inhærere atq; Romanæ Ecclesiæ ritus sequi sufficienter testatus sit.

Condicta pariter sub id tempus dies ipsæ Kalendæ Septembris memoria D. Ægidii qua Clericorum ciuiumque multitudo supplicatio-

ni publicæ ac gratiarum actioni religiosè ob datum supernè restitutionis beneficium vacare quæ processio ad instantiam amplissimi Magistratus vsque huc annuatim Senatu Ecclesiastico ordinante continuatur.

Sub idem tempus aræ in Camera Consulatus in qua res Diuina peragitur restauratio facta adpictique hi versus:

Karole struxisti quod restituere Rudolphi
Sceptra, fidem, populum ac vrbem defendite bini.

Et quoniam proscripti omnes paucis demptis genibus aduoluti coram Subdelegatis Cæsareis iurato firmârunt sententiam Cæsaream se inuiolabiter obseruaturos nec vnquam contra Sac. M. Cæs. quicquam molituros ab iisdem Commissariis reconciliati sunt & ab Imperii Banno liberi pronuntiati, saluis expensis sumptibus qui Illustrissimo Iuliæ Duci, Catholicis incolis vniuersisque damnum passis ac læsis ex mulctitio ære condemnatorum per sententiam Cæsaream exsoluendi forent.

Haud longe post vbiorum ac Eburonum Antistes Ernestus Andream Stregnart Leodicensem suffraganium & Ioannem Chapiauille Aquas direxit vt Confirmationis Sacramentum per frequentes ciuicas irruptiones minime administratum conferretur, Ecclesiastica disciplina instauraretur, Synodalis Iudicii processus contra criminosos promoueretur, Scholis sectariorum depressis ac excisis, eæ in quibus iuuentus fide Catholica ac vitæ sanctimonia imbueretur postliminio restituerentur.

Post hanc innouationem vrbis queritabantur ciuium plerique quod pridem in Belgica terra ipsi eorumque mercimonia à vectigalium, telonii pedagii exactionibus immunia exemptaque fuissent, quibus libertatibus cum vrbs aliquot annis orbata esset ob admissa antehac in Aquas variarum sectarum propudia poscere se nunc vt Magistratus apud Serenissimos Archiduces Brabantiæ promoueat restitutionem omnium gratiarum & immunitatum, abolitionemq; suspensionis priuilegiorum anno MDXCI. ab iisdem Principibus factæ: Syndicus vrbis iubetur à Senatu Bruxellas concedere deprecatum pro redintegratione libertatum quibus ab antiquo Aquenses potiti fuissent; quæ res licet primum sat facilis impetratu visa, attamē in complures menses protracta, demum eatenus indepta est vrbs Aquensis gratiam Archiducum Regisq; Hispaniarum, vt prius reuersa-

libus scriptis fideiubere debuerit antiquas pactiones cum domo Burgundica inconcusse seruare, ac in vigorem Cæsareæ sententiæ anno MDXCIII. latæ solius Catholicæ Religionis propagationem in in Aquis admittere, rescriptum Principum tale fuit.

Albertus & Isabella Clara Eugenia Infans Hispaniarum Dei gratia Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, Lymburgiæ, Luxenburgiæ & Geldriæ, Comites Habspurgi, Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Tyrolis, Palatini & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ, Marchiones Sacri Imperij Romani, Domini Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ Ciuitatum oppidorum & territorij Traiecti, Transisulaniæ & Groningæ, omnibus præsentibus visuris salutem. Expositum & supplicatum nuper nobis fuit ex parte Consulum, Scabinorum & Senatus sedis Regalis & ciuitatis Aquensis: cum certa quædam pacta accordata & fœdera inter Carolum pientissimæ memoriæ Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Ducem, &c progenitorem nostrum ex vna & Consules Scabinos & Magistratum eiusdem ciuitatis Aquensis altera partibus, vigore literarum desuper confectarum de data in oppido Gandauensi die vigesima mensis Iulij anno Domini 1469. erecta & pleræque exemptiones & immunitates ciuibus & oppidanis dictæ ciuitatis Aquensis concessæ ac per prædecessores nostros & quidem nouissimè per Philippum Secundum eius nominis Regem Hispaniarum Catholicum, Ducem Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgij, locorum & respectiuè, Patrem nostrum charissimum, gloriosæ & fœlicissimæ memoriæ, fuissent confirmatæ, sed propter certas causas, maximè quod in dicta ciuitate Aquensi, per nonnullos qui Magistratus Iura sibi adscribebant, alterius quam Catholicæ Religionis exercitia impune permitterentur, ac Regiæ suæ Maiestatis Rebelles & hostes ibidem receptarentur, vigore Edicti eiusdem de data, Bruxellæ 13. Octobris Anno 1591. fuissent suspensæ, vt nos rebus iam compositis; prætactam suspensionem relaxare, & in fœlici nostra in Belgicis hisce nominis prouincijs inauguratione, antiqua eiusmodi pacta Accordata, Immunitates, & Exemptiones confirmare dignaremur, oblatis ad hæc sua ex parte Reuersalibus literis, quibus id quod sibi ac suis dictorum fœderum ratione, incumberet, se præstituros promittebant, quorum quidem Reuersalium tenor sequitur & est talis.

Nos Consules, Scabini & Senatus sedis Regalis & Ciuitatis Aquensis, Præsentium tenore attestamur, cum tenore literarum quondam Anno Restitutæ salutis humanæ 1469. In ciuitate Gandauensi datarum, inter Carolum, gloriosæ & pientissimæ memoriæ Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgiæ &c. Ducem, atque prædecessores nostros, Consules, Scabinos, & Senatum prædictæ vrbis peculiaria pacta & accordata erecta atque Ciuitati nostræ certa Exemptiones, Immunitates & priuilegia concessa, eademque etiam successiue per subsequentes Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Principes, atque nouissime per Philippum Secundum pientissimæ quoque memoriæ Regem Hispaniarum Catholicum, vigore literarum Anno 1556. die 18. mensis Iunij desuper confectarum, confirmata fuerint. Interea vero, quod per plerosque, qui de facto Ciuitatis gubernationi, sese ante hac immiscuerant Mutatio & Innouatio Religionis Catholicæ in prædicta vrbe Aquensi introducta, & alia, quæ eosdem non decuerint, gesta, & cele-

brasa essent. Atq; etiam quod tunc temporis admissi fuerint plures Banniti & proscripti tam ex oppido Traiectensi ad Mosam quam ex alijs prouincijs inferioris Germaniæ atque etiam quidam rebelles & hostes suæ Maiestatis, aliquamdiu in prædicta vrbe hæserint, & ibidem fouerentur, ob quæ omnia prædicta sua Maiestas præfactas immunitates, priuilegia, & acco data, vigore Edicti, Anno 91. die 23. Aprilis emanati suspenderet, iam vero primo die Septembris elapsi Anni 98. per Sacram Cæsaream Maiestatem, & Senatus Catholicus, in dicta nostra vrbe restitutus, & aduersa religionis exercitia abolita fuerint. Nosq; præfati Consules, Scabini & Senatus sanctam Catholicam Romanam Religionem in dicta nostra vrbe vigere & florere, nullaq; alia alterius cuiuscunq; sectæ exercitia concedere & admittere cogi emus tum etiam ea omnia ad quæ ex antiquis pactis acco datis & conuentionibus, Burgundiæ Ducibus obligati fuimus & etiamnum sumus, adimplere & præstare libenter velimus Serenissimis Principibus Alberto & Isabellæ Archiducibus Austriæ, Ducibus Burgundiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ deuote & humillime supplicauimus, vt præfatæ suæ celsitudines, non modo suspensionem alias factam, cum omnibus inde subsecutis & dependentibus, relaxare, verum etiam immunitates priuilegia & accordata præfacta de nouo confirmare dignarentur, cui quidem humillimæ nostræ petitioni cum prædictæ suæ serenissimæ celsitudines Clementer annuerent. Nos quoque ex nostra parte: pro nobis, & successoribus nostris præsentium tenore offerimus & promittimus, in primis, quod nullam vnquam Religionis Catholicæ mutationem & innouationem in prædicta nostra vrbe concedere velimus. Ita etiam, vt si per nos ipsos posterosue & successores nostros, alterius alicuius, quam Catholicæ Religionis exercitia impune concedantur, quod in eiusdem euentum Priuilegijs, & immunitatibus hisce, iam denuo per serenissimas suas celsitudines restitutis & confirmatis, frui & gaudere minime debeamus. Promittentes quoque, quod nullos hostes vel Rebelles dictorum Principum aut Bannitos vel proscriptos ab eis sustinebimus, aut patiemur apud nos viuere, sed ad requisitionem suarum celsitudinum expellemus, eijciemus, & abire cogemus. Neque etiam receptabimus milites vel pedites in nostra vrbe qui possint offendere subditos dictorum principum prout illud ipsum in accordatis, per serenissimas suas Celsitudines iam confirmatis expressum ac promissum, reperitur, spondentes desuper quod ea omnia & singula quæ prius memoratorum & confirmationum subsequenter factarum vigore, nobis ex nostra parte præstanda facienda atque adimplenda incumbunt, pariter etiam præstare, facere atque implere. Atque omnes & singulos articulos prædictis accordatis inter Carolum Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgiæ Ducem, & prædecessores nostros erectis insertos, in quantum & quatenus nos concernunt ratos, saluos validos & firmos inuiolabiliter & perpetuo habere & obseruare, eisque nulla vnquam ratione contrauenire volumus sine fraude. Quæ etiam omnia præmissa sunt saluo in omnibus sacræ Cæsareæ Maiestatis iure & sine præiudicio cuiusquam si constiterit nos amplius obligari, erga dictos principes Brabantiæ & Limburgiæ, in quorum fidem præsentes sigillo nostro Maiori muniuimus. Datum Aquisgrani die 16. Decemb. Anno 1599.

Erantque hæ Reuersales subscriptæ sub plica hoc modo Nicolaus Munsterus & sigillatæ sigillo dictæ ciuitatis Aquensis in cera viridi pendente in duplici cauda; quibus quidem supplicationibus inclinati & Reuersalibus præinsertis acceptatis vestigijs prædecessorum nostrorum inhærentes parique cum ipsis gratia & beneuolentia prædictam ciuitatem Aquensem complectentes

omni-

omnibus & singulis ad hanc rem pertinentibus & necessarijs maturò ponderatis, adhibito fidelium nostrorum Cancellarij & aliorum senatus nostri Brabantini & deliberatione matura Consilij nostri status præhabita ex singulari fauore amore & gratia quibus erga præfatos supplicantes afficimur progenitorum nostrorum exemplo suspensionem suprafactam cum omnibus inde dependentibus & connexis relaxare, & eosdem supplicantes in pristinum statum restituere decreuimus prout eandem suspensionem tenore præsentium relaxamus, ac illos in integrum pristinumque statum restituimus & collocamus. Tum etiam memorata accordata cum dicto nostro progenitore Carolo Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Duce erecta & celebrata ac per prædecessores nostros confirmata pariter etiam pro nobis & in eisdem Ducatibus successoribus nostris in omnibus & singulis articulis & punctis non secus atque in litera desuper confecta de verbo ad verbum hisce essent insertæ confirmamus & ratificamus ac confirmata & ratificata decernimus. Ipsosque Consules, Seabinos, Magistratum & oppidanos Ciuitatis Aquensis præsentes & futuros eiusmodi fœderibus pactis immunitatibus, priuilegijs & exemptionibus prout alias vsque ad suspensionem prædictam habeant, & hoc de iure seu consuetudine decet vt & frui & gaudere permittimus & consentimus, eosque ac prædictam ciuitatem Aquensem in nostram gratiam & beneuolentiam ac protectionem, suscipimus prouiso tamen vt hæc nostra suspensio, confirmatio restitutio in integrum & prouisio modo forma & conditionibus in præinsertis reuersalibus & in hisce nostris literis contentis & expressis sit in omnibus & per omnia sine præiudicio omnium & singulorum, aliorum iurium, contentionum & actionum tam ratione superioris Aduocatiæ Mamburnij seu Maioriæ Aquensis quam aliter nobis quomodolibet competentium, mandantes omnibus & singulis nostris præsidibus, iudicibus, iudiciarijs & officiarijs thelonarijs, receptoribus & subditis nostris Brabantiæ & Limburgiæ Ducatuum atque aliarum Prouinciarum & Dominiorum nostrorum vt ipsi omnes & singuli quos concernit, prædictos Consules, Scabinos Senatum & oppidanos dictæ Ciuitatis Aquensis prætactis fœderibus accordatis & immunitatibus modo forma & sub conditionibus prætactis libere & pacificè gaudere vti & frui permittant, nullique ipsis vel alicui ipsorum in vsu eiusmodi obsint vel obstaculum ponant eisue impediant, idque sub nostra indignationis pœna, in cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum in oppido nostro Bruxellensi die 15. Mensis Ianuarij Anno 1600.

Vrbe restituta pristinæ Germanæque fidei ac concordia cum finitimis Principibus firmata placidissima pace conquieuit aliquamdiu Aquisgranum ab aperto Hæreticorum turbine, verum cum eidem hi remansissent adhuc in ciuicis tribubus mixti Catholicis, quorum etiam votis adlegebantur Catholici ad Magistratus munia, eorũ clandestina opera tam inter Scabinos senatoresq; subinde quã inter hos & collimitaneos Principes intestinæ & externæ pro dolor succendebantur discordiarum faces, vnde positis confusis & inordina-

tis principijs cum causa mali necdum esset curata porta pansa fuit qua erumperent noui tempestatum ciuilium æstus, noui lapsus reipublicæque ruinæ non absque graui clade ac scandalo: quædam motuum ciuilium seminaria lubens volens prætereo & ad id quod promicuit anno MDCVI. referam: Cum euoluto tempore non paucæ simultates & dissensiones inter Ducem Iuliæ ac vrbem Aquensem concitatæ fuissent, tentataque incasso labore fœderatio in Cœnobio Diui Cornelij ad Indam pridie Kalendarum Iunij anno 1605. eo qui cõsequebatur serenissimæ Antonettæ è prosapia Lotharingica oriundæ Iuliæ Ducissæ vna cum fratre Germano Duce de Vaudemont religionis ardore Christi Diuorumque sacra Lipsana in Aquis venerari constitutum erat: illa dum vrbem subingreditur, antiquata contentio derepentè concitatur ciuibus nequaquam sustinentibus competere ius Iuliaco Duci eiusue conthorali Aquas Grani intrandi Magistratu irrequisito, vtpote cuius esset saluo conductu anteambulone securitati publicæ prospicere, in aduersum vero nitente comitatu principissæ, è quo plerique nobiles dum recta progredi citra prætrium Senatus ductum moliuntur ab indigenis punctionibus & bombardarum verbere audenter repressi sunt: quo actu priores plagæ omnes recruduere: adeo vt molientibus Iuliacensibus res nouas Magistratus in Aquis mandatis quæ vocant sine clausula sub interminatione banni ab Imperiali Camera 10. Ianuarij anno MDCVII. obtentis eos represserit ac compescuerit, deinde cum rursus eorundem Iuliacorum equitum Præfecti pacem & quietem publicam violarent, neque solũ à negotiatoribus Aquensibus è mercatu Francofurtano aduentantibus prædas agerent sed etiam eorum ductores opprimerent atque ex insperato trucidarent, iteratò in ipsos citationes ex memorata camera sub denunciatione proscriptionis promanârunt: vt igitur has interminationes Iuliacenses à se dimouerent ac pariter iniustam iniuriam Ducissæ reciproca vindicta prosequerentur mense quintili anno 1608. Iuliæ Principis congestæ copiæ itinera ad Aquas vndequaque occupauerant, nec ciues duntaxat eorumque facultates prædæ insolenti militi erant sed quod acerbiore doloris sensu profero innoxia multitudo pietatis & cultus Diuini ergo Aquas anhelans ad septennale Iubilæum non satis bono exemplo damnis ac ærumnis varijs promiscuè lacessebatur; incolæ Aquenses conscriptis præsidiariis Leodio & aliunde ilico accitis ad defensionem se haud segniter

para-

parabant; dem.. litis vero à Iuliaco milite molendinis vrbi adsitis prępeditisque per obstructiones aquarum procursibus per Aquas Graneas profluere consuetis, pridie Idus Augusti inter ciues exoritur clamor, procellaque æstuat, correptis Martiis signis forum complent, hostem vi aggrediendum ac in fugam vertendum decernunt, sed mox saluti suę melius prospicientes ob incertum euentum conflictus mutato consilio causam malorum sibi à Iuliæ Duce incumbentium & impendentium disquirunt, stimulosque addentibus iis qui Iuliacensium conatus promouebant, è quorum numero erant tam Catholici quam hæresi asperfi compositio ac transactio aliqualis pacta qua imprimis Iuliacenses id consequuntur vt renuntiatio fiat & summa obliteratio actionis in Camera Imperiali intentatæ, deinde vt quinque viri Senatorii Catholicæ auitæque fidei dediti tanquam qui huic Principis irritationi ansam præbuissent, atque sub specie quidem quasi qui ius Aduocatiæ Mamburnii seu Maioriæ Aquensis Iuliaco Duci competēs in Archiducem Brabantiæ & Burgundicam domum transferre studuissent, reuera tamen alia de causa in custodiam compellerentur: Scabini nonnulli qui per anteactas disceptationes inter Iuliacos & Aquenses senatorio ordine abdicati fuerant, hoc obtinent vt ex ipsorum Collegio plerique rursus ad Senatum cooptentur: aduersæ religionis incolæ mirifica delibutione gaudii saturantur quod isthinc inter Iuliacum Ducem ac ciuitatem, hinc inter membra Reipublicæ ipsosque Catholicos discordiam ac diffidentiam enatam cōspiciant, attingunt aures, inter vtrumque volant & quasi aliud agentes discordiarum inter Catholicos flammis facem supponunt, perque istam inquietudinem intestinam suos conatus sublimare summo conamine satagunt, quædam à Senatoribus expetita pro voto nanciscuntur, quoad reliqua coram Magistratu & Subdelegatis Cæsareæ Maiestatis commissariis disertè pronuntiarunt nihil se prætendere contra sententiam ab Imperatore anno M D X C I I I. latam, in tribus punctis duntaxat nempe baptismi Matrimonii & sepulturæ postulare modertamen synodalis iudicii, cuius suspensio ad tempus etiam mox subsequuta.

Iam naturæ debitum anno salutis M D C I X 25. Martii exsoluerat spiritibus ac beatarum mentium choro sociatus Serenissimus Princeps Ioannes Guilielmus Dux Iuliæ Cliuiorum ac Montium Comes Marchiæ & Rauensb... Dominus de Rauenstein, &c. vltimus in-

clytæ prosapiæ suæ non relictis vllis virilis seu fœmininæ stirpis prolibus & fluctuabant incerto exitu ditiones ipsius, Ducatusque Anarchi, atque à diuersis Principibus successionis ius in eos prætendentibus armato milite appetebantur; ablegabat Cæsarea Maiestas Rudolphus eius nominis Secundus Serenissimum Archiducem Austriæ Leopoldum Argentoratensem & Passauiensem Præsulem sequestrum, volens positis armis rem geri ac coram se tanquam directo & supremo feudorum Domino ius id ventilari; & Archidux quidem antefatus ductore Hartgero Henoto I. V. Doctore & Canonico Metropolitanæ Coloniensis paucisque comitatus Iuliacum primarium Iuliæ Ducatus oppidum fœliciter ingreditur, receptusque comiter ab arcis præfecto Ioanne de Reiffenberg eam citra Martis opus occupat; verum cum in partes Marchionis Brandeburgici & Ducis Palatini Neoburgici successionem sibi adscribentium auxilia Regum Galliarum ac Magnæ Britanniæ, Principum protestantium Germaniæ, statuumque fœderatorum Barauorum concederent, (qui etiam omnes post aliquod temporis interuallum ad expugnandam munitissimam & toto orbe celeberrimam Iuliæ arcem oppidumque præsidio Leopoldino & annona firmatum concurrerunt) adeo vt antefatus Archidux Leopoldus viribus & numero militum longè impar, cui nec miles nec bellici nerui subsidiaque amplius submitterentur; tametsi alioqui validissimus esset ac magni animi Princeps in armis, sedatissimus in toga, prudentia in illa sua ætate nemini secundus; recedere ante præstolatam ab aduersarijs simul adunatis obsidionem castri & ciuitatis Iuliacensis cogeretur; Aquenses veteris religionis hostes pietatis Catholicæ perduelles vtpote confines Iuliæ tractui visa hac belli fortuna in Principes ante memoratos sua eademque nouitia religione coopertos inclinante, occasionem nactam excutiendi Cæsaream potestatem & eius paterna edicta vigilanter arripuerunt, egressi igitur armis probè instructi vrbem Aquensem, turmatim diffluunt ad Prædicantem nouitijs saturum commentis verbum exhalationesque Caluini labruscas vineæ Domini Sabaoth ac suarum opinationum phantasmata sub specie Diuini verbi eructantem ac venditantem in casa rustica à nemore finitimo haud longè dissita, Magistratus iam ante seuero hortatu sub interminatione suspensionis priuilegiorum & immunitatum præmonitus à Serenissimis Archiduce

Alberto Brabantiæ Duce & Ernesto Eburonum Antistite tanquam Cæsareæ Maiestatis Commissariis super abolitione exoticarum & erronearum concionum, rebus suis prospiciens per publicum edictum sub arbitraria pœna cauet egressum ciuibus, ne nouorum ministrorum noxium edulium & inescans dulciter venenum mystico lenocinio tectum hauriant, certò præuidens exitio fore vrbi hanc licentiam, ac è tanto numero refractariorum quinque solummodo malèferiatos salubrium monitorum edictorumque legitimi Magistratus transgressores successiuis temporibus ciuili custodiæ (prout id punitionis genus compellant) deputant, non vinculis, vti moris in eiusmodi, compellunt; pœnamque exiguam nummariam vni quinquaginta aureorum florenorum, alteri quinque & viginti, cæteris tribus modium Siliginis sub id tempus tribus florenis aureis circiter æstimatum contumaciæ intuitu exsoluendam imposuit, erogaturus has mulctas in vsus inopum, quæ ad supplices preces signaue obedientiæ aut pœnitudinis magis moderari potuissent, sed cum horum nihil præstaretur & quasi vi metuque Senatum ad reuocationem edicti instigare meditarentur rei, tertio Nonas Iulij Anno Millesimo sexcentesimo vndecimo in corona Magistratus conclusum, vel mulctam quisque suam è contumacibus penderet, aut si detrectaret, vrbe eo die excederet; quocirca eodem die & anno circa quartam pomeridianam maturum vlcus suppuruit, ac benè antea præmeditata præcoctaque defectio exorsa, furoris popularium æstu iactatur periculosissimè vniuersa ciuitas (posteaquam pridie Serenissimus Princeps Ernestus Elector Coloniensis & Eburonum antistes conseruator huius Regiæ Sedis & Imperialis ciuitatis Aquensis ex vrbe abiisset qui tanquam Cæsareæ Maiestatis Commissarius accitis ad se primarijs aliquot protestantium confidenter eos præmonuerat) confidentibus porro domi opulentioribus ciuibus veluti totius successus rei ignaris quorum tamen ære subornatus miles alebatur, inconditum vulgus fomitem suppeditat vt huius factionis vorax flamma quam ciuilissimè quam latissimè proserperet, principio dum tuba tristissimorum tumultuum classicumque cantandum, erraticum satellitium in vrbem induci iut quo latenter inducto

 fre-

frequente numero ciues circa senatoriam domum agglomerantur: dein ducenti circiter efferata nimis temeritate inermes quidem feroces tamen minarum ac cædis spirantes curiam petunt & cum fremitu conscendunt, Consul multitudinem insolescentem cōspicatus mox cancellos ante Senatoriam ædem occludi iubet, & quid poscerent exquirit, respondentibus, Consules & officiatos super nonnullis rogatos venire, ille inquit, paucioribus aditū & adloquium se minime recusaturum, at tam numerosam multitudinem admittere consultū sibi haud esse: hic iam promiscua turba incond tum clamorem continuò ingeminat, ad cancellos vi demoliendos media sibi non deesse; velle prorsus vt quinque protestantes in ciuili custodia detenti libertati redonentur; tum Consul iterum, si quo grauemini præiudicio, stylo consignate supplicis forma libelli quæ postulatis, tanto impetu & prece armata admitti ad prætorium æquum minimè esse, præsertim in Collegæ & cæterorum de Magistratu absentia, in crastinam Senatum Ampliorem cogendum, ibi de postulatione ipsorum fauorabiliter discutiendum; Cum verò hoc responso magis sæuiret animis ignobile vulgus, nihilque se verbis proficere Consul clarè perciperet, ianuam (quippe vi eam perfracturos identidem comminabantur) aperiri mandat, ilico ceu Bacchicus ad sydera tollitur clamor vt quisque infestis armis præsto sit, iactam inquiunt aleam, finemque hactenus perpessorum iam nunc se visuros, sicque religionis & conspirationis catelinaris socios verborum tædiis inflammant & instigant; Deum immortalem quam facile furor arma ministrat quot è vestigio operarij ex officinis prosiliunt, quot milites aliunde hoc fine acciti Martialibus signis graues in publicum prodiunt, quis fragor armorum, animorum ardor, quā densus bombardarum fulgor; videre erat ex effusa licet præmatura lætitia etiam seniculos vili lacerna tectos sub hastili ferro aut æruginoso venabulo cespitantes alios, alios sub militaribus contis vix pedibus posse consistere, & tamen ad forū accursare sæui iam mentis impotenti manu palam facere, vno verbo quemuis breuem pede lumine lęuum concitum aduolare, Consulem prout & alios Senatores contumeliosis verbis incessere, mordace lingua proscindere, velle se quinque conciues sine vllis ambagibus vt in libertatem asserantur; Consul quidem eos immodestiæ & impatientiæ arguebat tacitè, quod Senatus decretum desuper operiri nollent, at illi tanto atrocius debachari, vsque eò vt idem prouectæ & in-

clinatæ

clinatæ ætatis Burgimagister Meissius nomine trucibus seditiosorum minis exsanguis factus ac veluti animi deliquium passus ad domicilium suum fuerit deducendus; eadem furiâ inquietorum istorum hominum plerique ad Grani turrim properant eo animo vt æramento inibi pulsato signum factionis vice clangoris buccinæ cuncta arma personarent, cum vero aditus non esset patens in viciniam prouolantes disruptis foribus & malè mulctato custode portarum tanta auiditate in tem suam intenti campanum æs in pulsum egerunt vt pistillū diuulserint, hoc sonitu alter Consulum Ioachimus Berchemius vna cum ciuitatis Syndico Badone Kuckhouen exciti cum per posticum in curiam conscendissent non absimili salute qua prior collega excepti sunt, confusis vocibus inclamare non destitit minax cohors vt captiuati sine mulcta liberi pronunciarentur; quanquam vero iam fatus Consul blandis verbis furorem temperare studeret, animosque demulcere & in sequentem diem quo Senatum conscriberet remorari conaretur, excusatione obtenta quæ peterentur non in suam solius sed vniuersi Magistratus potestatem cadere, additaque multiplici pataenisi pariter ac obtestatione vt arma ponerent; attamen cum verba nil proficientia perderet grauiora metuens nempe ad suæ & aliorum saluti prospiciendum coactus est captiuos è custodia educere ac data fide indemnes relinquere, eundem nihilominus vti & quæstorem & Syndicum circumfusæ turbæ penes se in curia detinebant, ne elaberentur, percontatus vero Consul an mancipatos se custodia asseruare vellent, verbotenus quidem negabant simulantes id in bonum ipsorum fieri ne à promiscuâ plebe armata forum viasque complente vim aliquam paterentur, reipsa tamen implicit i cassibus erant, sic igitur vsque ad nonam vespertinam ibidem detenti demum per posticum qua venerant erepserunt, exinde plerique nimbos & procellas factionis commouentium portarum vrbis claues earum custodibus vulgo Christophoris indigitatis extortas per vim suæ potestatis fecerunt, alij tres Patres Societatis Iesu ad Collegium suum ex Decanalibus ædibus reditum accelerantes exoneratis Sclopetis dum de improuiso è medio tollere volūt, illi inopino discrimine animaduerso impigrè fugam pro muro opponunt, quorum vnus ad ciuis ex opposito Collegij sitas ædes veluti asylum profugit, in quem collimatus ictus irritus in fores fenestrasque impegit, idem Pater fidam istam stationem minimè ratus se tutans transcenso muro per olito-

rium hortum in adsitum domicilium dilabitur, ibique aliquantisper delituit; sub hisce primis seditionum furijs cessatum aliquamdiu à re Diuina in templis operanda quorum pleraque reclusa mansere præ formidinis magnitudine.

Quæ nocte insequente nocte prorsus illune & in qua nullæ stellæ collucebant in cerebro indomiti vulgus agitata sint consilia posteri diei euentus docuêre, etenim pridie Nonas Iulij necdum plenè albescente die in Iesuitarum claustra religiosum locum fit impetus, Patres numero octo tam domesticos quam peregrinos per compita platearum in curiam abducunt, vno etiam eorum in caput sauciato, clamoremque & mugitus edebant per contumeliam. *En Cæsar venit, En Antichristus, En Leopoldum, En Cæsareum fecialem:* cum vero plerique infulsæ huius plebis captiuos Patres breuiori viæ compendio per cœmiterium primatij templi deductos vellent, vociferari alij, haudquaquam nebulones hosce & fures per locum sacratum, ne forte prophanati contactu eorum locum contingat, quin potius per semitam quam alii flagitiosi mortis damnati calcant deducite; sic igitur in senatorias ædes pertractos mox cateruatim circumsistunt, multa iniuriosè exprobantes, multa interrogantes, fuit inter alios qui placidè amiceque respondenti Religioso colaphum impegerit; quibus denique hoc in loco contumelijs & imposturis eos ferierint, quibus interminationibus torturæ mortis & exilii, quoties ex vno conclaui in aliud raptârint supersedeo.

Dan. 2. Sub idem tempus alii in Collegio Societatis dictæ esculenta & potulenta quæ repererunt abligurierunt, vsibus domesticis apta spoliarunt, sacellum quoq; omni excussa pudoris fronte fœdate nihil subueriti, sanctos altissimi conterunt hoc est mutilant truncantque Angelorũ ac Diuorum marmoreas imagines, ensibus punctim ac cæsim singula lustrant, Sclopetos displodunt contra altare, ceram benedictã agnos Dei vocant hostiasque non sacratas in vias publicas disiiciunt, quin & apparamentis vestibusque sacerdotalibus quibus Diuina peraguntur vestiri adlubuit, mystarum munia obire, sublata hostia Dominus vobiscum per ludibrium intonare, quæ maior impietas excogitari potuisset, penè maledixerim iis cum veteribus, malè pereant insepulti iaceant, nisi Christiana fides intra mo est æ cancelles me detineret, permisit vniuersi moderator Deus hoc cæco errore homines fatigari vt impudentes laruæ mendaciorum quibus apud viros

prin-

rincipes petulantem insaniam suam fucare studebant talibus facinoribus retegerentur, quanto sapientius his barbari ac ethnici.

Tu Genitor cape sacra manu, patrio'que penates Virg. 2. Æne.
Me bello ex tanto digressum & cade recenti
Attrectare nefas donec me flumine viuo
Abluero.

Ac vt semel dicam nullum opprobrii genus in Deum & Sanctos in... prętermittebant; at ne auté consilia iis m... is librorū ... ottici vel ipsius cordi patcitū? minimè gentiū; ... huic facto ... à cōsiliis aliud suggerebant, cōfingere, pessundare ... quorundā Ecclesiasticorū ac laicorū eo res perducta ... Collegio secederent, sub vesperam itidē ... adlaboratum vt ... Societate Iesu captiui ex prętorio dilapsi sint ... quā voluntariè ... qui in ædes Decanales diuertetunt, quo rescito facinorosorū ... plures in easdē ædes impetū fecêre vt p... ædā retraherent sed irrito successu, Decanus eo tépore vir venerādus ac Nob. Ioānes Wormbs ... Thomberg de re Christiana & disciplina Ecclesiastica in hac vrbe ... optime meritus eos comiter ac perbenignè recepit, & quinq; men... spatio liberaliter hospitatus est, cōsecrantibus ipsis in dies singulos ... mysteria in capella Decanalis domicilii Diuo Oswaldo sacra. Interim dū hæc in... tumultuāti plebeculæ ex voto succedunt citra ... sistentiā Catholicorū, en è primariis sectariorū plerią; qui in publi... signa militaria necdū cōtulerant simulātes se haudquaquā partici... turbarū sect... onūq; significā Consuli Berchemio sibi iā decretum ... quietam multitudinē vi armisq; è foro ac senatoria æde propulsare ... do ipse cōsul nō reclamaret, quæ certè nō alio fine proposita fuisse ... vt indagarent nū Catholicis mens arma induendi seseq; defen... endi, ex eo cōiecturare licet, q... ia eū idē Consul respōsum tulisset se ... modo refragari huic consilio, sed etiā ante signanū se p... tutum, ... resiliêre, absq; profusione innoxii sanguinis, & sine summo vitæ ... fortunarū discrimine hoc fieri minimè posse renūtiabant. ... agis vt amicæ pactiones sanciantur eoq; nomine Ioannes Bercken ... ocat⁹ Aquēsis nō ita pridē ante ab vtroq; ... Principe design... aulā Iuliacam ablegaretur sollicitaturus ibidē ... Commissi ... verū Catholici huic sententiæ haudquaquam subscripse..., sed cō... eis visū ... sectariorū primarii motuū cōcitatores serio cohor... entur arma primū seponerēt, dein per libellū supplicē à Magistratu

deposcerent prætensis grauaminibus suis modum dari, in quo promouendo adiumento se futuros: tandem hi primarij mediatores inter Magistratum & turbulentam plebem audenter se offerunt, ac pridie Nonas Iulij transactionis articulos, postridie alios atque alios proponunt, dixisses rem vniuersis cordi curæque fuisse, dum autem hoc arguto tractatu Consules cæterique senatorii ordinis inani spe lactantur, clandestinè missus ad aulam Cliuensem Ioannes Kalckbrenner redit, nona nominati mensis sole ad occasum commeante ingressus vrbem ad contumaciam perduelles commonefecit pollicitatione iuncta adfuturos propediem Commissarios qui omnia ex voto directuri sint, in eundem sensum Aduocatus Bercken recensuit mandatum ex præfata Aula sibi consignatum.

His peractis cum deferbuisset paulisper primus furor statim subit mens in portum voluntatis suæ plenis velis nauigandi, Patres Societatis abigendi ac vrbe proscribendi, assertæ suæ confessionis exercitia obiundi, Consules & Senatum Catholicum muniis suis de facto & propria authoritate præter iuris ordinem deturbandi, ærarium compilandi, militem conscribendi, cui ex ærario & impositionibus menstrua stipendia exsoluerentur: vix dictum aut cogitatum & ecce factum, senatores officiis exuunt, Reipublicæ gubernacula sibi assumunt, domos, alteram ad fustem, alteram ad aluminum caput nuncupatam, in quibus ante Cæsareæ Maiestatis sententiam damnata sua exercitia facere consueuerant rursus inuadentes, quin & pro Gallici idiomatis sermone tertiam dictam das Kelmiß Hauß (siquidem ilicò fæx populi vndequaque Aquas aduolârat) celerrimo conatu atq; adnisu sibi aptant, pro sepulchreto suorum cœmiterium iuxta ædiculam sacram D. Iacobi occupant, peregrino milite è tractu Iuliacensis Principatus accito muniunt vrbem de nouo deliguntque duo de nonaginta viros, ac inter eos ex primariis plerosque quibus gubernaculum Reipublicæ incumbat, cooptati insuper sex armorum consiliarii, exinde variegatis coloribus & insigniis mecœnatum suorum vexilla complura efformantur explicanturque sub signis distributi milites ac ciues, tibiis tympanisque cuncta gaudent, ex armamentario Machinæ æneæ pertractæ in fori aream ac vallum vrbis; afflicti ciues Catholici vndique coangustantur, aliorum domicilia milite aduentitio & ieiuno qui ambederet esculenta singula stipantur, alii impune à sicariis enecantur, plerique sauciantur & fustuario pul-

san-

santur, nemini porro Catholicorum indultum fuisset aut pedem vrbe efferre, aut facultates suas alio in tutum deuehere, sed neq; epistolis quidem aut ab ipsis destinatis aut acceptis pepercere sectarij, ita mens haud conscia recti anxia erat rimabaturque vniuersa.

Exciti igitur variis rumoribus confines Electores Imperii ac Principes Commissarios suos mox Graniaquas direxerunt; inter primos venêre 16. Iulii possidentium Iuliæ Cliuiæ &c. Principum Marchionis Brandenburgici & Ducis Palatini Rheni Neoburgici Legati Nicolaus Langenberger atque Conradus von der Heggen I. I. D. D. quorum ille asserebat se cum Catholica Romana Religione sentire, hic Augustanam confessionem profitebatur, hi duo 19. eiusdem Consules, Scabinos Magistratumque legitimum accersentes præuia insinuatione gratiæ Principum exhibitis fiduciariis literis non quidem ab ipsis Principibus sed ipsorum Consiliariis proposuêre, haud alio fine quam vti arbitros ac pacatores discordiarum se interponerent aduenisse, vt igitur cordi ducerent, iustaque trutina expenderent discrimina malorum ex subortis intestinis motibus impendentia, ne propriæ sententiæ plus nimio acquiescerent neue ansam subministrarent vlterioris iacturæ atque exitii sed multo magis in compositionem controuersiarum procliues irent, quò sic cõfidentia & amor (sine quibus rempublicam ipsorum pessum ire necessum esset) inter ipsos ac aduersarios succrescat, at neque suffragarentur duntaxat iisdem exercitium religionis ipsorum (cum quo ciuitas iam antehac in flore & vigore perstetisset) verum etiam ad Senatorias functiones admitterent; gubernaculum in Aquis democratiæ proximum, multisque periculis obnoxium atque eo euidentiori exponere eos illud casui si quod pluribus competit ad paucos restringant, præsertim cum ex alia parte apti magis ad perfungendum cum laude officiis ac honoribus publicis inueniantur, ex communicatione dignitatum conciuium animos deinceps solidiori amoris nexu colligandos fore, quod ad Patres Societatis Iesu spectaret posse eos vrbe dimitti, &c.

Decima Kal. Augusti scriptum infamatorium à Simone Claessem præsente ac stimulante prælibato Kalckbernero tumultuariis in pleno foro ex edito loco vulgo auff dem Stern præter sa quædam grauamina, & querimonias contra magistratum & eiusdem membra ad conflandum eis odium continens prælegitur, inter cætera etiamletitas vbique locorum alterum pedem in ambone suggestuque, alte-

rum in ædibus Senatorijs figere, eorum conciones seditiosas, sub vocabulo Marianorum fratrum periculosa eos fœderare sodalitia quib. animos sibi deuinciant & secretiora quæque à quolibet statu expiscentur, de quibus omnibus abolitionem reformationem restitutionem itemque rationes poscebant &c. ac in talibus flagitiis insolentiisque Catholici quos Makukos indigitabant aut pauore concussi secedebant à foro publico aut reprimebantur, & has aliasque insanas barbaries & ebrios furores sectariorum omnia conspurcandi nihilque per vim intentatum relinquendi, apud non paucos principes ac Magnates impudente larua mendaciorum scilicet vnico asylo ac præsidio hæresis sic conuestiuere impacta totius mali culpa immeritis Catholicis, vt difficile fuerit succum veritatis iis deinceps instillare, veramque facti rationem credibilem facere.

Ad propositionem Iuliacorum Commissariorum tertio Nonas Augusti Senatus legitimus renuntiat, se iam ante, licet irrito successu, cum primariis tumultuantium pacificationem tentasse, in suam vero potestatem non cadere quæ postularent Commissarij iis adstipulari: Eapropter vigesima eiusdem mensis tacitè prætertia relegatione Patrum Societatis, cætera puncta instanter vrsêre Legati, cumque Senatus à concepta semel resolutione non abiret, sollicitârunt vt præter concessum nonodogmatistis exercitium religionis ipsorum tertiam saltem partem ex hoc hominum genere Magistratui ad insererent, aut certe vt tres quatuorque solummodo iuncto iis Syndico ac Secretario veluti inspectores non iudices ad Magistratum ascendere non detrectarent: consensione omni constanter denegata à Commissariis conflantur certi transactionis articuli in quibus vel maximè cò collimatum vt sectariis in propriis ipsorum habitaculis conciones obire liceret.

A Serenissimo Principe ac Domino Alberto Archiduce Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ, Galdriæ &c. Belgij totius Dynasta nomine potentissimi Hispaniarum Regis ablegati Aquas generosus ac strenuus Dominus in Werp Traiecti ad Mosam Gubernator, itemque Nob. D. Volckardus ab Achelen I.V.D. & Archiducibus à consiliis 5. Kal. Augusti appulerant quibus in hæc verba sermo.

Posteaquam Serenissimus Princeps Albertus, &c. de æstibus ciuicæ commotionis turbidoque statu Aquensium edoctus fuisset, succur-

risse ipsi qua ratione hi ausus sententiæ Cæsareæ anno MDXCIII. *latæ suæque Celsitudini ad exequendum commissæ, ac S. R. Imperij constitutionibus, itemque concordatis nouissime anno* MDC. *redintegratis è diametro repugnarent, cumque ex hac confusione præsentissimum vrbi exitium imminent, ex singulari affectu in eam vtpote cuius protector esset & publicæ pacis studio flagitare S. Celsitudinem vt cuncta rursus assopiantur, sententiæque Cæsareæ & Imperij constitutionibus fiat satis, quod si communitas reluctetur existimans vniuersa iura Ecclesiastica ac ciuilia suo subiacere arbitrio S. Celsitudinem tanquam exequutorem sententiæ Imperialis & nobile Imperij membrum in refractarios animaduersurum, priuilegijs libertatibus singulis ac commertiorum quæstu eos exuendo, &c.*

Ex parte Reuerendissimi & Serenissimi Principis Electoris Ernesti Vbiorum ac Eburonum Antistitis reuerendus admodum ac nobilis Dominus Arnoldus à Bucholtz Hildesiensis Præpositus Consiliarius ac Cathedralis Leodiensis Canonicus eoque tempore Archidiaconus, hoc vero quo hæc scribimus, eiusdem Ecclesiæ Præpositus, itemque nobiles & strenui viri Philippus Roist zu Werß Electoralis aulæ Coloniensis supremus præfectus, Tolbiacensis officiatus, Reinerus Beissel à Gymmenich Dominus in Schmithem Nürbergensis ad Arenbergensis officiatus Arnoldus Prum dictus Ardenhofen I. V. D. Ioannes Venlo I. V. L. vterque Archiepiscopo à Consiliis, ad Aquensium motus componendos directi pridie Nonas Augusti Principis sui mentem pluribus enunciant.

Imprimis altè repetunt quo pacto S. æ Celsitudini demandatum fuerit exequutionis onus in proscriptos Aquenses anno MDXCVIII. ac nisi eiusdem interuentu deprecatoriisque scriptis vigor sententiæ Cæsareæ remissus accessisset, iam tum omnibus libertatum indultorumque insignibus vrbem priuatam fuisse, mitigatione clementiaque Cæsaris subsequuta ordinem senatorium in Aquis restauratum fuisse, cum certa obligatione præstiti à quouis è corpore Senatus Sacramenti quo omnis in futuras ætates magistratus adstringeretur, quocirca intellexisse Suam Celsitudinem maximo doloris sensu tot fractæ fidei perfidos conatus ac machinationes quæ cum Cæsareæ decisioni, propriis ipsorum sponsionibus, iurisiurandi religione

firmatis & S. Rom. Imperii constitutionibus directè contrarientur Celsitudinem suam ex connata sibi clementia & affectu in vrbem tum etiam vi comm. ssionis Cæsareæ per hosce Legatos, ciues in procelloso salo fluctuantes cohortari vt factorum enormitates quibus nec apud æternum numen nec apud supremam in terris potestatem defensionis locus pateret, ob oculos ponant, animoque versent imminentes vltrices manus diuinas pariter ac humanas si ita in cœpto progrederentur, monere eos seriò ad sedatiora & saniora pacis consilia capessenda cunctaque in pristinum statum restituenda, &c.

Hi omnes Principum Commissarij pluribus mensibus ciuicos motus sistere conati sunt irrito tamen successu.

Quia vero plerique Commissariorum Iuliacorum incusarant Catholicorum Senatum eo nomine quasi cum Domo Burgundica fœdera sanxisset in præiudicium Iuliæ Principum; ob id Syndicus vrbis rei veritatem exposuit qualiter renouationis priuilegiorum impetratio ab Archiducibus Brabantiæ ac Burgundiæ nullatenus contrarierur Maioriæ aut aduocatia, nihilque alienationis iurium Iuliæ Principum inuoluat vt ex Rescripto Archiducum prænotato compertum ac exploratum sit.

Mense Septembri tres è seditiosorum turba Ioannes **Kalckbrenner** Adam **Schanternel** & **Volckwin Momma** in Prætorio conclaue rationum vulgo **die accinß Kammer** perfractis muris aperuerunt, alij deputati eodem mense arcam in qua congesti nummi vrbis repositi reserârunt, cunctaque inibi reperta circiter millia Dalerorum viginti suæ potestatis fecerunt.

Diffugerant nonnulli sectatiorum Aquensium ex Aquis Leodium partim Cæsaris Cæsareæque vindicis dextræ metu perculsi prædotantes quod tristibus fatis læta Tragœdia Aquisgrani orta exitum habitura esset, partim ob negotiationes suas, quare vigilantissimus Præsul Ernestus solerti cura ne sui Leodini inquietorum hominum perniciosis consiliis agitarentur, neue falsæ doctrinæ vento afflarentur hoc edicto iis prospicit cuius tenor eiusmodi.

Ernestus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Coloniensis S. R. Imperij per Italiam Archicancellarius & princeps Elector, Administrator Monasteriensis, Hildesheimensis, Frisingensis & Stabulensis, Comes Palatinus Rheni, Dux vtriusq. Bauariæ, Westphaliæ,

phaliæ, Angariæ & Bullonen. Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis, Longiensis, Hornensis, &c.

Vniuersis & singulis Pastoribus, Vicepastoribus & alijs curam animarum exercentibus Diœcesis nostræ Leodiensis.

Salutem in Domino.

Cum proprium Pastoris officium sit non solum ouibus suis alimenta præbere, sed & gregem à lupis diligenter vindicare, nosque magno dolore nostro animaduertamus iniurijs temporum præsentium & maxime intestinis vicinorum quorundam locorum & super religione dissidijs euenire non raro, vt exteri se ad ciuitatem & oppida aliaue loca Patriæ & diœcesis nostræ Leodiensis recipiant, de quibus merito verendum sit, ne sub pelle ouium quam gestant intus sint lupi rapaces, qui gregi Dominico insidientur, ouesque curæ nostræ commissas deuorent volentes proinde de opportuno remedio, quantum in nobis est prouidere, vobis vniuersis & singulis seu vestrum cuilibet districte præcipiendo mandandum duximus, prout serio & peremptorie mandamus per præsentes, sub interminatione Diuini iudicii, & pœna arbitraria, quatenus exteros quoscunque qui ad districtum Parochiarum vestrarum venerint, ac vltra tres dies in eodem hæserint, diligenter & fideliter attendatis in eorum vitam & mores, nec non locum habitationis vnde venerint, aut quo vadant, inquiratis, nobisque, seu nostro in spiritualibus Vicario nomina eorum & cognomina cum pertinenti inquisitionis huiusmodi serie toties quoties id acciderit intra alios tres dies scriptis literis referatis: Et vt in informatione huiusmodi nullam patiamini remoram aut impedimentum vniuersis & singulis parochianis vestris nobis subditis exterorum huiusmodi receptatoribus, seu fautoribus sub consimili interminatione & pœna excommunicationis, aliasque ea qua venerint exteri ipsi coercendi, mandamus, quatenus simulatque de aduentu huiusmodi exterorum notitiam habuerint, eorundem aduentum, nomina & cognomina ad vos referant, & si à vobis fuerint super informatione huiusmodi faciendа requisiti, synceram rei veritatē vobis sub suo fideli iuramento

explicent & aperiant, volumus autem ne quisquam præsentis nostri mandati ignorantiam possit prætexere, illud publicis per oppida nostra Leodiensia valuis affigi, & per vos proxima Dominica populo ad Diuina congregato sub sacrum Missæ offitium publicari. In quorum fidem præsentes fieri & sigillo nostro muniri, nec non per Vicarium nostrum in spiritualib. generalem subscribi mandauimus. Datum in ciuitate nostra Leodiensi an. Domini 1611. mensis Sept. die 22.

Diximus antea post exortam tempestatem & æstus ciuicæ commotionis Legatos Principum vndequaque Aquas aduolasse mense iam præscripto vndetrigesimo Septembris à Galliarum quoque Rege & Regina Legati Marchio de Vieu ville Gubernator vrbis Masieriensis & Lazarus de Selue Præses Metensis aduenêre, ab omnibus comitet excepti salutatique, Kalendis Octobris plerosque Catholicos qui ordinis senatorij fuerant, & alios à sectarijs vrbem regentib. deputatos ad ædes in quibus hospitati accersentes fiduciarias literas Reginæ ijs exhibent quib. illa significat alio fine hos non ablegasse quam pro quiete ac salute reipublicæ, eidem Legati prolixa oratione ad pacis bonum & vinculum omnes ac singulos cohortati sunt commemorantes studium Regis sui iam fato functi in diremptione controuersiarum inter Pontificem Maximum & Venetos, itemq; se haudquaquam iudices arbitrosue sed amicos interuentores ac compositores in pacis puncto futuros nequaquam cogitare se præiudicij aliquid aut detrimenti daturos Cæsaræ Maiestati, Duci Iuliæ seu alijs quouis modo ius sibi vendicantibus, &c.

Posteaquam deinceps hi Francici cum possidentium Iuliæ Principum Commissariis crebro coirent consiliaq; captarent, ac Brabantinos itemq; Colonienses à suis conuentib. excluderent, 4. Idus Octobris conflatos pacis articulos Magistratus Catholica castra sequentis deputatis proposuerũt, nempe vt priscus legitimusq; ordo senatorius pristino honori restitueretur, Patres Societatis Iesu relaxarentur atq; eorum Collegio functionibusq; immitterentur, aduersantia Catholicæ religioni exercitia nō nisi extra mœnia interiora Carolinam que, vti aiebant, vrbem permitterētur, quod sectarii pro arbitratu possent libertatē religionis suæ, ingressumq; ad senatorium ordinem promouere expensis ciuitatis, quod claues vrbis eiusq; custodia committerentur præfectis militum ac personis vtriusq; religionis iuxta discipli-

nam

nam militarē à Iuliacensib. præfixam, quod archiuum & arcana quæque per deputatos hæreticorum atq; coram Iuliacis Commissariis visitarentur, visitata scripto consignarentur, ad extremum quod ipsi Iuliacenses deinceps forent iudices controuersiarum quæ inter Magistratum & protestantes suborirentur; atque hos aliosque articulos ita immutatos acceptari quasi imperitabant, cum vero subscriptio senatus in has conditiones tanquam in Cæsareæ Maiestatis ac suum præiudicium directè vergentes protelaretur atque ab Imperatoriis Subdelegatis transactio omnis inhiberetur, superuenit pœnale mandatū Imperatoris sub data Kalendarum Octob. quo tumultuatis sub interminatione proscriptionis austerè præcipitur vt à nefariis machinationib. desistant, cunctaque pristino statui restituant, &c. Subdelegati Cæsareæ Maiest. hoc mandatum seditiosorum deputatis intimare prælegereq; conntuntur, at ipsi proteruè abscedunt, ad pulsum tympani nouâ ferociâ sese cōglomerantes, nouaque consilia coquentes, interea memorati Subdelegati iussa dāt vt Augusti Cæsaris Rudolphi mandatum publicitus affigatur, fatere sectarii solitum furorem sauciato graui vulnere in caput animoso adolescente Seuerino Boxtorffio Camœnare, qui S. Maiestatis patentes mandataque portis & valuis templi suffixerat, circumducunt eūdem sanguine respersum adiguntque vt exemplaria appensa rursus detrahat, demum ipsum ac Nicolaum Münsterum vbi à Secretis ex immunitate hospitalis domus Diuæ Elisabethæ effractis foribus eductum custodiæ mancipāt, diuersoriū quo hospitati Cæsaris Subdelegati constipatis ciuib. æquè ac militib. vndequaque circumdant, tamq; effrænem præmonstrant audaciam, tali æstu indomitæ libidinis feruntur vt plerique Catholicorum serio suasu ex Archiepiscopalib. Legatis vnū Clarissimum Virū Arnoldum Prum ab Aldenhouen cōmonuerint ex vrbe recederet, cui quia alias sub Catholico regimine Syndicatum vrbis laudabiliter administrârat peculiari ratione offensa erāt insulsa ac incōdita plebs, is igitur à Principe suo reuocatus opportunè se periculo subduxit.

Primo & vicesimo Nouemb. Legati Gallicani & possidentium Iuliæ Principum nouas effinxêre pacis iniundæ conditiones in quas tamen Magistratus priscus nec potuit nec debuit assentiri, qua cōstantia Catholicorum animaduersa Marchio de Vieuville vrget nisi in has cōdescendant, necessum fore vt in primas suffragari debeant vtpote quæ ab ipso Senatu & à Christianissimo Rege Francorum itemque

Pontificis summi Parisijs degente Apostolico Nuntio, Iuliacisque Commissarijs subscriptæ ac adprobatæ essent, quod equidem à vero longissimè aberat, Magistratus disertis verbis contradixit omnibus hisce, Cæsareæque Maiestatis decreto obsecundare velle apertissimè testatus est, atque ita cum Francici Legati (quorum alter videlicet Marchio licet ad speciem Catholicæ fidei deditum se profiteretur, in partes nihilominus sectariorum siue donarijs occœcatus siue à fœderatis Principibus correptus corruptusque plurimum inflexus erat) in prædictis transactionum punctis inanem ac sterilem operam substerent, ne tamen tanquam Christianissimæ Reginæ oratores nihil effecisse viderentur præsertim pro fide orthodoxa, consilium cœpere saltem Patres Societatis in Collegium reducere quod illis inter cætera mandato regio præscriptum erat, Patres licet renuerent illi reductioni assentiri ne quid contra Cæsaream Maiestatem committere viderentur, neue causam suam à communi Catholicorum seiungerent, attamen Legati persistētes in sua sententia incertum quo instinctu vi eos ex ædibus Decanalibus pertractos quadrigæ imposuêrent atque ad Collegium, quarto Nonas Decembris reduxerunt, deinde quintadecima eiusdem abitum fecêre promittentes ipsis Directoribus sectariorum quod articulis pacis à se propositis à Christianissimis Rege & Regina Galliarum indubitato curarent approbationis robur addi, ipsumque Magistratum ac reliquos ciues ad obseruantiam eorundem constringi: quocirca biduo post Bado Kuckhouen Syndicus atque Balthasar Münsterus Magistratui veteri & vero à Secretis sub incognito habitu (siquidem sub id tēpus egressum ex vrbe excatholici seriò Catholicis interdixerant) dissimulanter ex Aquis se subripiunt & coassumpto Dionysio Meyss Aduocato Mosæ-Trajecti in Franciam subsequuti vt de liquidissima veritate citra vllam vafritiem Christianissimam Maiestatem circa Aquensem controuersiam edocerent, & indagarent pariter num S. Maiestas præsenses pacificationis articulos ratos habuisset, itemque peterent humillimè vt S. Maiestas Christianissima dissidium Aquense ad decisionem Imperatoris Rodolphi remitteret.

Interea ex seditione ortum trahentes Rectores Vrbis per tabellionem ac testes legitimis consulibus demandant vt consularibus fascibus sese abdicent Senatusconsultis nullis intersint, Senatorij ordinis viri ne aliter quam priuati indigenæ se habeant, generatim vniuer-

ſis Catholicis vrbe excedere ſub acri animaduerſione iterum atque iterum interdicunt. Iam nox aduentabat qua Chriſti Saluatoris noſtri in has luminis oras humanis membris prodiuntis memoriam feſtiuo antiquatoque ritu Catholica concelebrat Eccleſia: hac vnus perduellium militum ductor vna cum officiatis nonnullis ſeu vano territi timore vbi non erat timor ſeu animo piaculum aliquod committendi principem Baſilicam, itemque Auguſtinianorum familiæ Eccleſiam ſubintrant omnes ritus Diuinaſque laudes deſpicatui habentes, haud longe poſt Subdelegati Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarii ex Aquis abitum etiam feſtinant.

Anno nouo milleſimo ſexcenteſimo duodecimo ſe adaperiente Rex Franciæ atque Regina Mater Regens tam Conſulibus Scabinis ac Senatui priſco quam illis aduerſantibus ciuium deputatis perbenigne ſcribunt deſideriumq; tranquillitatis publicæ ſatis exprimunt, ac petitioni Catholicorum annuentes controuerſiam Aquiſgranenſium ad Cæſareæ Maieſtatis tribunal remiſerunt.

Hoc eodem menſe Ianuario optimus Imperator Rudolphus eius nominis Secundus dies peregrinationis ſuæ in hoc mundo paucos & malos expleuit, abinde vno menſe acto duodeviceſima Februarii etiam Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps Erneſtus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis vtriuſque Boiariæ Dux Aquenſis vrbis protector in fata conceſſit, ſicque inter ſpem & metum vtraque pars diſcors in Aquis velificabatur ac fluctuabat ſumma rerum penes proteſtantes reſidente, qui ab hoc tempore deſerentes domicilium vbi prius conſilia publica agitarant ſenatoriarum ædium conclauia omnia ac ſingula occupant.

Per deceſſum Imperatoris Rudolphi, Duci ac Electori Palatinatus Rheni competebat in iis regionibus quæ Franconici iuris ſunt Vicariam demortui Cæſaris operam exercere; cum vero Dux ipſe minorennis eſſet Illuſtriſſimus Princeps Philippus Ludouicus vtriuſque Bauariæ ac Neoburgi Dux tanquam ſenior ac proximior agnatus tutelam atque adminiſtrationem earum ditionum Palatinatus annexumque Vicariatus Sacri Imperii regimen ſibi vindicabat, eius fratris natu maioris Ioannes filius Ioannes Bipontinus Dux eadem ſibi adſcribebat, quocirca menſe Aprili ex parte Philippi Ludouici eiuſdemque primogeniti filii Wolffgangi Wilhelmi Neoburgi ac poſſidentium Iuliæ Ducatus Principum Legationem obtiuit Aquas

Marcellus Theodorus, qui Catholicis Consulibus Scabinis totique senatorio ordini proponit discrimen status in quo versentur, insuper peruigilem curam industriam ac sumptus Principum suorum ad compositionis quietisque perturbatæ reipublicæ media spectantia ob oculos ponit, quæ cum optatum effectum non sint sortita iterato offerre se Illustrissimos Principes vt tandem commotio intestina sedari queat, non diffidere eosdem vi Imperialium constitutionum ac aureæ bullæ tenore quin præter se alium neminem, nominatim Palatinum Bipontinum sint requisituri aut agnituri Imperii Vicarium, tum quod memorati Principes cumulatis fauoribus ac gratia vrbem prosequuti essent, tum quod ea ipsa vrbs nomine tutelæ ac patrocinii eis subderetur, quod si tamen Bipontinum imploraturi essent ex Iuris norma protestari se de nouitate ac inefficacia facti, &c. Senatus pro sedulitate ac propensa principum in se voluntate gratiam dicit, excusationem obtendens quod Cæsarea Maiestas iam supremam potestatem interposuisset cuius mandata sarta tecta habere iam nunc promisisset, aduersarios quidem apud Bipontinum causæ suæ patrocinium sollicitasse se vero haudquaquam posse à Cæsarea sententia deflectere, neque tractatum huic detrimentum inferentem inire, in limine esse electionem noui Romanorum regis cuius Imperio se subdere procliuis esset, &c.

Directores ac deputati hæreticorum in Aquis multa atque indefessa prece pulsârant aures Ducis Bipontini Ioannis administratoris Electoris Palatinatus Rheni vt turbulentam rerum faciem sopiret vel infirmitatem regiminis sui & adeptos ciuicos honores confirmaret.

Is Guilielmo Comiti in Seien & Witgenstein / Domino in Homburg / Marquardo Frehero & Georgio Frderico Pastoir Iuriconsultis atque Palatinatus Consiliariis motus Aquensium ex tempore & occasione conciliandas imposuit, qui quinto Nonas Maii Aquas adueniunt: mandatis Administratoris legitimo & irreptitio Senatui coniunctim propositis, cum prolixa oratione ad restinctionem incendii vtrumque cohortati essent, Catholici ipsis nonis dicti mensis scriptis consignatum responsum dant hac ferè ratione ac sensu: quod turbata tranquillitas publica sit se nulla noxa obstringi qui sæua vi verum magistratum loco dimouissent, æ-

tarium inuasissent ac pro arbitratu dissipassent hos violatores pacis æquè ac iustitiæ habendos, à prædefuncto inclytæ memoriæ Cæsare Rudolpho pœnale mandatum contra vsurpatores eiuscemodi & inuasores emanasse, cuius exequutio Serenissimis Ernesto Electori Coloniensi & Alberto Archiduci Austriæ Belgicæque data sit & acceptata, eodem mandato interdici ne vlla transactio isti seu è diametro aut ex obliquo repugnans admittetur, ac licet vnus Commissariorum è viuis sublatus sit, superesse nihilosecius alterum, quo inscio pacisci nec libere nec licere, negotium vsque adeo arduum à Cæsarea Maiestate partibus hinc inde citatis & auditis ventilatum permultis annis, præmaturaque causæ cognitione diiudicatum exequutionique traditum vno veluti temporis momento ac tali præcipitantia (quæ plerumque nouerca iustitiæ esse soleat) à Vicario Imperii in dubiam partem vocari seu infringi sine forma & figura iudicii fas minimè esse, immo ne ab ipso quidem deligendo Cæsare nisi prorsus inique contra ius sententia & re iudicata quæsitum decidi posse, præsertim in fauorem aduersariæ partis quæ proculcatis legibus ferro & armis totum Imperium deluserit: His accidere inquiunt inhibitionem Vicini Principis Neoburgici vetantis ne cum Arbitris Bipontini Ducis Legatis transactio instituatur: cumque inauguralis dies noui Imperatoris impendeat dilatam eo malle se causam, rebusque ab ipso iudicandis stare, quod si tamen Commissariis quidpiam disponere in votis sit, se armis circumquaque septos & iustissimo metu protestari de euidendi nullitate, iusque suum soli Imperatori succedaneo reseruare: Hæc Catholici; verum Caluinodogmatistæ ex affinitate religionis emollierunt atque adeo eò inflexerunt Legatos vt per modum recessus duo primaria capita, de religione aliud, aliud de ciuili administratione edixerint, illud vt protestantes farragines suorum dogmatum nouitiorum liberè seminarent, hoc vt absque delectu religionis quiuis tribuum suffragiis adsciscì queat in senatum, quo recessu exhilarati sectarii destitutis officiatis omnibus sub primo vrbis gubernaculo Ioannem Kalckbrennern & Adamum Schanternell hunc Caluini illum Lutheri opinionum fluctibus absorptum in Consules deligunt tanquam qui in æstibus anteactæ factionis choragos cum aliqua singularitate zeli sese commonstrassent,

præterea quadraginta Luthero ſeptuaginta ſex Caluinodogmatiſtas iureiurando adſtringunt Magiſtratus munia ſubire.

Comitia Francofurti ad Mœnum indicta erant menſe Maio vt ad Imperatorium faſtigium alius ſublimaretur, ad hæc Catholici ex Aquis deſtinant Ioachimum Berchem Conſulem ac Scabinum vrbis vtriuſque iuris cognitione clarum diſertumque, inſuper Badonem Kuckhouen I. Syndicum vna cum ante memorato Balthaſare Münſtero eo fine vt Illuſtriſſimo Principum ſeptemuirorum Collegio, atque electione facta ipſi Romanorum Regi afflictum ſtatum vrbis ruinæ proximum denuntient & auxiliarem manum quam humillimè depoſcãt, ad Cæſarẽ Ioannem Rolandt I. V. D. primum, deinde Ioannem Kalckberner Volckwinum Momma & Antonium Wolff Legum D. eò dirigunt: Iam Cæſar Matthias electus in ead. Francofurtana ciuitate Imperiali decorandus erat diademate quando vtriuſque Aquenſium Magiſtratus remoti & remouẽtis deputati ſe coram ſiſtebant, verumtamen à Maieſtate Cæſarea vtroſque loco ac ſtatione aſſolita cædere iuſſum, circumactis Comitijs Imperator temporius Aquenſis vrbis vlceri medendum ratus Aquas ablegat Gulielmum Comitem de Fürſtenberg Heiligenberg & Werdenberg &c. Cæſareæ aulæ Conſiliarium ac Camerarium, Arnoldum à Berclas & Fœlicem Rüdingerum vtroſque à conſilijs S. Maieſtati in appellationum cauſis coronam Bohemicam ſpectantibus qui Aquaſgrani 28. Nouemb. aduenêre proque maiori ſecuritate in quadrigis ſuis præfatos Ioachimum Berchem / Badonem Kuckhouen & Balthaſarem Münſterum reduxere excepti duodecim ciuium & duabus militum vexillationibus in occurſum ipſis effuſis, exordio menſis ſubſequuti accerſitis ambarum partium deputatis ad Cœnobium Dominicanorum his fermè terminis limitatam inſtructionem edixêre: Cæſaream Maieſtatẽ tam proprio conſeruandæ pacis & iuſtitiæ ſtudio inductam quam ab Electoribus monitam Aquiſgranenſium cauſam ſingulari curæ habere ſerioque mandare vt dum eorum controuerſia à S. Maieſtate diſcutitur ab omni vi iniuria innouatione vtraque pars ſe coarctet cohibeatque, cumprimis vero velle vt Burgimaſtri exauctorati Scabini indigenæ & incolæ Vrbis canæ ſanæque Catholicæ fidei dediti, ſignatim Conſul Ioachimus Berchemius, Bado Kuckhouen Syndicus & Balthaſar Münſterus Secretarius vrbis vtpote qui ad ſuccurrendum oppreſſis Catholicorum rebus anno integro & ſupra apud

Cæſa-

Cæsaream Maiestatem, itemque apud Regem Reginamque Galliarum atque alios Principes & status Imperij indefessam impendebant operam eoque nomine ab aduersarijs insidijs petebantur, nulli, insusitatis exactionibus aut aliis oneribus aggrauentur, neue in iuris sui prosequutione vllatenus infestentur, vrbe deportati relegati aut fugitiui reuocentur & priuilegiis patriis omnes vti frui minimè præpediantur, vti quos Cæsarea Maiest. in suum patrocinium fidem & clientelam susceperit, Scabinale Collegium in iure dicendo & iustitiæ administratione haudquaquam interpellentur; in Societatis Iesu Patres nulla insolescentis vulgi vlteriora fulmina euomantur, denique quoniam ærarium vrbis militum stipendiis exhauriretur dispicerent vt inutiles sumptus succiderentur, sub finem parænesis juncta vt ambæ partes discordes Cæsareæ Maiest. iussis explerent illique se lubens volens subderent, nec sibi vanè persuaderent rem posse per alia quæsita diuerticula terminari &c. verò Senatui optatissimum hisce mandatis morem gerere vt ex eiusdem responso exploratum fit: ex factione ortus Magistratus se expurgando ciuicas turbas dolosè tegebat, ac in sui innocentiam multa hinc inde aucupabatur, constanter Cæsareis Legatis factam Administratoris Electoratus Palatini transactionem & confirmationem regiminis opponens; haud longè postea Commissarii Marchionis Brandeburgici ac Ducis Neoburgici tanquam possidentium Principum Iuliæ Cliuorum, &c. Ducatuum itemque Bipontini Principis vti Vicarii Imperii in patrocinium tumultuantium aderant, qui omnes conciliationis media capessenda ciuibus suadebant illi quidem præfixa à Francicis Legatis, hi nouos articulos proponebant.

Indigenæ Catholici in Aquis prolixo scripto coram hisce Cæsareis Commissariis diluerunt supplices libellos protestantium aduersariorum suorum exhibitos ab ipsis in retroactis Comitiis Francofurti, quibus habitæ factionis ansas puta synodalis iudicii rigorem enormitatem exactionis, Societatis Iesu Patrum admissionem in vrbem haud præscia ipsorum communitate aliaque talia produxerant producta aggrauare ac Catholicis remota à se totius mali culpa impingere studuerant, vlterius de veritate rei idem Catholicus legitimusque Senatus Legatos Cæsareanos edocuit, videlicet quod seditiosi Aquenses regimenque de facto tenentes Rudolpho Secundo Imperatore prius, deinde Metropolita Vbiorum & Electore Ernesto

demortuis eam occasionem cupidè arripuerint, atque Illustrissimum Palatinatus Administratorem tanquam S. Imperij Vicarium in ijs tractibus qui Franconici iuris sunt varijs modis induxerint vt per Legatos de concilianda concordia inter ciues tractationem instituerit, & ipsos quidem ex responsis ac protestatione à se oppositis haud obscurè colligere quid mentis sub id tempus esset Catholico Magistratui, pertexisse nihilominus Commissarios Vicarij & recessum non citatis amplius nec auditis Catholicis, nullis etiam alijs mandatis productis concepisse, consulique intimasse &c. è quibus pateat iam memoratum recessum contra rem per Imperatoriam Maiestatem inclytæ recordationis iudicatam & per partes acceptatam sine commissione, sine citatione, citra processum citra formam & figuram iudicii, ac absque causæ cognitione conceptum insinuatumque ipso iure irritum ac inualidum esse, nec vllum obtinendæ restitutionis impedimentum operari posse, cum non præstet impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, idque tanto magis quod priscus senatus illa ipsa luce de euidentissima eius recessus nullitate & metu metusque duratione protestatus sit &c. Scabini inclytæ Aquensis vrbis sub certis conditionibus iustitiam pro veteri instituto administraturos iusque dicturos se promptos obtulerunt sæpe memoratis Cæs. Maiestatis Legatis.

Posteaquam sub finem Decembris Comitia Cæsar Matthias Ratisbonam indixisset datis ad ordines ciuitatesque Imperii literis, præsto fuere & ibi deputati protestantium ac regimen tenentium in Regali Sede Aquensi Apologiam præsentantes mirabili vafritie cusam qua conquisitis vndequaque mendaciorum ac imposturarum coloribus exortam in Aquis ciuicæ commotionis tempestatem tegere ac excusare conati sunt. 14. Kal. Febr. Millesimi sexcentesimi tertii decimi priusquam abitum Aquisgrano parant prænomiti Cæsarei Legati, capita Commissionis suæ voluntatemque Cæs. Maiestatis reiterant & inculcant vtrique parti atque ita rursus in viam se dedêre: quibus tamen parum commoti sectarii nihilo mitius erga Catholicos procedunt seu deportatione exilii seu custodia ciuica vulgo Graß vnd Pfortengebott / aut excubiis, impositionibus & contributionibus insolitis aut destitutione offitiorum alioue quouis modo eos conturbant: quibus compertis Cæsarea Maiestas Idibus Maii tam ad Scabinos literas dat exhortans eos

vt

vt nullarenus cursum administrationemque iustitiæ sisti sinant, quoadusque causæ principalis decisio pronuntiata fuerit, quam ad regimen vrbis tenentes quos insimulat ob nouitates inductas, quod Catholicos ad excubias vrbis personaliter obiundas adigant, quod eos patrio solo proscribant, quod impositionibus inauditis aggrauent, quod collectam non modo à ciuibus, verum etiam pagatim ab omnibus accolis extorserint sub specie impendendi eam in sumptus à Commissariis suis factos, cum tamen hi ista duplo minores essent, quod Maiorem Municipii Porcetani Albertum **Schrick** propria authoritate loco & dignitate mouerint, suffecto in eius vicem Ioanne **Kalckberner** / quod hæreditarium Præfectum eiusdem Toparchiæ Ioannem de Meroide dictum Hoffalis ciuili custodia arctassent hac duntaxat ex causa quoniam prænotatum **Kalckberner** non recognouisset veluti legitimè talem spartam adornantem, quod Scabinali iudicio in iure dicundo obicem ponant; mandat igitur Maiestas Cæsarea vt ab eiusmodi facinoribus cœptis iusta animaduersione dignis se cohibeant, &c.

23. Iulii nouo præsidio centum & quadraginta peditum sectarii muniernnt vrbem, exordio insequuti mensis vexillum Brandeburgicorum militum sub ductore **Pottig** immissum est, exinde portæ ciuitatis omnes quatuor exceptis obseratæ murisque vallatæ, variæ itidem præparationes adinuentæ ad impetum hostilem sustinendum seu impigrè inferendum: fama iam magis magisque vulgante in limine esse rebellionis meritam pœnam; sectarii mobilem suam substantiam ad tutiora loca clandestinè deuehunt, quod Catholicis denegatur.

Cumque apud factiosam plebem Aquensem verba & edicta Cæsarea incassum proponerentur tandem anno reparatæ salutis 1614. 23. mensis Augusti mandatum proscriptionis declaratorium in Aquis Graneis publicatur à Subdelegatis Cæsareis hoc fere tenore.

Nos Matthias &c. notum facimus omnibus ac singulis nostræ Regalis Sedis & Vrbis Aquensis ciuibus, incolis cuiusque nominis, status, dignitatis existant, quod post fœlicem ad Imperij clauum gubernandum promotionem ad quam diuina prouidentia vocati sumus in id vnicè & maximè dederimus operam vt iustitia vbiuis locorum plantaretur, quo veluti medio pax atque concordia omnium statuum mebrorumq; Imperij coalesceret atque conseruaretur. Posteaquam igitur ipso mox regiminis exordio ad nos perlatum qui motus & confusiones in politicis pariter ac Ecclesiasticis à quinta Iulij retroacti Anni 1611. in

nostra & Imperij vrbe Regalique Sede Aquensi efferbuerint, negotium hoc veluti arduũ & prægnans specialiter cordi curæque duximus, & quicquid ab vtraque parte tam prisci Catholicique Magistratus atque communitatis, quã nunc regimen vsurpantium nomine per deputatos crebro qua Viennæ qua in Diæta Ratisbonensi prolixè fuseque significatum non modo relegere iussimus, verum etiam pro exploratione certiore via veritatis Illustres ex aula nostra Commissarios ad vrbem Aquensem proxime effluxo Anno 1613. emisimus, vt eatenus in futura causæ decisione à iustitiæ orbita eo minus aberraretur: quemadmodum etiã quicquid ab Electoribus Principibus ordinibusque Sacri Imperij vtriusque religionis ad nos iam inde à triennio perscriptum in causa hac accepimus, matura deliberatione præuia examinauimus, ac nihil intermisimus, quod ad idẽ negotium sane proficiendum conducere quadãtenus posset: ex vniuersis autem prælibatis Actis, Iudicijs & Processibus euidenter ac dilucide perspicitur quod cum Anno 1581. in vrbe ista prima eademque tumultosior cõmotio extitisset, qua Senatus priscus ab officio suo de facto dimotus, notabilisque tam in Ecclesiasticis, quam in politicis rebus mutatio incidisset, frater noster inclytæ recordationis Cæsar Rudolphus Secundus eius nominis, ex paterno erga vrbem affectu, obligationeque incumbentis sibi muneris de modo medijsque maturo dispexerit, quomodo incendium istud, quanrocius citra grauius discrimen extingueretur, eam siquidem ob causam eadem sacra Cæsarea Maiestas principiò adsitos & confines ciuitati Principes ac status Imperij, Episcopum nempe Leodicensem, Ducem Iuliæ & Cliuiæ vna cum Philippo Barone in Winnenberg, & Philippo Comite Nassouiæ Commissarios constituit, qui quidem negotium id sibi commendatum habentes summo studio commissionem suscepere, verum apud inquietum illud hominum genus (quod sub id tempus despecta omni & Imperatoris & Commissariorum auctoritate arma corripuerat, armamentariũ curiamque occupatat, regimen inuaserat) prorsus infructuose laborarum: attamen Cæsarea Maiestas eo comperto ad rigorem iuris nondum processit, sed lenitate & mansuetudine paterna etiam tum & iteratò vsa, secundam alteramque commissionem Ioanni Treuirorum Antistiti & Augusto Saxoniæ Duci S.R.Imperij Electoribus imposuit, sed ne tũ quidem amplius quid effectum, quã quod Subdelegati ipsorum, qui posthabito omni turbarum periculo in vrbem se cõtulerant post multam temporis, operæque iacturam, recessum ibidem reliquequerint, quousque ad finalem causæ, in Comitijs Augustæ Anno 1582. celebrãdis, decisionem, pars vtraque vteretur: hunc recessum nonmodo non acceprarunt, verum etiam querelas suas apud Rudolphum Cæsarem postmodum deposuere, plurimisque annis in Iudicio egere, donec tandem Anno 1591. ad audiendam definitiuam sententiam citati comparuerunt, ibi quippe in præsentia suæ Cæsareæ Maiestatis contra reos eiusmodi publicata est solenniter sententia, quod videlicet quæ temerario & illigitimo modo attentata in vrbe essent, irrita haberentur & omnia in eum quo ante fuerant statum restituenda forent: cum vero ab altera, quæ in iudicio succubuerat parte, mandato Cæsaris executoriali nondum satisfieret, factum tandem est vt Anno 1598 quinto nempe post condemnationem istam & sententiæ definitiuæ publicationem, Banni in eos sententia propter contumaciam pronunciaretur, qua perculsi ad obedientiam de

mum perducti, cumque iuramento religiose præstito polliciti fuissent, se mandato Cæsaris per omnia parituros, in gratiam à Cæsarea Maiestate iterum sunt recepti, posteaquam autem dec morertio post anno non solum contra publicatam sententiam executorialem & factam banni declarationem, sed etiam contra iuratam condemnatorum paritionem nouæ ab inquietis hominibus, qui tamen maxima parte non indigenæ sed aduentitij alijs locis pulsi perhibebantur, turbæ præter omnem expectationem in vrbe eadem excitarentur Cæsar Rudolphus factum istud tanquam authoritati & dignitati suæ ratione latæ sententiæ & rei iudicatæ summè contrarium grauiter ac molestè admodum tulit, moxque pro vindicanda authoritate sua seuerissimum pœnale mandatum aduersus tumultuantes hoc sensu publicauit vt ab attentatis vniuersis abstinerent & promulgatæ anno 1693 sententiæ parerent, promissisque suis ea ratione satisfacerent; porro nullatenus ambigendum quin si superuixisset diutius Cæsar Rudolphus authoritatem dignitatemque suam violari nūquam passus fuisset, cum præsertim pro tumultu isto sedando & mandato suo exequendo, iā Commissarios Ernestum Archiepiscopum & Electorē Coloniensem & Albertum Archiducem fratrem suum cum plenissima exequendi potestate constituerit, quādoquidem vero Cæsare è viuis sublato, stante interregni tempore, duranteque tumultu in vrbe per Illustriss. Palatini Principis Ioannis, Electoratus Palatini Administratoris & Imperij in ijs quæ Sueuici & Franconici iuris sunt Vicarij Legatos recessus nouus & inauditus 19. Maij anno 1612. in vrbe eusus & publicatus est qui priori Cæsareo mandato executoriali & promissis Sacramento firmatis è diametro repugnat, & non solūm in pernitiem detrimentumque eorū qui ius quæsitum iam obtinent, sed etiam ad authoritatem prædefuncti Cæsaris fratris aliorumque succedaneorum Imperatorum minuendam vergat, res nimirum mature examinatas & iudicatas validatasque iureiurando paritiones, per viam extraiudicialem tam facile annihilare & cassare velle.

Eapropter nos diligenti circumstantiarum omnium examinatione & negotij totius deliberatione adhibita, aliter iudicare & pronunciare non possumus quàm publicatam 28 Augusti anno 1593. sententiam demortui Cæsaris & sequutas paritiones promissionesque in vigore suo permanere, insinuatoque ac publicato pridie Calend. Nouemb. anno 1611. mandato Cæsareo per omnia (posthabito antememorato recessu Palatini deputatorum) satisfieri debere, quem ad finem Commissarios Illustrissimos ac Serenissimos Ferdinandum Archiepiscopum Coloniensem & Albertum Archiducem fratrem nostrum, nō secus ac antea defuncto Rudolpho Cæsare factum, constituimus inque mandatis ijs dedimus vt vel ipsimet vel per Subdelegatos suos hanc decisionem mandatumque hoc declaratorium & cōtinuatorium prioris omnib. in Imperiali vrbe & sede Regia Aquisgrano habitantibus aperirent ac patefacerent, reos & condemnatos debitam ad paritionem obedientiamque modis omnibus plenaria potestate instructi adigerent, neue locum mutarent donec cuncta in eum quo ante quintam Iulij an. 1611. fuerant statum plenarie restituerent, vniuersis igitur ac singulis ciuibus incolis subditisque prædictæ ciuitatis, quicumque cōtra res iudicatas, executiones paritiones & mandatum Cæsareum anno 1611. promulgatum aliquid sub quocunque prætextu tentastis mandamus serio vt ab

omnibus istis innouationibus quocunque etiam nomine veniant, quàprimum abstineatis, cuncta in eum quo post factam anno 1598. paritionem vsque ad quintam Iulij anno 1611. fuerunt statum restituatis, de paritione coram Commissarijs eorumue Subdelegatis ipso opere & facto testemini, omnibus quæ Commissarij vobis imperaturi erunt obtemperetis, & nihil in diuersum moliamini, nisi summam indignationem nostræ Maiestatis & pœnas superioribus exequutionibus & paritionibus nec non proximo mandato Cæsareo insertas euitare nolitis, refusione sumptuum & speciali in eos qui duces se auctores & antesignanos turbarum istarum præbuerunt animaduersione, peculiari nostræ cognitioni reseruatis, quemadmodum etiam querelis si quas contra veterem legitimumque Magistratum proferre quis velit, post factam paritionem auditis, iustitiam omnib. administraturum promittimus, quæ omnia ita serio æstimamus ac districtè præcipimus Datum in Regali nostra Bohemiæ vrbe Budouitij 20. mensis Februarij anno gratiæ 1614 Regnorum nostrorum Romani secundo, Hungarici sexto, Bohemici tertio.

Serenissimus Archidux Albertus considerans fratrem Germanum Cæsaream Maiestatem dico vndique hæreticorum insidiis vallatam legum ac iustitiæ administratione impulsus ilicò tam ipsius Cæsaris quam inuictissimi Regis Hispaniorum Regis Catholici nomine (cuius zelus & liberalitas per vniuersam Ecclesiam Catholicam ac in hac Aquense republica plurimis titulis in benedictione est) Duci militiæ inuicto Heroi principi Ambrosio Spinolæ exequutionem cõmisit, qui habita præproperè ad Tilinas exercitus lustratione Traiectum primò cum curribus & machinis æneis, inde Aquasgranum profectus cum ad vrbem 22. Augusti deuenisset & castra collocatis opportuno loco tormentis mira celeritate metatus esset Legatos insequenti die ad ciuitatem direxit, de commissione sua mandatoque Cæsareo Senatum ciuicasque tribus edocuit, percontatus pariter num constitutum eis esset in rebellione persistere an vero Cæsareæ Maiestati morem gerere, deliberandi spatium in alteram lucem præfigit, ipse interim æneas machinas opportunis locis & quæ expugnationem promouere possent disponi curat, præmissi fuerant ante aduentum exercitus regiaque castra in Aquas Grani Serenissimi Ferdinandi Boiariæ Ducis Electoris Coloniensis ac Alberti Archiducis Austriæ Ducis Brachbantiæ, &c. Subdelegati Commissarii vt reali exequutioni adsisterent Reuerend. nempe ac nobilis D. Arnoldus à Bocholß Hildesiensis Præpositus, &c. Clarissimus vir D. Theodorus Bisterfeldt ditionis Coloniensis Cancellarius, ac D. Balthasar de Robean Eques auratus, rationũ Belgicarum Thesaurarius,

D. Vol-

D. Volckardus ab Aldeken vterq; Archiducibus Brabantiæ ab arcanis consiliis, qui cum vno alteroq; die ciuium animos iterato tentassent, inueteratamq; obfirmationem perspexissent, Ducem exercitus cœptum opus prosequi permisere; regebat vrbem vnus è prætensis Consulibus sæpenominatus Ioannes Kalckberner homo alieno ære planè obrutus & ideo desperatus Lutherodogmatista discordiarum fere omnium inter primos Architectus, homo periculosus plusquam barbaricæ insolentiæ & exoticæ audaciæ, qui arma defensoria in militem circumiacentem corripienda suadebat, funesto planè consilio, ratus haudquaquam explodendas in vrbem bellicas machinas quādiu Cæsarei Subdelegati inibi degerent, atque ita periclitabatur ciuitas vniuersa, parumq; aberat quin insons cum noxio in extremum exitium vnico temporis momento præcipitatus fuisset, nisi quantocius custodiæ mancipato eodem Burgimagistro saniora consilia locum inuenissent, igitur accitis mox tribubus de remedio incumbentis mali tempestiuè adhibendo vt videlicet vrbi parceretur deliberatio confestim instituta, post aliquantulam consultationem visum vt Clerus & primarii nonnulli supplices apud Marchionem pro vrbe & ciuibus deprecarentur, quod cum effectum, Deo aspirante ac intercessione Deiparæ Virginis patronæ cuius patrocinium in omnibus calamitatibus vrbis Aquensis semper eluxit citra cædem ac sanguinē occupauit inclytus Heros Spinola deditione Aquisgranum, tradita iam vrbe præsidium Brandenburgicum octingentorum circiter militum sub ductu Pollitz cum armis explicatisque vexillis 25. Augusti mensis dimissum ac nouo præsidio peditum mille ducentorum Legionis Comitis Embdani orientalis Frisiæ ciuitas firmata, portæ ne cuipiam accessus vel decessus pateret nisi consciis senatoribus Catholicis occlusæ, & tamen fuga dilapsus erat Kalbernerus exconsul, ac nonnulli alii factionis rei sub habitu militari vna cum egrediente milite Brandeburgico, qui vero ex iis agniti retroacti fustibus contusi in custodiam abducti sunt: postridie Marchio Spinola, Ludouicus de Velasco & alii exercitus præfecti in Basilica Aquensi rei Diuinæ intersunt gratiisque Deo dictis vrbe excedunt, excedunt pariter Subdelegati Cæsareæ Maiestatis prius relicto scripto recessum vocant iuxta quem regulanda moderatio vrbis. Quarto Idus Septembris Senatus in Sedem suam restitutus hoc edictum promulgat.

Cum experientia rerum magistra sufficienter edoceat intestinas omnes commotiones ac perduelliones ortum ducere ex semine spuriæ doctrinæ per prædicantes sparsæ, eapropter vt perturbatione seposita firmo amoris nexu ciues deinceps contesserentur, neq; periculũ subsit proruendi in pristinas ærumnas impulsu tam propriæ dictamine conscientiæ quã Cæs. Mai. & eius Subdelegatorum iussionibus præcipimus ne quis aduersarij dogmatis prædicator aut lector vel in vrbe vel ditione Aquensi vltra tridui spatium commoretur neui quispiam eos recipiẽdo foueat vel vetitos nouarum opinionum libros venum exponat, vt solis orthodoxæ fidei deditis ludimagistris ius sit iuuentutẽ efformandi, deinde mandamus vt quotquot anabaptisticæ secta notati post nouissime agitatam factionem seditionemque in Aquas irrepserint vniuersique alterius fidei quam Catholicæ qui post primam restitutionem legitimi Magistratus aliunde huc se recepere ius tamen ciuicum necdum indepti intra sex mensium intercapedinem hinc se subtrahant, augustissimo Eucharistiæ Sacram. Sacrisq; Diuorum reliquijs in supplicationibus publicis reuerentiam quilibet facito, potestatem Ecclesiasticam & politicam honorato, scandala vlla publicitus committi caueto, in tabernis & cauponis hospitibus abstinentiarum diebus carnes ne apponito, &c. Vide lector & expende quomodo contritũ sit
Dan 2. regimen aduersariorum & redactum quasi in fauillam æstiuæ areæ, nec mirum fragili submixum hærebat fundamento contra diuina o-
ad Rom. 13. racula clarè eloquentia, qui resistit potestati Dei ordinationi resistit,
Psal. 61. qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt; & tamẽ adhuc
Prouerb. 16. sperarant in iniquitate, turgida præcedebat superbia & ante ruinam exaltabatur spiritus; inani vento pollicitationis humanæ aliunde pascebantur & aurem obturabant Imperialibus eisdemq; paternis monitis, immemores, non esse consilium, non esse sapientiam nec prudentiam contra Dominum, illum ipsum esse qui consilium prauorum dissipat, qui volatica gaudia iniquitate contexta tandem succidat, & usque ad radicem aliquando admoueat.

Chronographicis elogiis hanc deditionem restitutionemque ouans ac ciuitati in pristinam iustitiæ & religionis libertatem vindicatæ gratulabundus R. D. Henricus Pastoir Canonicus principis

ædis

ædis in Aquis Collega meus aptè è penu Diuinarum literarum promptis signauit.

D. O. M.

ET

MarIæ patronæ * Vegerræ VInDICI. *Aquisgra.*

SAnCta *a* MarIa DeI genItrIX. *a Litania.*
b DIa Mater, ILLVstrIs VIrgo, *b S. Cyrill.*
c MeDIatrIX ChrIstI, & nostra. *Alex. contra*
AVe DeLIrI orbIs soLatIVM. *Nestorium.*
VnICa AqVIsgranI DoMIna, *c Epiph.*
GAVDIVM, & honorIfICentIa. *Iudith 15.*
In Deo feCIstI VIrtVteM. *Psalm. 107.*
AD nIhILVM reLInqVIs hæreses, *Off. Eccles.*
Et obVMbrastI tVos In DIe beLLI. *Psalm. 139.*
TVrbarI sVnt oMnes InsIpIentes CorDe. *Psalm 75.*
saLVastI enIM nos De affLIgentIbVs nos. *Psalm. 43.*
Da LæteMVr In LætItIa gentIs tVæ. *Psalm. 105.*
qVIa DoMInVs beneseCIT nobIs. *Psalm. 114.*
Deo gLorIabIMVr, IbIT LaVs *Psalm. 5. &*
DIVIno, & sanCto noMInI tVo. *Iudith. 15.*

Anno à Virgineo partu 1616. Subdelegati Cæsareæ Maiest. rursus Aquas appulêre, ipsis Kalendis Septemb. memoria D. Ægidio festa, assolitum sed aliquamdiu intermissum morem quo restitutionẽ Catholici Magistratus per publicas gratiarum actiones & obtestationes clerus pariter ac populus recolebat, reduxêre, supplicationique solenni memorata fausta luce interfuere & quidem Agrippinatium Electoris Legationis munus obiuit Reinerus Beissel à Gymmenich Dominus in Schmidtheim; C. D. Ioannes Venlo I. V. L. & Principi à Consilijs, his iunctus Hulczmannus Secretarius; Serenissimorum Belgicæ Principum nomine missi Folckardus ab Achelen & Petrus de Fischer vterque Ducum Brabantiæ ab arcanis consilijs hi extemplò pl'er. sque custodia arctârunt, & promulgato citationis scripto cōparere omnes iusserunt intra triginta dierum interstitium quotquot factionis rei fuerant, aut Magistratus functionib. pulso prisco sese ingesserant. ipsi interim excusserunt iustaq; trutina librarunt singula faci-

nora ac pro modo flagitiorum personarumque sontium mulctam atque pœnam conceperunt, è numero citatorum quorum pars iam pridem ante vrbe fugitiua excesserat metu perculsa, pars adhuc eam colebat nonnulli studio se purgandi rediêre.

Hæserant ab aliquot retroactis annis duo Francicæ nationis Viri in Aquisgrano eorũ alter illiteratus donũ ꝓphetiæ sibi vindicabat, alter eloquens & facund⁹ in literis ac linguis ꝓmulgabat in populũ seu visiones cõsodalis reipũ p̄teritarum seu vatidices p̄dictiones, hi ante cõflatam nouissimè an. 1611. tumultuariam sectionẽ traduxerant vitam Christiano homine dignã, exẽplari pietate in Deum, frequẽtes in tẽplis, in precib. in geniculationib. & sacra mysteria persæpe frequẽtantes, post memoratam populariũ tẽpestatẽ intra familiares lares apud viduam in hunc vsq; annũ sese taciti cõtinuerant nescijs penè vniuersis ꝙ Graniaquis degerẽt nisi ꝙ sparsa ab ijs vaticinia ꝓderent adhuc ciuitatẽ eos incolere, interim nullius religionis sacramẽta, conciones vel ritus obibant, nisi ꝙ fama ferebat eos perstare in fide Romana, vaticinia autẽ & diuinationes eiusmodi erant vt haud infrequẽter verũ tangerẽt, subinde ẽt à Scopo veri aberrarent, hi duo cũ Ecclesiæ præcepta minime seruarẽt citati aliquoties à synodali iudicio, declinauêre iurisdictionẽ, ad Serenis. Principem Electorem Coloniẽsem ꝓuocantes, cui vitę suę institutũ rationemq; patefacere stylo parati essent; datis acceptis; aliquot à S. Celsitudine literis nihil effectum, dumque ita negotium trahitur præpediturque cursus iudicij synodalis ob varios motus reipublicæ Aquensis crescente interim ipsorum cõtumacia non absque graui multorum scandalo ac periculo dispendij animarum, tandem in plena corona Magistratus præsentibus Cæsareis Commissariis citati & de religione vocationeque sua examinati tanquam nouodogmatistæ vrbe & territorio Aquisgranensi proscripti sunt 12. Cal. Oct. an. 1616. prosequebantur eos plerique Catholici indigenæ qui fuco religionis nonnihil fascinati super relegatione ipsorum commiseratione ducebantur, depræhensi postmodũ in ditione Leodina ad vrbẽ pertrahuntur, carceribusq; mancipantur, discussa denuo causa ipsorũ corã iudice Ecclesiastico, inde quoq; profligantur.

His ita Graniaquis peractis mãdato antefatorum Subdelegatorũ ex tumultuationis infaustis seminatorib. nonnulli custodia edũcti & vti minus noxii dimissi, alii quæstionibus & equuleo subiecti ab exprimendam veritatem.

Tertio

Tertio Nonas Dec. producti fuere captiui, nomina factiosorum hæc Matthias de Leucht Sartor, Andreas Schwartz vestium venditor, Iacob Melo (cui durante motu Patris Cornelii nomē indiderāt eo quod is tumultuantiū ciuiū ductor extitisset, & in despectū religionis Catholicæ rebelliū nōnullorū expiationes in Ecclesia excepisset) Matthias Lullius q̄ vrbe relicta Iuliaci militiæ nomē dederat, Petr⁹ Keulius, Wilhelmus Scriniatius, R. Rube, ex his duo antehabitæ factionis & seditiosorū primipili Matthias de Leucht & Andreas Schwartz ad publicū producti in area ante senatorias ædes excitato pegmate, postq̄ latā in se sententiā accepissent nudata ceruice capite mulctati sunt corā Subdelegatis, & Cōsulibus, cæteri partim vita donati, partim in carceres retrusi; in hos & in absentes p̄mulgata sentētia corā p̄miscua multitudine publicitus prælecta à Colon Secretario, hoc fere tenore. Quia notoriū, & propalā omnib. notum est q̄ Ioannes Kalckberner / Adamus Schanternell / Ioannes Gier / Ioannes Bellier / Gerardus Meiß / Petrus Scriba, Antonius de la Place, Ioannes Boon / Casparus à Thenen / Theodorus Merckelbach & Isaacus ab Helden / qui partim demortui, partim p̄fugi & absentes alibi latitāt, velut p̄cipui excitati tumultus auctores, cōtra publicata Imperatoriæ Mai. edicta, cōtra omnia mādata & ordinationes arma hostiliter cōtra Magistratū sumpserint, cuiiā violēter occupauerint, Senatū ordinariū & à Cæs. Mai. ap̄batū nouo substituto loco mouerint aliaq; quāplurima paci cōmuni repugnātia directè & principaliter attētarint; ideo ad relictam defuncti Ioannis Kalckberners memoriam damnandā aliis ad exēplū, ad perpetuā eius ignominiā, & ęternū dedecus, erigēda colūna, & ante curiā in publico foro statuenda erit: superstites ēt & ante nominatos morte dignos p̄nūtiamus, & ad hęc relicta respectiuè ipsorum bona & hæreditates, oēs & singulas, siue eæ in Imperio, siue alibi sitæ sint, Cæsareo Fisco app̄priamus & ad scribimus, cęterū q̄ app̄hensos p̄sentes in specie vero Matthiam Lücht & Andream Schwartz attinet, eos ipsos velut seditionis sui⁹ cōsortes, (qui p̄pria cōfessione, aliorūq; testimoniis in ipso simul tumultu Curiam armata manu inuasisse se & è senatorib. quēdam stricto gladio aggressos, partim ēt affigenē Cæsarei mandati, cū iam ante ab aliis fermè vulnerib. ad mortē cōfossus esset, de loco ad locū ad summū Imperatoriæ Maiest. despectū armati circumduxisse & ipsa mandata manu propria vt discerperet compulisse. p̄terali͂s nonnullas enormitates sat sæpe testati eset) morte mulctandos, bona ipsorum fisco adiudicanda, atque adeo puniendos statuimus & pronuntiamus. Lecta & publicata Aquisgrani 3. Decemb. anno 1616.

Septimo Idus Decemb. iudicij ſententia in quatuor tumultuarios prolata in Iacobum de Melon/ Petrum Keul/ Rutgerum Reinardi & Matthiam Lull/è quibus primus Romano Imperio cæteri tres vrbe ac territorio Aquenſi, Dominioque Porcetano proſcribuntur in perpetuum ac deportantur.

Ioannes Kalckberner factionis incentor cuius ante meminimus vrbe à Marchione Spinola capta fuga latenter dilapſus fuerat, inq; Iuliæ oppidum ſe receperat, ibi vitam cũ morte cõmutârat; 19. vero & 20. Decemb. à Cæſareis Commiſſariis ad damnandam eius memoriam infame illi ſaxum, pyramis theatrica baſi ſublimis in fori penè vmbelico erigi iuſſa, in ea imago in lapide exciſa memorati Ioannis nudi in ſcamno poſiti, truncato capite & in terrã deiecto viſitur, adiũctus illi carnifex ferocire ſpectatur in corpus, & id in quatuor partes ſecare, eaſq; affixo ad curiæ pinnaculum capite, ad quatuor vrbis primarias portas ſuſpendere, epigramma in baſi columnæ tale eſt,

Sic pereant
Qui hanc Rempublicam
Et Sedem Regalem
Spretis Sacræ Cæſareæ Maieſtatis
edictis
Euertere moliuntur.
Ad
Damnandum memoriam
Ioannis Kalckberner
In vltimo tumultu Anno CIↃ IↃCXI.
Hic excitato
Inter perduelles
Anteſignani
Columna hæc ex decreto
D.D. Subdelegatorum Sac. Cæſ. Maieſt.
Erigi iuſſa
III. *Nonas Decembris anno* CIↃ IↃCXVI.

Decembris Nona & vigeſima alia relegationis ſententia in ſeditioſos promulgata hoc modo.

In cauſa ſpecialis commiſſionis &c. Poſteaquam ex probatorum teſtium

stium verificatione certū & exploratū sit Simonem Claissen/ *Georgium* Bintz/ *Gabrielem* von Lohn/ *Capitanium Paulū de* Limpurg/ *vtrumq́, Adolphi* von Buckel/ *senioris filium, Matthiā* Moubach/ *Iacobum* Rosset/ *Wilhelmū* Dinckes *iuniorem, Nicolaum* Moll/ *Ioannem de quay, Petrum* Grün/ *Petrum de* Wettumb *filiū Petri, Petrum de* Wettumb *Matthiæ filium, Petrum de Traiecto, Matthiā* Heusse/ *Isaacum & Abrahamum* Kalckberner/ *Leonardū Eradum seniorem, scribā ad Portam Coloniensem, Palm* Holländer *Philippū Philippi iuniorē, Winandum de* Berg/ *Wilhelmum* Meen/ *Conradum* Gartzweiler / *Wilhelmum* Sibrichs *& Iacobum* Engelbrecht/ *respectiue contra publicata Cæsarea edicta & mandata ad exordium ciuicæ cōmotionis antehabita infestis armis instructos Pratoriū de facto occupasse, cōtra legitimos superiores potestatēq; à S.C.Mai. approbatā temeraria procacia ferocijsse, vrbis & armentarij claues vi ab earū custodib. extorsisse, affigentē Cæsarei mandati vulneribus consauciasse, ac sic lethalib. plagis deturpatū circūduxisse ob has & alias enormitates eos ex toto Rom. Imperio relegamus: Vlterius Balthasarē Pictorē, Quintinum* Deuffgen/ *Hugonem de* Hueffel / *Adolphum* Diamantschleiffer/ *Aegidium Andreā* Nadelmacher/ *Quirinum* von der Schleiden / *Creutz* Zyon/ *Abraham* Büllings/ *Balthasarem* von der Veren/ *Georgium Petri, Ioannem* Rade/ *Iacobum de* Sittart in dē Wahn/ *Abrahamū Clementis, Ioannem* Frentz *eiusque filium, Franconem Ernst, Michaelem* Fremerey/ *Abraham* Posnell/ *Ioannem* Schröder/ *Ioannis* Hanradts *vtrumq́, filium, Nicolaum* Meyer/ *Bartholomeum* Nacken/ *Michaelem* Nacken/ *Seruatium* Immendorff/ *Abrahamum* von Thenen / *Leonardum Eradum iuniorem, Ioannem* Bastnach / *Ioannē* Krachel/ *Lambertum Eradum, Nicolaum* Robee/ *Ioannem Simonis* am Berge/ *Ioannem* Meeß *filium Pauli, Nicolaum* Radermecher / *Petrum* Mundt/ *Henricum* Pramer/ *Ioannem* von Erpicum/ *Abrahamum* Koch/ *Iacobum* von Strecht / *Matthiam* von Wettumb/ *Wilhelmum* Bastnach *Notarium, Aegidium* von Epen/ *Martinum* von Berg

seniorem Henricum de Metz/ *Iacobum* Deur/ *Iacobum* Beißman *& Danielem* Hagen / *ob consimilia rebellioni annexa facinora & flagitia ex ciuitate & districtu Aquisgranensi, Dominioque Porcetano proscribimus & amandamus.*

Præter iam recensitos, quotquot Magistratus munia obiuerant, siue aliter minoris culpæ quomodocunque rei, mulctitium æs in singula capita pendere debuerunt, adeo vt hoc æs in multa millia ascenderit:

Hæc est catastrophe seditionis & sectionis retroactæ: quam enim longiorem aut lætiorem fœlicitatem sperent facinorosi? quas propagines ab emortuis radicibus omnique vitali succo destirutis præcisa sarmenta? adsis immortalis Deus & gratiam indigenis in sedem pristinam restitutis impartire ne deinceps aduersas res obliti, secundis elati & eleuati (vanus sim precor augur) modum dicendi faciendiue in regiminis clauo prætereant, vel quicquid lubet licitum putent, ne posteriora deteriorem prioribus sortiantur effectum.

Cum superioribus annis sat grauis fuisset Aquisgrani agitata controuersia num sufficienter facta fuisset promulgatio sacri œcumenici Concilij Tridentini tempore Reuerendissimi Vercellensis Episcopi nuntij Apostolici in partibus, maximè circa decretum Matrimonij, occasione cuius tam in foro pœnitentiali quam externo complures subortæ fuerant difficultates, anno & mense ante memoratis iussu & ordinatione superiorum accessione consensus & authoritate Archipresbyteri ac totius Synodalis iudicii ad omnem omnino dubitationem tollendam proq; maiori securitate de nouo promulgatur idem decretum in vrbe Aquisgrani atque finitimis locis, inhibenturq; iteratò clandestina matrimonia, inhibitio pro suggestu toti communitati intimatur sub arbitraria & irriti Matrimonii in contra delinquentes Pœna sancita.

Vidimus conditum Aquensis Vrbis primum & alterum & cursum trifariũ qui ferè prout in quouis indiuiduo & stirpe sic in oppidis atq; prouinciis alternat vices, temperatæ fortunæ prudentia reddidit vrbem florentem, populosam, abundantem; redundantis fortunæ tumor ac luxus factiosam, cæde sanguine se contaminantem, & hinc deflorescentem, egenam; indigæ ciuitatis ingeniosa industria pessum

eam

eam ire haud finet, sed eludet omnes aduersantium canæ fidei dolosas machinationes, paritérque rursum temperatum & vigentem rei publicæ statum, priuilegiis Patriis pacatissimè fluentem, si modo incolæ & accolæ noua faciant omnia hoc est ex nouo vrbem ædificent: in pœnam præuaricationis & transgressi diuini mandati subiit populus Dei captiuitatem tam longinquam, misericordiæ Dei quod non consumebatur conficiebaturque ærumnis, postea vero quam eductus est populus Israeliticus ex captiuitate incessit animos eorum cogitatio de muris sanctæ ciuitatis Hierusalem instaurandis, templo Domino Deo Israel aptando, ceremoniis pristinis reducendis, frustra populo terræ impediente manus populi Iudæ; ex paritate culpæ pœnæque ac miserentis Dei abysso stringat nos eadem cupido struatur & condiatur de integro vrbs atque templum; fundamenta murorum fidem germanam auiam non fictam iaciamus in huius vnitatem quod reliquum est superstruatur, lapides coctiles & fictiles sint singulorum pietas, ac deuotio qui enim præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, præueniatur facies eius iugiter in confessione laudis; quadri, cæsi, sectique quatuor cardines prudentia, iustitia, temperantia & fortitudo; tu Christe Saluator ac seruator omnium sis primaria turris ac propugnaculum, turris dico fortitudinis nostræ, ad ipsam curret iustus & saluabitur, hac protegente hostes in manibus nostris sunt; isto inexpugnabili muro tuo circumcinge nos Domine & armis tuæ potentiæ protege nos semper nisi enim tu custodieris ciuitatem frustra vigilabit qui custodit eam, subalternatæ illi supremæ turres erunt parrocinia incomparabilis Deiferæ Matris; Sanctorum Angelorum & Diuorum tutelarium, quorum sacra pignora hic in spe gloriæ tempus modicum expectant, donec cõpleantur conserui & fratres eorum: verum ne sint sparsi lapides & quod dicitur arena sine calce veluti cœmentum quo hæc talia compaginentur fomentum charitatis quod est vinculum perfectionis & pacis cõmittamus, dilectione inter nos mutuò coalescamus pacem si fieri possit cum omnibus hominibus habeamus, & vero imprimis confœderatione & obseruantia erga Principes conseruatores ac liberatores vrbis fundatores quietis hoc est erga reuerendissimos S. R. I. septemuiros Coloniensem, Treuericum Maguntiacum, Pontificem ad Leodias, Serenissimos item Burgundicæ, Belgicæ Iuliæque

Thren. 3.

1. Esd. 4.

Apoc. 6. 11.

ad Col. 3.

Principes immo erga omnem vicinam & cognatam patriam arctè deuinciamur, insuper amoris nexibus cum Præposito, Decano toteque Ecclesiastico Senatu Principis & Augustæ Virginis Matris Basilicæ, à qua primordia vrbicæ Societatis fluxerunt, illigemur, sic ciuilis communitas optima harmonia concordabit, præscindo & propero date Cæsari quæ sunt Cæsaris, cui timorem timorem, cui honorem honorem, ita da tu Magne Deus Deorum & auerrunca quicquid est impendentis mali.

Iuramentum quod Ephebi Athenis præstare solebant.

Non ignominia afficiam arma sacra, neque deseram meum astitem, quo cum iunctus fuero. Dimicabo pro sacris & prophanis siue solus siue cum multis. Patriam non relinquam in deteriori statu sed ampliori meliorique quam acceperim. Semper magistratui præfecto prudenter obediam & legibus constitutis parebo, atque alijs quibuscunque plebis consensu decretis. Quod si quis leges vel irritas facere vel eis non obtemperare velit non concedam: sed vlciscar tam solus quam cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum Dij mihi testes & conscij sunto.

* * *

ENCOMIA KAROLI IMperatoris qui Magni cognomentum meruit metrice & concise.

NOn pietate minor Magnus quam Marte secundo
Terribilis, quam Musarum, quam pacis amator
Ardens, Teutonidum Carolus lux prima suorum
AEternam meruit florentem laude coronam
Sensit eum terris pulsus Saracenus Iberis
Impius, atque Hunni sensere, Danique Bohemique
Et domitus toties Saxo, totiesque domandus.
Exorere ô aliquis sera de stirpe nepotum
Qui Carolino ausu, fortique & pectore & armis
In melius referas turbatam Christiadûm rem.

Inuictus Carolus Francorum gloria gentis
Virtutis cultor, Regia sceptra gerit
Magnanimus fortis fuerat, procerus in armis
Rex pius extiterat, promptus & ingenio,
Gasconiam primo domuit, mox Saxoniamq;
Thessilo Baiorum Dux quoque succubuit
Longbardos bello vicit, nec non Saracenos
Romanus Præsul liber in vrbe fuit,
Post quoque Burgundos domuit, Frisiosque feroces
Omnia perdentes turpiter igne simul.
Hos bello aggressus Carolus qui francica signa
Armârat fœlix, victor vbique fuit
Et frisios bello docuit, paruumque tributum
Indidit, vt possent frisica iura pati.

Contigit huic tandem Christi quoque gens populosa
Susciperet fœlix vndique dulce iugum
Passim destruxit perituraque templa Deorum,
Et strauit verum religionis iter
Fundauit Carolus templa & Monumenta Virorum,
Qui laudes Domini nocte dieque canunt.
Hinc merito electus Cæsar, gratissimus orbi
Romanum Imperium fortiter instituit.
Inde senex moriens nato sua regna relinquit,
Alternam requiem nactus & ipse sibi.

Francus eram, mihi franca fides, Germanaq; virtus
Promeret Imperium, Romule magne tuum.
Magnus eram bello, magnus pietate Deorum
Omnia virtuti peruia facta mea
Scit Desiderius, scit Saxo, Sclauus & Hunnus
Cimber, Aquitanus, Boius, Iberus, Arabs.
Magna fuit Sophiæ mihi cura, Deique per æuum:
Dum doceo Christi Teutona regna fidem
Dum mansura pio superis do munere templa
Dum facio Musis otia tuta sacris
Quantus eram, Christo nunc tantus in æthere viuo
Pacato febris me necat orbe senem.

HYM-

HYMNVS ECCLESIAsticus seu precationis carmen Diuo Karolo Catholicæ Ecclesiæ assertori, Fundatori sacræ ædis & Vrbis Aquensis Parenti optimo sacrum.

Vrbs Aquensis vrbs Regalis, Regni Sedes principalis, prima Regum curia.
Regi Regum pange laudes quæ de magni Regis gaudes Caroli præsentia.
Iste cœtus psallat lætus psallat chorus hic sonorus vocali concordia.
At dum manus operatur bonum quod cor meditatur dulcis est psalmodia.
Hac in die die festâ magni Regis magna gesta recolat Ecclesia.
Reges terræ & omnes populi omnes simul plaudant & singuli celebri lætitia. (millia.
Hic est Christi miles fortis hic inuictæ dux cohortis Ducum sternit
Terram purgat lolio, atque metit gladio ex messe zizania.
Hic est Imperator boni fructus bonus sator & prudens agricola.
Infideles hic conuertit, fana Deos hic euertit, & confringit idola.
Hic superbos domat reges, hic regnare sacras leges facit cum iustitia.
Quam tuetur eo fine vt & iustus sed nec sine sit misericordia.
Oleo lætitiæ vnctus dono gratiæ cæteris præ Regibus.
Cum corona gloriæ maiestatis Regiæ insignitur fascibus.
O Rex mundi triumphator Iesu Christi conregnator sis pro nobis exorator sancte Pater Carole.
Emundati à peccatis vt in Regno claritatis nos plebs tua cum beatis cœli simus incolæ.
Stella maris ô Maria mundi salus, vitæ via, vacillantum rege gressus & ad Regem des accessus in perenni gloria.
Christe splendor Dei Patris incorruptæ fili matris per hunc sanctum cuius festa celebramus nobis præsta sempiterna gaudia.

Rex confessor iustitiæ pelle noctem perfidiæ tuis fulti suffragijs eruamur ab impijs ne dæmonis illusio sit soporis abusio.

ORATIO.

Deus qui B. Karolo Magno Ecclesiæ tuæ sanctæ propugnatori hic sanctissimæ Genitrici tuæ templum erigendi, vrbemq; condendi spiritum indidisti, præsenti quæsumus infunde Clero spiritum sapientiæ & intellectus, Rectoribus eius donum consilij & fortitudinis ciuibus concordiæ & pietatis, vniuersoque populo mutuam vt præcepisti dilectionem. Qui viuis &c.

O spes afflictis, timor hostibus, hostia victis, Regula virtutis, iuris via, forma salutis, Karole seruorum pia suscipe vota tuorum.

ORATIO.

Deus qui superabundanti fœcunditate bonitatis tuæ B. Karolum Magnum Imperatorem & Confessorem tuũ, deposito carnis velamine beatæ immortalitatis trabea sublimasti, concede nobis supplicibus tuis vt quem ad laudem & gloriam nominis tui, honore Imperij exaltasti in terris pium & propitium intercessorem mereamur habere in cœlis. Per Dominum nostrum Iesum Christum. &c.

Lætare pia Mater Aquensis Ecclesia exulta tam Sancti principis habere suffragia qui sua regali munificentia te donauit & beauit in gloria cuius labore, impensa & opere meruisti vniuersas præcellere.

ORATIO.

Deus qui Beatum Karolum Magnum Imperatorem & Confessorem tuũ patronum iustitiæ in terris esse voluisti & consortio fidelium tuorum cum angelis sanctis misericorditer associare dignatus es præsta supplicib. tuis vt per eius intercessionem consortes æternæ beatitudinis fieri mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. &c.

PRAG-

PRAGMATICA SANCTIO CELEBRIS MEmoriæ Diui Caruli Magni Romanorum quondam Imperatoris ac Francorum Regis inclyti fundationem templi & vrbis primæuam complectens, Domni Friderici huius nominis Primi cognomento Ahenobarbi & Friderici Secundi Imperatorum diplomati priuilegiario inserta.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen.

FRIDERICVS Secundus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus Ierusalem & Siciliæ Rex. Iustis fidelium nostrorum petitionibus condescendere cogimur quas nisi fauorabiliter obaudiremus, quod iustè petitur per iniuriam denegare videremur. Eapropter per præsens priuilegium nouerit tam præsens, ætas quam successura posteritas quod VVilhelmus Aduocatus Aquensis, Henricus frater eius Triseamerarius noster, & Theodericus de Orlouesberge fideles nostri nuntii ciuium Aquensium pro parte vniuersitatis ciuitatis eiusdem nostrorum fidelium quoddam priuilegium Diui Augusti Imperatoris Friderici Aui nostri memoriæ recolendæ vniuersitati prædictæ liberaliter dudum indultum nostro culmini præsentarunt, supplicantes humiliter & deuotè vt eis illud innouare & omnia quæ continentur in eo confirmare de nostra gratia dignaremur, cuius tenor per omnia talis est. *Priuil. Frid. II.*

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen.

Priuil. Frid. I.

NOS Fridericus Diuina fauente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus. Ex quo primitus diuina ordinante clementia Imperii Romani fastigia gubernanda suscepimus, voluntatis nostræ, atque propositi summum desiderium fuit, vt Diuos Reges & Imperatores, qui nos præcesserunt præcipuè maximum & gloriosum Imperatorem Karolum quasi formam viuendi atque subditos regendi sequeremur, & sequendo præ oculis semper haberemus. Ad cuius imitationem ius Ecclesiarum, statum Reipublicæ incolumem & legum integritatem per totum nostrum Imperium seruaremus. Ipse enim tota cordis intentione ad æternæ vitæ præmia anhelans ad dilatandam gloriam Christiani nominis & cultum diuinæ religionis propagandum quot Episcopatus instituerit, quot Abbatias, quot Ecclesias à fundamento erexerit, quantis prædiis ac beneficiis illas ditauerit, quantarum largitate eleemosynarum non solum in cismarinis, sed & in transmarinis partibus resplenduerit, ipsa eius opera & gestorum volumina quæ plurima sunt & maxima fide oculata plenius declarant. In fide quoque Christi dilatanda & in conuersione gentis barbariceæ fortis athleta fuit, & verus Apostolus, sicut Saxonia & Fresonia, atque Westphalia Hispani quoque testantur & Wandali, quos ad fidem Catholicam verbo conuertit & gladio. Et licet ipsius animam gladius non pertransierit, diuersarum tamen passionum tribulatio & periculosa certamina ac voluntas moriendi cotidiana pro conuertendis incredulis eum Martyrem fecit. Nunc vero electum & sanctissimum Confessorem eum confitemur, & veneramur in terris, quem in sancta conuersatione vixisse ex pura confessione ac vera pœnitentia ad Deum migrasse & inter sanctos Confessores sanctum, & verum Confessorem credimus coronatum in cœlis. Inde est quod nos gloriosis factis & meritis tam sanctissimi Imperatoris Karoli confidenter animati & sedula petitione charissimi amici nostri Henrici illustris Regis Angliæ inducti assensu & auctoritate Domini Papæ Paschalis & ex consilio Principum vniuersorum tam secularium quam Ecclesiasticorum pro relatione, exaltatione, atque canonizatione sanctissimi corporis eius solemnem curiam in natale Domini apud Aquisgranum celebrauimus, vbi corpus eius sanctissimum pro timore hostis exteri vel inimici familiaris cautè reconditum, sed diuina reuelatione manifestatum ad laudem & gloriam nominis Christi, & ad corroborationem Romani Imperii & salutem dilectæ Consortis nostræ Beatricis Imperatricis, & filiorum nostrorum Friderici & Henrici cum magna frequentia Principum & copiosa multitudine Cleri & populi, in hymnis & canticis spiritualibus cum timore & reuerentia eleuauimus & exaltauimus quarto Kalendas Ianuarii.

Karoli Magni encomium.

Exaltatio & Canonizatio Caroli Magni.

His autem omnibus gloriosè peractis cum in prædicto loco cuius ipse fundator extiterat de ipsius loci libertate institutis legum & pacis atque iustitiæ quibus totum orbem texerat, diligenter inquiremus. Ecce fratres eiusdem Ecclesiæ priuilegium Sancti Karoli de fundatione & dedicatione ipsius nobi-

lissimæ Ecclesiæ & de Institutionibus legum humanarum & ciuilis iuris eiusdem Ciuitatis nobis in medium protulerunt. Quod ne vetustas aboleret, vel ne per obliuionem deperiret, nostra imperiali auctoritate renouauimus, Eiusdem vero priuilegii tenor & institutio talis est.

Pragmatica sanctio glorio sa memoria Karoli Magni Imp. auo Carulino scriptum ego Karlus Imperator.

Ego Karolus qui Deo fauente curam regni gero & Romanorum Imperator existo, consilio Principum regni nostri Episcoporum, Ducum, Marchionum ac Comitum, rogatu vero tam liberorum quam seruorum in plurimo generali conuentu in diuersis locis regni nostri habito, discussi prout iustius ac melius cunctis videbatur. Primum lege sanctarum Ecclesiarum, de reddendis iustitiis Episcoporum, de vita & iure Presbyterorum & Clericorum. Et hæc omnia iudicio & assensu vestro secundum instituta patrum meorum corroboraui, firmaui & auxi, nihil de his minuens, quæ Catholici viri ac recte & legitime viuere volentes ad obseruandum spirituali ac sæculari decreto bonum & vtile contulerunt. Deinde prout cunctis placuit prudentioribus regni nostri legem Saxonum, Noricorum, Sueuorum, Francorum, Ribuariorum, Salicorum, sicut mos & potestas Imperatorum est, & omnium antecessorum nostrorum semper fuit, distinxi, distinctam sub auctoritate Regia & Imperatoria stabiliui non ex mea adinuentione vel corde prolatam, sed communi consilio & generali conuentu totius Galliæ à me renouatam, & in melius auctam sicut patres & prædecessores mei fecisse perhibentur. Scitis enim & neminem latet, quia quidquid ab Imperatoribus & Regibus præceptum & decretum est, semper ratum & pro lege tenendum est. Nedum quod ab vniuersis sensatis & iusta discretione viuere volentibus imperatum & actum est, & nostra Imperatoria & Regia Maiestate confirmatum & solidatum. Nunc patres, fratres & amici fautores & coadiutores gloriæ nostræ & regni nostri de omnibus statutis patris mei Pipini quæ ad vtilitatem & honorem sanctæ Ecclesiæ firmari ac renouari petistis, quæ ad defensionem secularium rerum & legum stabiliri quæsistis nihil minui nec ademi, sed in melius ampliaui omnium sanis consiliis acquieui ac fui in medio vestrum quasi vnus de quærentibus & petentibus æquitatem legis, nulli contradicens aut renitens dignæ & rectæ petitioni: Ego vestri decreti & petitionis voluntarius extiti, vos quasi patres & fratres audiui. Nunc quæso vt meæ petitionis & intercessionis non solum auditores, sed & beneuoli factores fieri velitis, nec quod indecens aut intolerabile sit, quæro, sed quod tota Gallia & vniuersi Principes potius concedere quam negare debent. Nostis qualiter ad locum, qui Aquis ab aquarum calidarum aptatione traxit vocabulum, solito more venandi causa egressus, sed perplexione siluarum, errore quoque viarum à sociis sequestratus * inueni termas calidorum fontium, & palatia inibi reperi quæ quondam Granus vnus de Romanis Principibus * frater Neronis & Agrippæ à principio construxerat, quæ longa vetustate deserta ac demolita frutectis quoque ac vepribus occupata nunc renouaui, pede equi nostri in quo sedi inter saltus riuis aquarum calidarum perceptis & repertis. Ibidem Monasterium Sanctæ Mariæ matri Domini nostri Iesu Christi labore & sumptu, quo potui ædificaui, lapidibus ex marmore preciosis adornaui, quod Deo adiuuante & cooperante sic formam suscepit vt nullum sibi queat æquiparari Itaque tam egregio opere huius exi-

Sub Gallia Alemanniam comprahendit.

** Intellige fontes calidos terra obrutos circa rudera vel prisci palatij Grani vel veteris aq sensi oppidi deexisse pedi equi, &c.*

** vide primũ caput.*

Nullum Monasterium ædificium æuo Karoli æquiparabatur splendori structura Aquensis Basilicæ.

miæ Basilicæ non solum pro voto & desiderio meo verum etiam ex diuina gratia ad vnguem peracto. Pignora Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum à diuersis terris & regnis & præcipuè Græcorum collegi, quæ huic sancto intuli loco, vt eorum suffragiis regnum firmetur, peccatorum indulgentia condonetur. Præterea à Domino Leone Romano Pontifice huius templi consecrationem & dedicationem impetraui præ nimia deuotione, quam erga idem opus habui & sanctorum pignora, quæ inibi recondita meo studio & elaboratu habentur. Decebat enim vt idem templum, quod cunctis monastiis ædificiis in regno nostro forma & structura præesse videtur in honorem sanctæ Dei Genitricis à nobis regali studio fundatum, dignitate consecrationis præcelleret sicut ipsa Virgo super omnes choros Sanctorum præcellens exaltata est. Et ideo Dominum Apostolicum, qui omnes præcellit Ecclesiasticos gradus, ad consecrandum & dedicandum idem templum ex sola cordis mei consideratione elegi & acciui. Acciui etiam eum illo Romanos Cardinales, Episcopos quoque Italiæ & Galliæ quam plures, simulque Abbates cuiusque ordinis, Clerum multum qui huic sacræ dedicationi interessent. Acciti sunt etiam Romani Principes multi, Præfectura & qualicunq; dignitate promoti ad id solemne, Duces, Marchiones, Comites, Principes regni nostri tam Italiæ, quam Saxoniæ tam Bauariæ, quam Alemanniæ & vtriusque Franciæ, tam Orientalis, quam Occidentalis in omnibus voto & desiderio meo obsequentes. Illic vero Domino Apostolico & omnibus prædictis nobilibus & egregiis personis congregatis merui ab omnibus obtinere præ nimia deuotione, quam erga ipsum locum & Matrem Domini nostri Iesu Christi habebam, vt in templo eodem Sedes Regia locaretur, & locus Regalis & caput Galliæ trans Alpes haberetur, ac in ipsa Sede Reges successores & hæredes regni initiarentur, & sic initiati iure dehinc Imperatoriam Maiestatem Romæ sine vlla interdictione planius assequerentur. Confirmatum & sancitum est hoc à Domino Apostolico Leone Romano Pontifice & à me Karolo Romanorum Imperatore Augusto, primo auctore huius templi & loci *, quatenus ratum & inconuulsum hoc statutum & decretum nostrum maneat. Et hic sedes regni trans Alpes habeatur. Sitque caput omnium ciuitatum & prouinciarum Galliæ. Decreuimus etiam ex assensu & beneuolentia omnium Principum Regni, qui hoc ad festum dedicationis conuenerant, vt locum & sedem Regiam pro murali præsidio contra omnes turbines Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, omnes Principes Galliæ fideles Regni tueantur, semper hunc locum venerantes & honorantes Decreuimus etiam vt si qua iniuria aut versutia contra leges, quas statuimus, surrexerit, libero aut seruo nocere tentauerit: Aquis ad hanc sedem, quam fecimus caput Galliæ, veniat, veniant Iudices & defensores loci & eum æquitate legis causæ discutiātur, status legis resurgat, iniuria condemnetur, illic iustitia reformetur. Nunc ergo quia locum hunc Maiestate Regiæ Sedis Domini Apostolici decreto & nostra Imperiali potentia, nostro quoque assensu exaltauimus, honestate vero huius templi & plurimorum sanctorum veneratione magnificauimus: Decet nec incongruum videtur, quin ad hoc meus figatur animus vt petitio mea, cuius vos non solum auditores, sed & beneuolos factores fieri exoraui, apud vos obtineat, quatenus non solum Clerici & Laici huius indigenæ, sed & omnes incolæ

Sedes Regia & caput Galliæ.

** loci per templum sic primo ab ipso Karolo exaltati.*

colæ & aduenæ hic inhabitare volentes præsentes & futuri, sub tuta & libera lege, ab omni seruili conditione vitam agant. Ac omnes pariter ex auis & atauis ad hanc sedem pertinentes, licet alibi moram facientes, ab hac lege, quam dictauero in præsentiarum à nullo successore nostro, vel ab aliqua machinatore legumque subuersore infringantur. Nunquam de manu Imperatoris vel Regis alicui personæ nobili, vel ignobili in beneficio tradantur. Acquieuerunt vniuersi Domini & Magni Imperatoris Karoli petitioni & voluntati, qui ad hoc solemne dedicationis ex diuersis regnis confluxerant, ac bonum & acceptum coram Deo & hominibus, Domini Apostolici & Imperatoris decretum astruxerant, & omnium graduum Episcoporum, Abbatum quoque banno corroborati & confirmari hanc Imperatoris petitionem, vniuersi magni ac parui acclamauerunt. Lætetur igitur & exultet ineffabili gaudio Aquisgranum caput Ciuitatum, venerabilis Clerus, cum deuotissimo populo, quod in diademate regni alijs Principibus & gloriosis locis speciosissimo ornamento distinctis in capite coronæ positum quasi prælucidarum gemmarum splendore coruscat & illo singulari & corporali gaudet Patrono qui Christianæ fidei illustratione & legis qua vnusquisq; viuere debeat Romanum decorat Imperium. Hæc est enim mutatio dextræ excelsi quod pro Grano fratre Neronis fundatorem habet Sanctissimum Carolum pro pagano & scelesto Imperatorem Catholicum, cuius nos quantum propitia diuinitas concesserit pietatis vestigijs inhærentes venerabilem clerum Aquensem cum Ecclesia Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ excellentissimo opere constructa & omnibus prædijs eius, nec non & ipsam ciuitatē Aquisgranum (quæ caput & sedes regni Theutonici est) vna eum omnibus ciuibus eius tam minoribus quam maioribus sub nostram Imperialem tuitionem suscipimus, & omnem libertatem & iustitiam quas Sanctissimus Karolus eiusque successores eis dederunt ipsis confirmamus, statuentes & lege perpetuo valitura confirmantes vt omnes ciues nostri Aquenses per omne Romanum Imperium negotiationes suas ab omni Thebonij Pedagij, curardiæ, vectigalis exactione liberi absque omni impedimento liberè exerceant.

Et sicut Sanctissimus Karolus Imperator instituit, indigenas huius ciuitatis sacræ & liberæ nemo de seruili cōditione impetat, nemo libertate priuare præsumat, insuper omnes ad hanc sedem pertinentes nullus Regum vel Imperatorum vbicumque morentur alicui personæ in feudum concedendi potestatem habeat. Cæterum vt omnes sacratissimæ constitutiones Beatissimi Karoli totius perennitatis robur obtineant præsentem inde paginam conscribi & aurea bulla signique nostri caractere signari iussimus. Datum Aquisgrani anno Dominicæ incarnationis MCLXVI. Indictione quartadecima sexto Idus Ianuarij regnante Domno Friderico Romanorum Imperatore gloriosissimo anno regni eius quarto decimo, Imperij vero vndecimo.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris Gloriosissimi.

Ego Henricus Sacri Palatij prothonotarius vice Christiani Archicancellarij & Maguntinæ sedis electi recognoui.

Vos igitur qui fidem & obsequia nostrorum fidelium non patimur irremunerata transire attendentes fidem puram & deuotionem sinceram, quam præ-

Post Tolbiacēsem Victoriam quam Franci sub Rege Ludouicho qui & Clodoueus cōsequuti aduersum Allemannos hinc potissima & va in seruitus apud eos nata, cum igitur omnia redundarent serui à Karol M. Aquensibus indultum priuilegiū contra seruitu om.

Hucusque Karolus.

Sic creditum ætate Karoli fratrem fuisse Neronis veriorem sententiam de Grano inquire primo capite.

Fœdum veteres.

Continuatio Frid. II. Imp.

dicta vniuersitas fideles nostri ad maiestatis nostræ personam & sacrum Imperium habent, pro gratis quoque seruitijs quæ nobis & Imperio exhibuerunt hactenus fideliter & deuotè & quæ exhibere poterunt inantea gratiora, ipsorum supplicationibus fauorabiliter inclinati suprascriptum priuilegium Diui Augusti Aui nostri prædicti huic nostro priuilegio de verbo ad verbum inseri iussimus, omnia quæ continentur in eo de Imperialis præeminentiæ gratia confirmantes; statuimus itaque & Imperiali sancimus edicto, quatenus nullus Dux nullus Marchio, nullus Comes nulla denique persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel mundana vniuersitatem prædictam contra præsentis priuilegij nostri tenorem ausu temerario inquietare, molestare seu perturbare præsumat, quod si præsumpserit indignationem nostri culminis se nouerit incursurum & centum librarum auri optimi pro pœna compositurum, medietate scilicet cameræ nostræ, & reliqua medietate passis iniuriam applicànda. Ad huius autem innouationis & confirmationis nostræ futuram memoriam & robur perpetuò valiturum, præsens priuilegium fieri & bulla aurea typario nostræ Maiestatis impressa iussimus communiri: Huius rei testes sunt Raimundus Comes Tblasinus, Enno Comes Siluester, Bettholdus Comes Sacri montis Richardus Comes Cæsertanus, Magister Petrus de Vinea, Theobaldus Franciscus, Gebhardus de Bittengavven & alij quam plures.

Locus signi nostri Friderici Secundi Dei gratia Inuictissimi Imperatoris Romanorum semper Augusti Ierusalem Siciliæ Regis.

Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M C C X L I V. mense Augusti Secundæ Indictionis Imperante Domino nostro Friderico Secundo gloriosissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Ierusalem & Siciliæ Rege, Romani Imperij eius anno 24. Regni Ierusalem 22. Regni vero Siciliæ 46. Datum Pisis Anno mense & indictione præscriptis.

Has tabulas aureis bullis signatas & in Aquis fida custodia asseruatas, quas nouo munimine stabilierunt succedanei omnes Diui Imperatores hic vncti coronatique coronidis loco adponere visum fuit, quotquot vero ex Augustis in Aquensi Regia sede corona Regni Germaniæ non sunt initiati Recognitionis, reuersalibus scriptis vocant hodie, haudquaquam præiudiciũ inferendi Basilicæ & sedi Aquensi locoque coronationis & cunctis earum libertatibus sese deuinxerunt: Cæteris instrumentis indultorum Apostolicorum, Imperatorialium Regalium Ducalium &c. ad verbum interserendis & recensendis ób institutam breuitatem libens volens supersedeo.

* *
*

INDEX

Errata sic corrige.

Pagina septima, linea prima lege auitas. p.14. l.30 pius. p.18. l.36. illis. p.20. l.12. abiundi. p.39. l.11. singularumque. p.42. l.14. repetentes. p.58. l.20. Karolinarum. p.62. l.27. munerum. p.63. l.6. ostentatione. p.70. l.14. euersa. p.71. l.25. Christianarum, & l.28. ead. p. qua die. p.75. l.1. in folio. p.76. l.34. cæteroqui. p.97. l.25. premuntur. p.107. l.30. floreant. p.108. l.2. Thoringorum. p.111. l.5. omnibus. p.124. l.23. obliteratum. p.129. l.9 prodiunt. p.131. l.29. collationes. p.142. l.31. Karolorum. p.144. l.20. opere. p.152. l.30. Diuos diuasque. p.159. l.5. præstituta. p.160. l.27. strenuos. p.178. l.7. diffidentibus. p.178. l.21. mensam. p.179. l.35. genuina. p.183. l.10. galea. p.188. l.28. quam alia Iubilæi. p.206. l.24. exprimendam. p.207. l.27. positi. pag. 210. l.21. Vesicæ. p.227. gg.2. l.22. Aquis habita. p.228. gg.2. l.21. labra. p.230. l. vlt. innodationes. p.231. l.31. laicas. p.231. l.35. baioaria. p.232. l.3. Eadem. p.232. l.11. cum sorore. p.230. l.21. religiosæ. pag. 230. l.26. passimque. p.231. 11. l.7. subuenit. p.234. 11.2. l.23. ausus est quia. pag. 235. l.17. constructa. p.237. l.9. probrosum. p.250. l.20. Vorticibus. p. 252. l.8. conniueret. p.258. l.14. conciuibus. p.259. l. vlt. fine. p.263. l. 14. vtræque. p.265. l.31. fuco. p.297. l.26. artificium. p.298. l.2. vacaret. p.314. l.17. aduocatiæ.

F I N I S.




IHS